BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
148
N
31
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Goo

SCIPIONIS GONZAGAE
CARDINALIS
COMMENTARIORUM RERUM SUARUM

LIBRI TRES.

ACCESSIT LIBER QUARTUS ΠΑΡΑΛΕΙΠΟΜΕΝΩΝ

AUCTORE JOSEPHO MAROTTO.

QUOS

ALOISIUS VALENTIUS GONZAGA CARD.

PRIMUM EDIDIT

ET CAJETANO FRATRI INSCRIPSIT.



ROMAE APUD SALOMONIUM

FACTA A PRAESIDIBUS FACULTATE ANNO MDCCXCI.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

ALOISIUS VALENTIUS GONZAGA

CARDINALIS

CAJETANO FRATRI

EQUITI HIEROSOLYMARIO ORDINIS PRIMI

PRAEPOSITO

INSTITUTIONI REGIORUM LIBERORUM

FERDINANDI AUSTRIACI AUG. FRATRIS

S. P. D.

DEliberandum mihi non fuit, CAJETANE FRATER, cujus potiſſimum nomine inſcriptos Scipionis Gonzagae Cardinalis Com-

mentarios in lucem emitterem. Cui enim potius is honor a me tribueretur, quam tibi, cui praecipuo quodam tuo merito, ac jure est omnino tribuendus? Mitto quod frater es, atque is frater, a quo cum omne officiorum genus in me sit semper profectum, propterea non te amare solum, sed ornare etiam plurimum debeo: mitto quod eo es ingenio, eaque optimarum litterarum intelligentia praestas, ut, quod plurimi faciendum est, rectissime judicare his de rebus possis: mitto etiam quod ab eo viro hi Commentarii scripti sunt, qui cum origine sua Mantuanos nostros attingat, praepostere facere visus fuissem, si nostratium laudibus alienos potius, quam eos, ad

quos potissimum pertinent, honestatos voluissem. Atque haec non idcirco mitto, quasi hujusmodi non sint, ut vel his unis nominibus haberi is honos a me possit tibi; verum quia non haec potiora illa sunt, quibus idem omnino tibi deferri debeat. Quaenam autem sunt illa? Rogas? Studium nimirum singulare tuum, quo me nullo unquam tempore hortari, atque urgere destitisti, ut haec Scipionis monumenta luci committerem. In quo tu quidem Caroli Fratris sedulitatem, atque solertiam referens, ita officiorum illius memoriam repraesentare, ac reddere potuisti, ut quam grati animi significationem illi mortuo haud amplius possim, hanc om-

nino tibi dare nunc debeam. Scis sane tu quanto ille olim desiderio horum Commentariorum tenebatur, quantaque alacritate in eam curam incubuerat, ut hi per me lucem aspicerent. Ille eos ex autographo Scipionis diligentissime descriptos dono habendos miserat mihi: ille operam, industriamque suam omnem mihi detulerat, si forte hac in re ea uti vellem: ille bibliothecas adire, tabularia scrutari, codices excutere cessabat nunquam, ut monumenta, sicunde posset, erueret, quibus Commentarii ipsi et absolvi, et ornatiores effici etiam possent. Quare ejus desiderium hoc etiam mihi gravissime ferebatur, quia eo me hortatore, atque adju-

tore spoliatum videbam, quo mihi ad illa, quae suscepta, atque adeo affecta jam erant, perficienda omnino opus esse sentiebam. Haec equidem moerens animo volvebam meo, cum tu, Frater, in Fratris amantissimi curam, rationemque succedens, ejusdemque alacritatem, studium, ac sedulitatem aemulatus, ita mihi in eodem negocio conficiendo officium praestitisti, ut nulla prorsus in re mirificam illam Caroli nostri industriam, atque operam a me desiderari sis passus. Tua haec igitur tam praeclara in hos Commentarios merita non me admonent solum, sed jubent etiam, coguntque quodammodo, (si cogi dicendus est is, qui haec cupidis-

simo animo et velit, et faciat) eos nunc exhibere tibi, utpote cui debeant praecipuo quodam tuo jure meritissimo exhiberi. Habes igitur, CAJETANE, redeuntia domum, quae a domo profecta sunt; veruntamen ita redeuntia, ut ea, quemadmodum tu quoque desiderasti, multo uberiora redeant, atque ampliora: In quo non dubito, quin tu item studium, et curam sis vicissim laudaturus meam. Etenim mea cura illud est factum, ut tribus libris, in quibus Scipio ducentis amplius ante annis res suas exposuit ad eum diem, quo Cardinalis creatus est, quartus nunc item accederet a Josepho Marotto, viro nostri studiosissimo, conscriptus, qui et ea, quae

illum Scipionis honorem consequuta sunt, usque ad ipsius vitae exitum complecteretur, et ea de virtutibus ejusdem exponeret, quae ab ipso, quod de se scriberet, modestiae causa minime prodi debuere. Qui sane liber nisi caeteris accessisset, mihi crede, vix Scipionem novissemus. Ea siquidem de clarissimi Viri ingenio, doctrina, humanitate, religione latuissent, quibus praecipue, meo quidem judicio, immortalitatem ipse videtur consequutus. Neque eo contentus illud curavi praeterea, ut ex iis monumentis, quae olim ad hos ipsos Commentarios uberius ornandos Caroli nostri cura congesserat, potiora seligerentur, eaque adnotationibus il-

lustrata, atque ad calcem Operis adjecta, quae sunt in his libris exposita, clariora efficerent, ac testatiora. Utroque in labore quid Marottus idem praestiterit, qui pro naturae suae facilitate rogatus operam mihi libentissime suam detulit, equidem dicere non audebo; neque judicium interponam meum in ejus laude apud te statuenda, cum hanc limato, ac polito judicio tuo malim intelligi, quam auctoritate ulla mea declarari. Veruntamen sic habeto; quae ab eleganti hoc Scriptore addita his Commentariis sunt, ea cum ob res, quae inventae afferuntur, tum ob concinnam quandam Latini sermonis venustatem, qua hae sunt exposi-

tae, adeo multis hominum intelligentissimorum judiciis commendata in lucem prodire, ut dubitare nequeam, quin tu quoque, postquam ea legeris, gratulaturus sis mihi, quod auctor ei Viro fuerim, ut hunc laborem susciperet. Quae omnia si serius, quam desideria tua postulabant, perfecta ad te veniunt, veniunt tamen in tempore, ac peropportune. Quid enim aut aptius exhiberi a me tibi, cui nunc ista est Regiorum Puerorum cura commissa, aut accipi a te provinciae isti tuae magis accomodatum potest, quam ea monumenta, ex quibus qua ratione Principum Virorum liberi ad summum decus instituti sint, possit cognosci? Habes

hic Herculem Gonzagam Cardinalem, cujus vigilantiam in Scipione, ac Francisco adolescentulis ad omnem virtutis laudem educandis proponas tibi : habes item nobilissimos Adolescentes ipsos, quorum famam, atque immortalitatem, quae diligentissimam illam institutionem consequuta est, Alumnis proponas tuis. Erit profecto, cur laudes muneris opportunitatem mei, cum tu sedulam Herculis Cardinalis in illorum institutione solertiam imitatus, simulque mirifica Adolescentium ipsorum facilitate in omni virtutis praeceptione arripienda, imbibendaque Regiis istis Pueris ad aemulandum proposita, brevi senties, aliud munus nullum aut ad

tempus magis accommodatum offerri tibi a me, aut majori cum usui, tum adjumento tibi esse potuisse. Vale.

IMPRIMATUR

Si videbitur Rmo Patri Magistro Sac. Pal. Apost.

F. X. Passari Archiep. Lariss., ac Vicesgerens.

AUCTORITATES CENSORUM

Qui duobus seculis ignoti latuerant Scipionis Cardinalis Gonzagae Commentarii de Rebus suis, nunc primum cura Aloisii Cardinalis Valentii Gonzagae in lucem prodeunt. Quae illius in agendo eximia fuit, ea et in scribendo conspicitur prudentia, multa verborum sententiarumque gravitas, multa Latini sermonis sine ambitioso ornatu elegantia, singularisque cum animi magnitudine conjuncta modestia, ob quam eo magis magnum illud ingenium omnigena excultum Doctrina Lectores allicere, ac delectare possit. Cum nunc igitur ad Rem Litterariam tanta fiat accessio, et tam illustre Sapientiae, Virtutum, et Nobilitatis Animi proferatur specimen, quis plurimam deberi gratiam ipsi Cardinali Valentio Gonzagae non agnoscat, qui non solum eos Commentarios magnifice edi voluit, sed in iisdem etiam suppleri, quae vel erant ab Auctore suas dissimulante laudes praetermissa, vel post susceptam Cardinalatus Dignitatem si quae scripsit non inventa? Multam illi operam, diligentiam, ac studium in hoc ipso praestitit Lycei Romani Rhetor Josephus Marottus in inquirendis, exponendisque, quae deerant, non sine pluribus adductis et monumentis, et testimoniis, ac nonnullis etiam additis adnotationibus suis, ut jam nihil, quod ad ejus Principis Viri Vitam in suo collocandam lumine, posteritatique commendandam pertineat, desiderari posse videatur. Itaque, ut debeo, ipsi Aloisio Cardinali Valentio Gonzagae summopere gratulor, quod et sua in litteras praestantia merita tam luculenter amplificarit, et novis hisce laudibus Patriam illustrarit, et Nobilissimae Gonzagae Domus gloriam hoc alio in lucem revocato decore amplissime cumularit. Quapropter tantum abest, ut quidquam in hoc Volumine reprehendi possit, quod spectet ad Religionem, bonosque mores; ut omnia ad verae pietatis, honestatisque normam exacta plane esse fatendum sit. Judicium hoc interpono meum, ut Rmo Patri Thomae Mariae Mamachio S. P. A. Magistro idipsum mandanti satisfaciam. Datum Romae ex Aedibus in Palatio Apostolico Quirinali die 28. Julij 1791.

Benedictus Stay SSmi Dñi Nostri PII PP. VI.
a Secretis Brevium ad Principes.

Scipionis Cardinalis Gonzagae, Viri nobilitate ingenio rerum geſtarum gloria praestantis, verissimoque multorum, quibuscum vixit, scriptorum praeconio ad omnem posteritatis memoriam commendati, Commentarios de rebus suis legi diligenter, jubente Rm̃o Patre Thoma Maria Mamachio S. P. A. Magistro. Legi itidem quae a Josepho Marotto Rhetore Collegii Romani iisdem Commentariis supplendis, augendis, omni ratione perficiendis, atque ornandis adjecta sunt. Utriusque operis lectione majorem in modum sum delectatus; in neutro offendi quidquam, quod esset non consentaneum religioni, ac bonis moribus: omnia comperi scripta esse cum scite atque eleganter, tum cordate etiam ac sapienter; ut ea lectoribus et jucunda, et utilia futura esse minime dubitem. Quae hujusmodi sint, ea gaudeo in lucem proferri; magnamque Aloisio Valentio Gonzagae Cardinali gratiam habendam arbitror, quod praeclara ingenii monumenta ab amplissimo Viro relicta, ac nimis jam diu in tenebris abdita, ad augendum Gonzagae Familiae decus, sibi tandem edenda statuerit; quodque eorum editionis curandae, atque adornandae negotium dederit Scriptori egregio, quo mea quidem sententia, nemo esse potuerit vel laboriosior in rerum notitiis colligendis, vel uberior in iisdem omni verborum elegantia, omnique orationis cultu explicandis. Datum Romae Kal. Augusti MDCCXCI.

Raimundus Cunich Rhetoricae, et linguae Graecae in Coll. Romano Professor.


IMPRIMATUR

Fr. Thom. Maria Mamachius Ord. Praed. Sac. Pal. Apost. Magist.



SCIPIO · GONZAGA · CARDINALIS ·

Digitized by Google



COMMENTARIORUM

LIBER PRIMUS.

Multos excellenti ingenio, ac prudentia viros, non solum priscis temporibus, sed recentiore etiam memoria de rebus a se gestis commentarios scripsisse, aut ex veterum historiis accepimus, aut ex eorum, qui adhuc extant, libris perspicimus. Et illi quidem, cum praeclara multa, et posteritate digna egissent, jure optimo ea litteris commendarunt, ut quamplurimis prodessent. Mihi vero longe alia est de me ipso scribendi ratio, et propositum: ne-

que enim tantum mihi tribuo, ut magnopere ad posterorum utilitatem pertinère putem, scire eos, quid a me actum sit; sed mihi ipsi potissimum consulo, ac memoriae praesidium paro; ut, quae mihi in vita acciderunt, saepe ante oculos proponens, et tamquam alienam, ac plane judicis personam gerens, actiones meas aequa lance perpendam: et si quid recte, atque ordine actum est, Dei optimi maximi in me beneficia agnoscam frequenter, eique bonorum omnium auctori gratias agam: si quid secus, me ipsum coarguam, et quod vitae superest, majori cautione adhibita, ad virtutis, et christianae disciplinae regulam diligentius constituam. Decrevi igitur non ea solum, quae mihi ab initio ortus mei ad hoc usque tempus, quo quidem tempore annum ago aetatis meae trigesimum septimum, contigerunt, sed quaecumque etiam in posterum contingent, dummodo vita, et facultas suppetat scribendi, stilo persequi, et narrare ea fide, ut neque mihi a propriae laudis studio, neque ab animo cuiquam infenso, quae duae res prope invitos saepissime a veritate nos abducunt, sinam imponi. Et a φιλαυτίας quidem crimine quantum absim, vel hoc ipsum de me scribendi susceptum consilium aperte testatur: quod omnino ut abjicerem, ipsa rerum, quae tradendae sunt, tenuitate admonebar. Ab

aliorum vero obtrectatione, cum in caetera omni vita ita abstinuerim, ut nemo sit, quem verbo sciens, prudensque laeserim ad hunc diem, nunc certe non usque adeo moris oblitus sum mei, ut scripto, quod, quantumvis rude, et inexpolitum, propagari potest ad aliquam posteritatem, turpem immeritis notam inurere studeam. Quod si de nonnullorum moribus liberius quaedam sum proditurus, in eo me non inimicitias exercere voluisse, sed veritatis rationem habuisse, aequi judicis fuerit arbitrari.

Gonzagiam gentem inter primarias, ac pervetustas totius Italiae gentes numerari, quippe quae a nobilissimis Germanorum Principibus originem ducat, et tercentos jam prope annos libero, ac legitimo imperio urbem Mantuam non habuerit solum, sed summa etiam cum justitiae laude rexerit, ac gubernarit, longe magis compertum est, quam ut nova egeat testificatione. Illud tantum haud praetereundum videtur, familiam hanc praestantium virorum (ut nihil nunc de foeminis dicatur, quae quidem in suo virtutum, atque ornamentorum genere, viris minime concesserunt) faecundissimam omni tempore matrem fuisse. Ex ea enim nati sunt, qui tum bellica laude, tum doctrinae praestantia, tum prudentia in rebus agendis plurimum excelluerunt. Quo factum est, ut Gon-

zagae Principes novis semper honoribus a summis Principibus decorati sint. Hinc Aloisius, is, qui, Passarino Bonacolsio, ob privatas injurias, interfecto, primus Mantuanae civitatis administrationem suscepit, a Carolo IIII. Romanorum Imperatore non modo Mantuae, et Regii verus, ac legitimus Dominus constitutus est, et perpetuus Imperii Vicarius appellatus, verum etiam plerisque tum oppidis, tum privilegiis auctus. Hinc Guido Aloisii filius una cum duobus liberis Ludovico, et Francisco, Vicarius et ipse generalis Imperii ab eodem Carolo declaratus, et omnibus praeterea vectigalibus, ac redditibus, qui iis in locis ad Romanum Imperium spectabant, locupletatus; a quo item Bohemici regni insigne leonem album bifida ad extremum cauda, honoris, ac benevolentiae monumentum, accepit. Hinc Franciscus Ludovici filius Mantuae Princeps IIII. a sapientissimo Venetorum Senatu, Duce Antonio Venerio, una cum omnibus posteris civitate donatus est, propter egregia ab ipso, dum illorum exercitibus summo cum imperio praeesset, patrata facinora. Hinc demum, (ut recentiora omittantur, de quibus commodior fortasse dabitur nonnulla dicendi locus,) Joan. Franciscus Francisci filius a Sigismundo IIII. Imperatore, et quatuor aquilarum insigni, et Marchionis titulo perpetua in

liberos, et nepotes successione insignitus est. Hujus major natu filius Ludovicus, vir, pacis, bellique artibus praestantissimus, prolem tum maxime propagavit, tum existimatione mirifice auxit. Cum enim ex Barbara Brandemburgensi, nobilissima, ac lectissima foemina, quinque filios procreasset, quorum duo Franciscus, et Ludovicus ecclesiasticam vitam sunt sequuti, alter in Cardinalium numerum a Pio II. Pont. Max. cooptatus [1], alter Mantuanae Ecclesiae Episcopus factus [2], inter ipsos, et reliquos, Fridericum natu maximum, Joan. Franciscum, et Rodulfum, ita moriens ditionis suae oppida, ac caetera bona partitus est, ut cum singuli more Germanico aeque Marchionatus Mantuae nomine fruerentur, unus tamen Fridericus re ipsa Mantuae principatum obtineret: caeteri jure primogeniturae cedentes, quod tunc primum in Gonzagiorum familiam inductum est, sua quisque oppida administranda susciperet. Quae omnia Caesaris auctoritate comprobata, ac confirmata sunt: quem unum Principem, ut vocant, directum agnoscunt tam reliqui Marchiones Gonzagae, quam ipse Marchio Mantuae, ita tamen ut, praeter fidelitatis jusjurandum, quo se obstringunt, nihil omnino Caesari debeant: unicuique vero liceat in sua ditione omnia facere, quae posset Imperator ipse, quemadmodum Caesareis

diplomatis diserte, atque adeo his ipsis, quae posui, verbis cautum est.

Obtigerunt Joan. Francisco oppida, Sabloneta, Bozulum, Riparolum, Sanctus Martinus ab aggere nuncupatus, Dosulum, Rotingum, Hostilianum, Insula, quae appellatur Dovariensium, quod aliquando eo in oppido dominati sint illius gentis homines; ac praeterea vici, Gazolum, Belforte, Pomponiscum, Corrigium viride, Civitale, et Comessadium. 3 Ex his omnibus locis unum Gazolum praecipuam sibi sedem, ac domicilium delegit Joan. Franciscus, propterea quod ad ripam placidissimi fluminis Ollii, et prospectu gratissimo, et coelo sit saluberrimo. Itaque, arce ibi magnificentissime extructa, et satis ampla fossa toti pago circumdata, non id solum consequutus est, ut oppidum ex vico fieret, sed ut e vicinis locis pleraeque nobiles familiae illuc habitandi causa commigrarent. Inde etiam factum, ut omnes fere Joan. Francisci posteri cognomentum ab ipso oppido sortiti sint. Joan. Francisco ex Antonia Baucia, muliere non minus virtute, et consilio, quam sanguine clara; quippe quae in unum ex tribus Magis, cui Balthassar nomen, stirpem referret, ejusque rei argumento stellam, gentilitii stemmatis insigne, gestaret, 4 eiusdemque soror Isabella Friderici Regis Neapolitani uxor esset, nati sunt filii

plures : sed omissis foeminis, quae omnes tamen cum corporis, tum animi bonis, ea tempestate praecellentes clarissimis viris in matrimonium collocatae sunt, tres fuerunt mares, Ludovicus, Fridericus, et Pyrrhus. Ex Ludovico, et Francisca Flisca [5] nati sunt Aloisius, qui, ob inusitatum corporis robur, Rodomontes appellatus est : Joan. Franciscus cognomento Caninus omnium hominum sui temporis, vel clarissimorum pictorum judicio, formosissimus : Pyrrhus, qui XXII. annum agens a Clemente VII. Cardinalatus dignitate amplificatus est; et Alfonsus, qui admodum adolescens diem suum obiit. Horum, praeter caeteras, soror fuit Julia illa Gonzaga Vespasiano Columnae nupta, cujus egregia corporis forma laudatore non eget, cum ejus effigies ab omnibus fere conquiratur diligentissime, et conquisita inter maxime pretiosa habeatur. Ex Pyrrho autem, et Camilla Joannis Bentivoli olim Bononiae Domini nepte, (nam Friderico, quamquam et ipse Joannam Ursinam uxorem duxerat, nulli extiterunt liberi) nati sunt Carolus, et Fridericus; verum ut aetate, sic omnibus artis, ac naturae laudibus longe antecelluit Carolus. Is, cum satis adhuc adolescens; ut qui decimum, et octavum vix annum attigerat, au- 1540
ctoritate Friderici Mantuani Ducis uxorem sibi adjunxisset Aemiliam Francisci Gonzagae filiam, ex ea sep-

tem filios, et tres filias suscepit: primo nomen fuit Pyrrhus, quo avi nomen referret: alteri Scipio, quod nomen tum primum in familiam invectum jamdudum destinaverat Carolus illi, qui secundo loco nasceretur; eam scilicet ob causam, quod Scipionem illum Romanum, qui prior a Carthagine devicta Africani cognomentum est adeptus, prae caeteris exercituum Imperatoribus in admiratione haberet: tertio Julius Caesar: quarto Annibal: quinto Alfonsus: sexto Ferdinandus: septimo Julius Caesar; quod nomen idcirco repetitum est, quod alter Julius Caesar adhuc infans e vita migraverat. Ex foeminis prima fuit Camilla, quae, ubi ad nubilem aetatem pervenit, tradita est in uxorem Sfortiae Appiano Jacobi VI. Plumbini Domini patrueli: cujus etiam in imperio futurus erat successor, nisi multis in rebus male ab eo habitus, ac spe sui consequendi juris dejectus (quod fere iis accidit, quibus cum longe potentiore res est) transegisset invitus, ut certo auctus vectigali Alexandrum Jacobi ex concubina filium sibi pateretur in successione praeferri: postrema fuit Polixena, quam duxit Ferdinandus Julii Rubei Calatiae Comitis filius: media inter has fuit Laura, quae ut caeteris praestabat pulchritudine, ita formosiorem sibi virum delegit Christum Salvatorem, cujus se sponte servitio mancipavit, monasterium virginum Bene-

dictinae familiae, quod in urbe Mantua est, ingressa. Scipionem, de quo institutus est sermo, cum parturiret mater, iis doloribus est conflictata, ut propemodum expiraverit. [6] Partum haud feliciora vitae initia subsequuta. Vix enim in lucem editus fuerat, cum gravi, ac diuturno morbo correptus ita omni cute nudatus est, ut cogerentur nutrices, quae illi multae fuerunt, quod earum plerisque vi morbi quasi in rabiem actus papillas dentibus abscinderet, hedera illum convestire, ne fasciae vivis carnibus inhaererent. Convaluit tandem Dei beneficio: sed in aliud paucis post annis incidit vitae discrimen. Cum enim quodam die cubiculum, in quo ipse cum Pyrrho fratre, absente tum forte praeceptore, puerilibus studiis operam dabat, familiaris quidam esset ingressus natione Hispanus, canem praegrandem, ac praeferocem catena ferrea vinctum trahens, cujus generis animantium magnum semper numerum alere consueverat Carolus, ut qui omni venationum, et aucupiorum genere maxime delectaretur, coepit Scipio, ut mos est puerorum, canis dorsum manibus demulcere: ille, cum aliquamdiu immobilis perstitisset, quasi blandimentis illis oblectaretur, de improviso tandem exiliens, labio infantis superiori ita dentes infixit, ut mirarentur omnes, non simul omnem illam oris partem avulsam. Quo factum est, ut non

modo labium in magnitudinem excrescens os illi parum venustum redderet, sed etiam defluens pituita dentium vim ita debilitaverit, ut solidiorem panis partem frangere nequiret. Utrique tamen incommodo medicinam attulit triennii, aut quadriennii tempus; neque cani diu impune fuit: cum enim aliquando Carolo panem sibi porrigenti digitum momordisset, is unico pugno in ventrem incusso exanimem stravit. Multis praeterea ab eo tempore morbis vexatus est Scipio, tum in puerili, tum in juvenili aetate, quibus licet haud semel ad extremum adductus fuerit, semper tamen e mortis faucibus eripuit eum manus Domini; ut liceret conjicere, illum, si minus ad magnas res obeundas, ad varios certe excipiendos rerum humanarum fluctus servatum. At vero, quoniam ab ipso ortus initio visi sunt parentes ecclesiasticae vitae Scipionem quasi devovisse, placuit utrique illum educandum, instituendumque tradere Herculi Gonzagae Cardinali Mantuano, Principi, qui nequeat satis laudari, sive animi rectitudinem, simul et magnitudinem; sive doctrinae praestantiam; sive prudentiam in rebus gerendis; sive in regendis populis dexteritatem, ac vigilantiam spectes: quod quidem consilium facilem habuit exitum: ea enim erat Herculis
1550 erga Carolum benevolentia, ut nihil quantumvis ma-

gnum petenti denegare posse videretur. Erat is annus humanae salutis millesimus quingentesimus quinquagesimus, qui dicitur Jubilaeus, aetatis vero Scipionis octavus, cum ille ad Herculem Cardinalem Mantuam deductus est; a quo peramanter acceptus iisdem cubiculis, iisdem litterarum, ac morum praeceptoribus, eademque prorsus vivendi forma jussus est uti, quibus utebatur Franciscus Ferdinandi Fratris filius 7, qui, ut aetate Scipionem non parvo intervallo superabat, (tertiumdecimum is tunc agebat annum) sic longe prior in patrui contubernium adscitus fuerat; quae res etsi initio visa est maximam inter duos propinquos animorum conjunctionem peperisse, procedente tamen tempore, excitavit occultum Francisci odium adversus Scipionem, indigne nimirum ferentis, alterum, qui non solum aetate, ac fortunae bonis inferior esset, sed etiam minus arcto consanguinitatis vinculo teneretur, ab Hercule sibi paene aequatum fuisse. Ignorabat id Scipio; et in perpetuum forsitan ignorasset, cum ab se nullam odii profectam esse causam sciret, praecipuo semper studio, atque honore Franciscum prosequutus, nisi post annos aliquot, uti suo loco dicetur, Franciscus ipse poenitentia ductus rem Scipioni minime quaerenti, immo nihil minus expectanti aperuisset. Vixit Scipio

octo integros annos sub legibus, et disciplina magni illius Antistitis, cum interea, quod et in litterarum studiis non minimum proficeret, et caeteris in rebus bonam praeseferret indolem, ita sibi Herculis animum demeruisset, ut, secundum Franciscum, quod ipsemet Cardinalis palam profitebatur, cariorem ex universa Gonzagia familia haberet neminem. Delectabatur Hercules non mediocriter musica, et pictura; accidit autem, ut Scipio iisdem artibus natura mirifice esset addictus; quare cum, adhibitis magistris, videretur in iis aliquanto plus profecisse, quam ferme solent ii, qui nobili loco nati sunt, vel eo nomine carior deinceps Herculi fuit. Neque vero his solum operam dedit, sed et in agitandis equis, et in armis tractandis, et in saltationibus se exercuit; quae tamen, ut aliena ab ea vitae ratione, quae sibi fuerat proposita, satis habuit leviter attigisse. Dum in haec
1555 studia incumbit Scipio, nuntius affertur, Carolum patrem periculose aegrotare: quamobrem ad eum visendum jussu Herculis, perpaucis ad reditum praescriptis diebus, (putabat enim ille, praevalidas aegrotantis vires morbi impetum facile superaturas) Gazolum petiit; sed cum ejus salutem jam conclamatam comperisset, diesque sibi ab Hercule dicta, cujus mandata adamussim servare solitus erat, advenisset,

antequam pater extremum efflaret spiritum, Mantuam rediit. Quem simul ac vidit Hercules, atque ex ipsius lacrimis (nam vocem incluserat moeror) id, quod erat intellexit, magna cum doloris significatione multis praesentibus exclamavit: optimum, fortissimumque nostrae gentis virum amittimus. Biduo post, hoc est Idibus Junii, anno saeculi huius quinquagesimo quinto Carolus excessit e vita, maximo sui desiderio, et suis, et bonis omnibus relicto. Juvat commemoratione nonnullorum tanti viri ornamentorum gravissimae jacturae solatium quaerere.

Ordiamur a corpore, quod militari illius animo natura aptissimum finxerat, procerum, latum, torosum, incredibili omnium membrorum, inter se proportione, ac firmitate. Lisippum diceres, Phidiamque non aliud sibi potuisse ob oculos proponere exemplar, ex quo spirantem Herculis imaginem ducerent. Naturam exercitatio excoluerat, atque perfecerat; quippe a primis aetatis temporibus in omni militari studio, cursu, natatione, venatione, lucta assiduus esse: palum ferreum vel ipsis dentibus jacere: pila omnium generum, ac folli grandiore ludere: mira agilitate desultoriam artem circa ligneum cantherium exercere: aeneis tormentis majoribus, et minoribus, atque arcu Scythico signum ferire: si-

mulacra pedestris, et equestris pugnae perpetuo ciere. Adolescentulus coram Friderico Mantuae Duce duos ingentes molossos, qui se mutuis morsibus laniabant, millis apprehensos in diversa distraxit. Brachiorum vi equum validissimum sibi ad pedes abjecit. Manibus ferreos equorum calceos saepe disrupit. Asini, qui sibi viam impediebat, collum ita torsit, ut statim mortuus prociderit. Unica manu e terra sustulit, et jaculatus est pilam ferream centum sexaginta librarum; ambabus extulit basim marmoream unius, et viginti supra sexcentas. Fossam octo, et viginti pedes latam ex procursu transiliebat: ad cujus rei perpetuam memoriam erecti duo lapides marmorei eo intervallo inter se distantes in Gazoli foro visuntur. Armatus galea, et lorica tranabat Ollium flumen. Militem furti convictum, cum se in fugam dedisset, momento assequutus duas in partes unico gladii ictu dissecuit. Brixiae in equestris pugnae spectaculo duos equites ad terram dejecit. Joan. Baptistam Gavardum in ea urbe caeteros omnes hastiludii fama antecellentem ita commovit, ut ejus caput ad equi clunes usque reflexerit. Onustus ferreo thorace, et galea nobilem cursorem interiore tantum tunica indutum longo post se intervallo in cursu reliquit. Unica manu gladio caesim feriens caput bovi amputabat. Sex hominibus

alio alibi sibi impositis,gressum promovebat. Lancea sexaginta librarum nullo ad calcem libramento ita utebatur, ut sensim demissam repente subrigeret. Equo non admodum grandi, sed egregie quadrato aliquando insidens, abjectis habenis, demissam e fornice ductariam catenam utraque manu apprehendit, ac simul ad equi aluum appressis quam arctissime cruribus, humerisque connixus,quadrupedem toto corpore, pedibusque ab terra sublatum, et in aëre pendentem ostendit. Moribus fuit integerrimis: animo erecto, atque invicto. Et animi quidem non obscurum specimen dedit, adhuc puer a patre in Ollium flumen injectus: vigore enim potius animi,quam natandi scientia, quam nondum erat adeptus, ad ripam adnavit; idemque postea experimentum ipse de aliquot filiis suis sumpsit. Moribus autem quibus esset ostendit, cum vix pueritiam egressus quemdam e familiaribus impudice solicitantem ephebos uno mucronis ictu confecit. Laudis appetens,sed verae ac solidae, idest, quam virtute promeruisset: liberalis erga omnes: amantissimus militum: in iracundiam pronior; sed tamen idem adeo placabilis,ut quibus irascebatur expediret eum habuisse iratum; multis enim postea beneficiis eosdem prosequebatur. Duodecimum agens annum ab Alfonso Vastio Caesarei exercitus Impera-

tore turmae equitum praepositus est, quam Gazoli de more lustravit, eique de suo stipendium dedit. In praelio ad Ceresolam praeclarissima virtutis edidit facinora: ut qua in parte ipse pugnabat Caesarei vicerint, atque hostium tormenta ceperint: sed cum reliquus exercitus a Gallis esset profligatus, ipseque terga ut verteret, quod caeteri faciebant, adduci non posset, summa cum laude in hostium potestatem venit. Bello Pedemontano saepe Tribunus peditum fuit: semel plurium equestrium turmarum Dux. Bello Senensi Joan. Jacobum Marchionem Mariniani, cujus ipse potissimum vicarias agebat partes, cunctantem, atque hosti fugienti pontem aureum faciendum esse dictitantem rationibus, atque auctoritate permovit, ut rem praelio committeret: et consilio, et manu ita se gessit, ut clades Petri Strozzae, magnam partem, ipsius virtuti, ac providentiae accepta ferretur. Cum Hercules Cardinalis ad comitia pontificia Romam proficisceretur, in administratione Mantuanae ditionis illum aliquando pro se substituit. Sub finem vitae, quae triginta duos annos, et sex menses non excessit, praefecturam ei totius Italici peditatus in Cisalpina Gallia maximus ille, optimusque alienae virtutis aestimator Carolus V. Imperator tribuerat; cujus rei diploma secum afferens Ferdinandus Dux Albanus,

Tridentum praetergressus, de ejus morte cognovit; quam aegerrime tulit, palam praedicans, maximis quibusque in rebus illius se opera usurum fuisse, ac summa omnia de tanto viro sibi promisisse. Causa mortis haec fuit. Consueverat Carolus, quod illi tempus a militia vacuum esset, quod quidem erat perexiguum, cum in omnes belli expeditiones nunquam non sequutus sit Caesarem, totum fere in iis, quas diximus, corporis exercitationibus consumere; cum igitur saepe se saltu exerceret, talum aliquando torsit: quae res ab eo neglecta morbum auxit vehementer, ex insueto praesertim frigore, quo paullo post ipse, et caeteri omnes, qui Carolo Caesari in expeditione Metensi operam navarunt, paene obriguere. Quare in Italiam revectus medicorum fidei necessario sese commisit, a quibus cruri dextro cauterium inuri passus, prope jam convaluerat, cum eum die quadam incessit cupido natandi. Mensis erat Junius, calores maximi: et ipse forte aliis tum laboribus defatigatus, ac sudore manans in praeterfluentem Ollium se conjecit. Vix ad medium flumen pervenerat: cum aquae, patentem in crure aditum nactae, ita totum ejus corpus vi frigoris pervasere, ut destitutum viribus fere omnibus, tantum non in profundum traxerint. Illum tamen interritus animus ne vocem qui-

dem ullam, indicem languoris, aut formidinis, emittentem ad ripam, unde discesserat, revexit. Flumine egressus, sibique ex eo, quod praeter consuetudinem acciderat, subiratus, equos poposcit, otii, ac quietis impatiens; nec tamen ita multum progressus, morbo ingravescente, domum revertit, et cubili, nunquam inde surrecturus, se dedit. Nec dum biduum effluxerat, cum illi infectum crus adeo emarcuit, ut medici de eo abscindendo consilium inierint: quorum sententiae incredibili animi fortitudine jam acquieverat Carolus: ii tamen, cum ne sic quidem, vivere eum posse confiderent, consilio destiterunt. Itaque, post decem dierum conflictationem, vi tandem morbi victus succubuit, animamque Deo reddidit.

Hoc Scipioni, fratribusque rerum adversarum exordium fuit. Nam cum in testamento a se novissime condito Carolus filiorum suorum, quorum natu maximus quintum decimum annum nondum attigerat, tutores nominasset Herculem Cardinalem, Guillelmum Mantuae Ducem, Vespasianum Aloisii patruelis filium, tunc Marchionem, postea Ducem Sablonetae, et Fridericum fratrem; ab his omnibus pupilli, uno excepto Hercule, qui semper illis enixe favit, non paucis, neque parvis, uti suo loco dicemus, incommodis affecti sunt. Ac a propinquiori quidem pri-

mum exortum est damnum, postremum autem a minus propinquo. Fridericus enim non satis sibi consultum ducens, quod statim fere post Caroli obitum ad divisionem bonorum omnium, etiam feudalium, cum fratris filiis devenisset, illud insuper addidit incommodi, quod, non modo consiliorum Herculis, sed sui ipsius promissi etiam oblitus, uxorem duxit Lucretiam Incisae Marchionis filiam, quam paucis ante diebus ardere coeperat. Quod illius factum, ut excusatione dignum aliquo modo sit, illud certe defensionem nullam admittit, quod in eorundem perniciem ab eo aliquot post annis excogitatum, ac patratum est. Nunc ad institutam rerum seriem redeamus. Anno, qui Caroli mortem subsequutus est, placuit Herculi, ut Franciscus Ferdinandi fratris filius, studiorum causa, ad aliquod celebre gymnasium se conferret. Sed cum urbem Patavium, quam ipse caeteris praeferendam esse censebat, pestilentia tunc temporis laborare, Bononiam vero non multis post mensibus, eandem ob causam, profecturum sciret Fridericum Guillelmi Ducis fratrem, ne duo patrueles simul in eadem Urbe commorantes mutuo sibi essent impedimento, Ferrariam secedere Franciscum jussit; [8] unde tamen brevi Patavium, peste jam depulsa, migravit. Ita solus Scipio apud Herculem mansit, donec ipse

quoque visus est ad aetatem pervenisse, per quam liceret ei ad graviora studia animum applicare. Anno igitur aetatis sextodecimo, et ipse Herculis jussu Patavium se contulit, philosophiae studiis operam daturus: quod et duorum propinquorum, qui illum praeiverant, institutum fuit. In quo quidem discessu multas, ac praeclaras significationes dedit Hercules benevolentiae, immo potius paternae caritatis erga Scipionem suae. Nam, praeterquamquod annuas illi pecunias de suo constituit, quibus, si paucas proprio e censu (quod factum est) adderet Scipio, honestam commode alere familiam posset, non pauca etiam illi dono dedit tum vasa argentea, tum aulaea, tum alia domesticae supellectilis instrumenta, quibus non indecenter suum inter studiosae juventutis principes locum tueretur. Attribuit praeterea, studiorum comitem, seu potius rectorem, ac ducem, Julium Gabrielium Eugubinum, 9 hominem Graecis, ac Latinis litteris apprime eruditum, et qui cum summa vitae innocentia, et morum gravitate summam Latinae scriptionis elegantiam conjunctam haberet: quod quidem cum ex aliis ejus scriptis, tum praesertim ex libro epistolarum, quem nonnullis post annis ipsi Scipioni nuncupavit, existimare licet. Accessit ad haec omnia, quod Scipioni discedenti longo pri-

mum sermone, deinde autographo commentario, multa dedit monita, quae, uti memoratu maxime sunt digna, ita prudentiam, atque humanitatem viri apertissime declarant. Illud autem omnium maximum, ac certissimum propensissimi in Scipionem animi argumentum fuit, quod cum per eos dies, quamvis nulla impellente adversa corporis valetudine, testamentum condidisset, voluit, Scipionem ejus partis, quae ad ipsum pertineret, exemplum in manibus habere, ea tamen lege, ut nulli omnino mortalium, praeterquam Aemiliae matri, legendum traderet: quod ipse, ut caetera omnia, quae sibi ab amantissimo patrono injungebantur, diligentissime praestitit. Patavium profectus nihil antiquius habuit, quam (quod praecipuum est ejus sapientiae, cujus studium profiteri aggrediebatur, praeceptum) ut de civibus, et de peregrinis benemerendo, utrorumque sibi benevolentiam conciliaret: id, mirum dictu est, quam brevi sit consequutus. Neque vero eam cuique obviam esse laudem plurimi sunt experti. Nam, veteri ejus urbis consuetudine, cives inter, et convenas perrara intercedunt benevolentiae officia: dissidiis potius, et contentionibus, quasi in geminas divisi sunt factiones. Quod si quis tam disjunctis animis pariter placeat, minime contemnendum profecto quiddam est assequutus.

Atque eo etiam nomine fortunatus Scipio videtur fuisse, quod ipsum Franciscum, qui, propter eam, quam diximus, causam, Mantua parum benevolo in illum animo abierat, eo mansuetudine, atque adeo obsequiis suis adegit, ut, omni simultate deposita, non modo illum ex animo, et fraterne amare coeperit, sed et biennio post, cum Romam inde discederet, Scipioni faustum iter precanti vetus illud animi ulcus ultro aperuerit, veniamque ab eo petierit, illa usus excusatione, aetatis potius erratum illud fuisse, quam voluntatis: itaque, deletis veteribus, novas tabulas, ut est in vulgari proverbio, confici postulavit. Paullo ante Francisci discessum, cum jamdudum in eam cogitationem incubuisset Hercules, qua ratione fieret, ut Scipio militiae adscriberetur ecclesiasticae, neque ulla tamen aut honoris gradus, aut insignis sacerdotii sese illi offerret occasio, (quidquid enim proventuum Ecclesiasticorum ipse possideret, vel Francisco jam designarat, vel, tamquam patronatus iure Guillelmo Duci obnoxia, Friderico illius fratri decreverat) quae primo in conspectum se dedit, eam avide arripuit: quae hujusmodi fuit. Primiceriatum Mantuanum (ea est dignitas, ut vocant, mitra, et baculo pastorali praefulgens) Joannes Maria, Archidiaconatum vero Cathedralis, Ecclesiae Galeatius ambo Gon-

zagae [10], et Aemiliae Scipionis matris germani fratres, multis jam annis obtinebant: placuit Joan. Mariae, ut qui liberiorem vivendi rationem adamaret, sacerdotio se abdicare: itaque, dimisso habitu clericali, impetravit, ut Galeatius frater Primiceriatum administraret: quae res cum Galeatio necessitatem imponeret dimittendi Archidiaconatus, sacerdotium illud Hercules Scipioni, soluto prius a Paulo huius nominis quarto, summo, eodemque severissimo Pontifice ea lege, quae de aetate est, (nondum enim XVII. aetatis annum expleverat) attribuendum curavit. Re ita confecta, mandavit Hercules, ut Scipio sacris initiatus, ac rite detonso capillo, talarem vestem iudueret: quod quidem ipse sine cunctatione praestitit Kal. Augusti anni quinquagesimi noni, cum tamen, quae erat illorum temporum licentia, raro, dum Patavii degit, praeterquam in templis, et in scholis, eo vestis genere usus sit. Eodem ipso anno maxima, ut in hac vita, non ipsi solum Scipioni, sed toti Gonzagiae genti affulgere felicitas visa est: quae tamen cito evanuit. Nam cum, Paulo Pontifice vita functo; de successore eligendo Romae ageretur, parum admodum abfuit quin Cardinalis Mantuanus Summus Pontifex renuntiatus sit. Et quidem, si, omisso imperscrutabili Dei judicio, hominum tantum more loqua-

mur, vere dici potest, in ipsius facultate situm fuisse, ut ad supremum illud honoris fastigium veheretur [11]: eo enim res deducta est, ut, si Carolo Carafae Cardinali, qui, ob multa ab se in patrui pontificatu impotenter patrata, a futuro Pontifice vehementer timebat, Hercules, non dicam, in eum se non animadversurum, sed solum, grato se animo electionis beneficium accepturum, ostendisset; illico fuisset in Petri solio collocatus. Ea tamen fuit Herculis pietas, atque animi celsitudo, ut, ne videretur ullo quamvis tenui pollicitationis genere Pontificatum sibi comparasse, praesentissimo animo negaverit, id se dicturum, quod tamen facere, si illius opera Pontificatum obtinuisset, omnino decreverat. Itaque factum est, ut Carolus ad alium eligendum sese converterit, a quo quamvis meliora ille sibi, quam ab Hercule expectaret, ab eodem tamen, post diuturnum carcerem, extremo tandem supplicio una cum Joanne fratre, Paliani Duce, et aliis affectus est: res profecto non miseratione minus, quam memoratu digna: quae tamen ab ipso Hercule longe antea in ipsis comitiis praevisa fuit, ac praedicta. Cum enim familiares illi aliquando renuntiarent, Carolum, post multas consultationes, precibus tandem amicorum, et rationibus adductum fuisse, ut in ipsum Cardinalem Mantua-

num promovendum omnes suos conatus intenderet, respondit Mantuanus; non faciet, mihi credite: non faciet. Si enim Pontificem me esse vellet, a me, utpote sibi devincto, omnia illi commoda essent expectanda: caeterum peccatis vel invitus cogetur suis illum eligere, qui sibi exitio sit futurus. Ad summum igitur Pontificatum evectus est Joan. Angelus Medices Cardinalis, Pius IV. postea dictus. Is in altera, quam habuit ordinatione, mense Februario anni MDLXI. inter caeteros, qui complures quidem fuerunt, sed omnes fere vel nobilitate, vel doctrina praestantes viri, Franciscum Gonzagam Cardinalem creavit: cujus Fratri Caesari Malfictae Principi Camillam sororis fiiliam [12] paucis ante mensibus in matrimonium collocarat.

Per idem tempus, cum jam statuisset Pius de Concilio generali Tridentum cogendo, neminem tali, ac tanto negotio potius praeficiendum existimavit, quam Cardinalem ipsum Mantuanum, in quo, praeter generis claritatem, quae illum summis Principibus, et Ferdinando praesertim Imperatori, cujus filia Eleonora Guillelmo Duci nuper fuerat in uxorem data, non modo notum, sed etiam gratum reddebat, vitae integritas, et doctrina eluceret non mediocris. Quamobrem per litteras primo enixe ab eo contendit, ut

Legati Apostolici munus subire solus vellet. At Hercules, oneris magnitudinem reformidans, de se vero, ac de sua virtute demissius fortasse, quam par esset, sentiens, diu restitit Pontificis voluntati [13]: veruntamen ad extremum, Pio acrius instante, non magis summi Pastoris reverentia, quam amicorum, et Juliani praesertim Caesarini, viri inter Romanos primarii, qui ad hoc unum Mantuam missus est, precibus atque hortationibus victus, provinciam se suscepturum dixit: ea tamen lege, ac conditione, ut daretur sibi legationis comes Jacobus Puteus Cardinalis, vir sacrorum canonum, totiusque juris scientiae peritissimus; summaque probitate, et vitae innocentia praeditus. Caeterum eam conditionem respuit Pontifex, ne in obeundo legationis munere quisquam Herculi anteferretur: erat enim Puteus non Cardinalatus, sed presbyteratus ratione antiquior Mantuano. Itaque collegas illi assignavit plures quidem, quam ipse petierat, sed qui omnes tamen illum uti legationis principem agnituri, ac veneraturi essent. Hi fuerunt Hieronymus Seripandus Neapolitanus, Stanislaus Hosius Varmiensis Polonus, Ludovicus Simoneta Mediolanensis, et Marcus ab Altemps Germanus, omnes in eadem Senatus lectione, qua Franciscus Gonzaga, Cardinales creati. Quibus omnibus, praeter unum Varmiensem,

qui Viennae Austriae apud Caesarem hanc ipsam Concilii causam jamdudum agebat, Roma profectis, Hercules etiam extrema Quadragesima Mantua discedens, Tridentinum iter ingressus est. Ac, instante majori hebdomada, Maguzianum, quod est insigne Monachorum S. Benedicti coenobium ad Benaci ripas divertit: ubi non ea modo, quae ad passionem, sed etiam quae ad resurrectionem Christi Domini pertinent, solemnia pie peregit. Ibi dum moratur, placuit Scipionem Patavio accersere, nullam aliam ob causam, quam ut ex illius aspectu statueret, utrum vocandus esset Tridentum, nec ne. Agebat tunc Scipio undevigesimum aetatis annum, nondum prima genis obducta lanugine: quam idcirco Hercules in illo exoptarat, quo majorem adolescens in tanto conventu gravitatem praeseferret. Attamen cum alioqui pueritiam mores praetergressi viderentur, evocandum omnino, sed paucis post mensibus, constituit: interim Patavium redire, et ea, quae ad profectionem necessaria essent, expedire eum jussit. Ita diversi eodem tempore Tridentum Hercules, Scipio Patavium petiere; unde tandem accersitus Junio mense Tridentum ipse quoque contendit, quo illum et votis, et faustis precationibus omnis Patavina civitas est prosequuta, pluribus etiam in vulgus editis carminibus, quae absen-

tis desiderium, et diutius testarentur, et clarius. Tridenti Legatos quidem omnes, uno excepto Varmiense, qui et ipse nonnullos post menses eodem convenit, ac praeter eos Ludovicum Madrucium Cardinalem Tridentinae Ecclesiae Antistitem electum, Episcopos autem perpaucos invenit, qui tamen quotidie ex omnibus Christiani orbis partibus, vel remotissimis confluentes brevi ducentorum, et septuaginta Patrum nu-
1562 merum explevere. Quibus ita in unum coactis, Januario mense insequentis anni inchoatum, aut potius repetitum est Concilium; missam Spiritus Sancti solemniter celebrante Mantuano. At vero quae in sacrosancta illa, ac celeberrima Synodo acta fuerint, non est praesentis negotii recensere; illud non praetermittendum, Herculem in tam gravi tractatione ita se gessisse, ut summam sibi pepererit gloriam. Ut tamen virtutis comes est invidia, ne sic quidem potuit iniquorum obtrectationes effugere; quibus prope factum est aliquando, ut vel ipse, officio sponte dimisso, in patriam se reciperet, vel Pius Pontifex, ipso etiam invito, de alio substituendo Legato cogitaret. Superavit ille tandem difficultates omnes animi constantia, atque innocentia; cujus rei signum sit, quod
1563 cum initio anni MDLXIII. statuisset Pontifex, quasi in locum demortui Joannis Medices Card. Cosmi Floren-

tiae, ac Senarum Ducis filii, Ferdinandum fratrem natu minorem sublegere, non gravate adductus est, ut una Fridericum Guillelmi Ducis Mantuani fratrem Cardinalem promulgaret. Mirati sunt nonnulli, pontificiae potestatis, ut videtur, parum gnari, Pium, dum generale Concilium celebraretur, ordinationem habere voluisse; at longe plures admirati sunt, tertio superstite, binos ex eadem familia, et sanguine inter se adeo junctos ab eodem Pontifice Cardinales creatos esse: quae res, uti nullum fortasse antea habuit exemplum, ita non vulgarium Herculis meritorum argumento esse potest. Brevi tamen docuit eventus, quanta sit humanarum rerum inconstantia: tres enim hi Gonzagiae gentis Cardinales intra triennium omnes morte absumpti sunt: primo autem loco, qui aetate, virtute, ac rerum gestarum gloria reliquos anteibat Hercules. Is paulo post Friderici Cardinalatus initia, nondum peracto Concilio, in morbum incidit, qui a medicis principio haudquaquam agnitus octo, aut novem dierum spatio aegrotum extinxit: itaque factum est, ut ipse de se quoque vere vaticinatus sit, fore ut Tridentina illa legatio decem sibi annorum vitam adimeret.

De Herculis obitu, ut paucissima dicantur, satis hoc fuerit, mortem anteactae vitae admodum fuis-

se consentaneam : in eaque illum cum summa animi fortitudine, et pietatem in Deum, et in propinquos, ac familiares liberalitatem praesetulisse incredibilem. Hoc fuit alterum ex praecipuis, quae Scipioni acciderunt, incommodis: et quidem eo gravius, aut certe molestius, quo minus licuit illi, per absentiam, extrema officia benignissimo patri, ac patrono suo praestare. Redierat Patavium Scipio mense Decembri superioris anni, Philosophiae curriculum, quod jam dudum inierat, peracturus : nam quamvis Hercules de illo Romam mittendo saepe cogitasset, tamen quia adhuc junior videbatur, quam ut ipsum auderet aulicae libertati committere, eo tandem devenit, ut illum ad litterarum studia, nunquam illa quidem intermissa, veruntamen haud eadem assiduitate Tridenti, qua Patavii exculta remitteret : sic ratus fore, ut brevi, et aetate provectior, et doctrina instructior ad Urbem destinari posset. Duo nondum exierant menses, ex quo Tridento discesserat Scipio, cum litteris Aemiliae matris accitus, permittente Hercule, Mantuam, atque inde ad Sanctum Martinum oppidum profectus est. Profectionis causa, ea fuit, quod cum per eos dies inter Aemiliam, quae rem omnem pro filiis administrabat, et Vespasianum, quem ex eorumdem Tutoribus unum a Carolo relictum diximus, de fini-

bus Comessadii, vici ad Pyrrhi, et fratrum ditionem pertinentis, esset orta dissensio, verita Aemilia, quod postea accidit, ne gravis inde non modo lis, sed animorum disjunctio sequeretur, re prius cum duobus filiis natu majoribus communicata, ad Herculem Card. totum negotium perferri per Scipionem voluit: qui statim Tridentum advolans matris mandata exposuit. Hercules solita humanitate negotium complexus, Aemiliam quidem per litteras consilio, atque ope juvit, Scipionem vero, Patavium redire iussum, post biduum dimisit. Lubet hoc loco nonnulla, quamquam minutiora, ac leviora fortasse, quam ut memoratu sint digna, recensere, ut pateat, quam adversa ex eo tempore fortuna conflictari coeperit Scipio. Vix Patavium venerat, cum Hercules aegrotare coepit: et, quod pene incredibile videri possit, litterae, quae illum continuo fere subsequutae sunt, afflictam Cardinalis valetudinem, cum maximo vitae discrimine nuntiantes, illi non sunt redditae: redditae quidem alterae recentiores, quibus adeo remissa morbi vis nuntiabatur, ut propemodum consedisse videretur. His eodem tempore perculsus, et confirmatus Scipio, remetiendam sibi Tridentinam viam non existimavit: quod quidem fecisset, si priores litterae ad eum in tempore pervenissent: paucis vero interjectis diebus, ope-

ra Hippolyti Capilupii, Episcopi Fanensis, tunc apud Venetos Nuntium Apostolicum agentis, egregii viri, Herculique apprime cari, allatae ad Scipionem sunt postremae illae, quae deploratam Herculis vitam afferebant: quibus tandem motus Scipio, per dispositos equos summa celeritate Tridentum contendit: jamque, Veronam praetervectus, ad eum vix locum pervenerat, quo in loco duae coëunt viae, altera Mantuam, altera Veronam e Tridentinis alpibus ferens: nec dum aliquid comperti de Herculis vita, aut morte habebat; cum ecce eminus primo faces accensae, cruce interposita, mox atrata lectica sese illius oculis objecere. Tum vero quin Hercules obiisset minime dubitavit: sed tamen propior factus ex eorum aspectu, qui pompam ducebant, (erant quippe omnes ex Cardinalis familiaribus) rem apertius cognovit. Ita factum est, ut ipsum Herculis cadaver, quod Mantuam deportabatur, Scipioni primus mortis nuntius fuerit; ex quo miserabili, et luctuoso occursu quantum ipse stuporis primo, deinde moeroris conceperit, exprimi non facile potest [14]. Cum vero mutandi equi causa Volarum usque, qui pagus, in ipsis Alpium faucibus situs, non longe aberat, fuisset progressus, ibi a Caesare Malfictae Principe, qui sibi patrui corpus in itinere comitandum, et custodiendum susceperat, per nun-

tium rogatur, ut una secum Mantuam divertat: cui libens Scipio obtemperavit; neque enim erat, cur Tridentum porro contenderet, nisi forte voluisset alterius Legati morti interesse, quae accidit quintodecimo post Herculis excessum die. Fuit is Hierònymus Seripandus, ex Eremitana Sancti Augustini familia, vir doctissimus, et summa benevolentia Mantuano conjunctus: in quorum postea locum a Pio suffecti sunt Joannes Moronus, et Bernardus Navagerius Cardinales, qui sub exitum ejus anni cum caeteris sacrae illi Synodo finem, Deo adspirante, imposuerunt. Mantuam igitur, converso itinere, profectus Scipio, quae Tridenti novissime acta fuerant, cognoscit; nimirum Herculem, ipso obitus die, propinquorum, quorum casu quodam magnum numerum eo tempore penes se habuit, ac quorundam etiam familiarium precibus adductum, novum condidisse testamentum; in eoque, praeter alia multa ab ipso mutata, nonnihil eorum, quae antea Scipioni legaverat, detraxisse: quod tamen ipse aequissimo animo tulit, cum certo sciret, id non amoris erga se remissione, sed nimia eorum, qui aderant, importunitate accidisse. Id vero ex re ipsa intelligi facile potest: nam quod decem millium aureorum summam, quam ei in priori testamento decreverat, ad sex millium tantum redigi, eamque

nonnisi ex fructibus proventuum, quos in Hispania habebat, exigi ab eo posse voluerit, id familiarium opera factum esse nemo non sensit: qui, cum sua legata legato Scipionis, ut quantitate inferiora, sic ordine posteriora intelligerent, veriti, ne minor pecuniarum suppeteret copia, quam quae tot vel munifici, vel grati animi officiis explendis foret satis, ad eum, quem diximus, modum sibi, alterius damno, consuluerunt. Quod vero praedium quoddam, libere antea relictum, postea, decedente Scipione, ad Friderici Maffeii Comitis filios transferri mandaverit, quis ambigat, id praesentis ipsius Friderici precibus datum? qui cum ex Isabella Herculis filia tres sustulisset liberos, aliquid illis in matris gratiam dari postulaverit: cumque nihil jam amplius, quod daretur, superesset, bonis omnibus inter fratrum filios distributis, in absentem denique factam esse conjurationem? In caeteris ad Scipionem pertinentibus prius testamentum confirmatum est: quanquam ne horum quidem possessionem adire potuit Scipio, nisi post longam juris disceptationem: obsistente illi maxime Joan. Jacobo Parisio Calabro, qui olim philosophiam Patavii publice professus, cum se Romam postea transtulisset, Mantuam inde missus, Francisci Cardinalis ibidem hereditatis negotium procurabat. Cur autem tam mul-

ti eodem tempore, ex eadem cognatione, Tridenti exi-sterent, ea fuit causa, quod Guillelmus Dux hone-stissima, ac numerosa stipatus caterva Mantua disces-serat, ut Ferdinandum Imperatorem Oeniponte tunc agentem officii causa inviseret: cum vero Triden-tum, qua necessario iter erat faciendum, pervenisset, Herculem ibi aegrotantem invenit: quamobrem sibi non progrediendum ratus, donec quem exitum habi-turus esset morbus videret, substitit, rei eventum ex-pectans. Mortuo vero Hercule, Germanica profectio-ne in aliud tempus dilata, Mantuam extemplo rever-tit. In ea urbe coactus est Scipio aliquot menses tran-sigere, quo rebus suis domesticis consuleret: qui-bus compositis, Patavium denuo se contulit, eandem prorsus vitae, ac studiorum rationem sequutus, quam, vivente Hercule, inierat. Illud unum proprio effecit consilio, quod cum philosophiae studiis, quibus so-lis ad illum usque diem operam dederat, sacrae the-ologiae studia conjunxit, tum quod hominem eccle-siasticum ea maxime decere intelligeret, tum etiam quod sibi Patavio discedendum non putaret absque doctoris insignibus. In utrisque autem praecipuo deinceps usus est praeceptore Friderico Pendasio Mantuano: cujus etsi potissima laus in peripatetica disciplina apud omnes magnopere inclaruerat, ad sum-

mam tamen in philosophiae studiis praestantiam eximiam quandam theologiae quoque sibi adjunxerat cognitionem. Id cum alias, tum praesertim in sacra Tridentinae Synodi celebritate perspectum est: quo in loco et peracutas ipsius, et pias de rebus altissimis disputationes, quas Herculis Cardinalis jussu publice habuerat, mirifice commendari, atque adeo in caelum ferri ab plurimis audiverat Scipio: ex eoque illius ingenium ita admiratus erat, ut non multo post Marino Caballo V. C. ac Patavini gymnasii moderatori auctor fieret hominis arcessendi, atque amplissimo interpretandi munere cohonestandi.

Quoniam vero humaniores, quas vocant, litteras non idcirco sibi omnino deserendas existimabat, commodissimum statuit privatam Academiam instituere [15], in qua non sibi solum, sed aliis plerisque daretur facultas, tum stili exercendi, tum quae didicerant, ex moralibus praesertim, interpretandi, tum denique aliquid et soluta, et metrica oratione scribendi. Itaque ad eam rem ex omni studiosae juventutis multitudine, accitis viritim, ac selectis iis, qui ingenii acumine, atque elegantia praecellere visi sunt, brevi effecit, ut viginti nobiles adolescentes, quorum postea numerus in dies valde auctus est, sua in eam rem darent nomina, seque iisdem legibus ob-

stringi paterentur. Praecipuum Academicorum institutum illud erat, ut singulis hebdomadis ad Scipionem bis convenirent; die dominico, itemque eo, qui per hebdomadam gymnasii professoribus ad animi remissionem dari consuevit. Ibi ab uno ex Academicis, cui aut sors, aut Academiae praefectus id muneris injunxisset, vel aliqua habebatur oratio, ut in creandis magistratibus, quod tertio quoque fiebat mense, vel aliquid more doctorum e suggestu explicabatur, eo idiomate, et iis de rebus, quae dicenti cuique maxime placuissent; dummodo ab iis disputationibus abstineret, quae vel quidpiam obscoeni, maledicive continerent, vel in scholis ab aliis tradi solerent. Peractis iis, quae ad graviora pertinerent studia, si qua carmina Latino, aut Etrusco sermone conscripta in arculam quandam ad hoc ipsum majori cathedrae appositam injecta fuerant, extrahebantur, et elata voce ab eo, qui Academiae erat a secretis, censorum tamen permissu,recitabantur. Quae res, uti auditores, qui ferme aderant frequentissimi, non mediocriter oblectabat, sic tandem aliquod sui monumentum posteris relinquendi universae Academiae occasionem praebuit. Cum enim id aliquando in consultationem venisset, viderenturque orationes, aliaequae tractationes ab Academicis habitae diligentiorem, at-

que exactiorem postulare censuram, quam, quae brevi temporis spatio adhiberi posset; statuerunt, edendas esse poeticas tantum lucubrationes, ex iisque non Latinas, sed quae Tusco sermone constabant. Itaque, selectis paucis quibusdam, ea quam emendatissime typis cudenda curarunt. Extat libellus sub hoc titulo: Academicorum Aetherorum Carmina: in quo licet nonnulla perlegere, quae Scipio ipse juvenis conscripsit. Is quidem ad illud usque tempus, quo ad aetatis calorem ardentior quidam pulchri sensus accessit, poeticis rebus mirifice addictus fuit: quanquam idem, ut Patavio discessit, vix dici potest, quam alienus ab iisdem fuerit: sic prorsus, ut quamvis interdum vel rogatu amicorum, vel suapte sponte conatus sit aliquam animi sui sententiam versu exprimere, nunquam tamen, aut perraro id assequi commode potuerit. Neque vero Aetherorum Academiae illud tantum extat vestigium, sed ex nonnullis etiam eruditorum virorum libris Academiae ipsi dicatis licet existimare quam celebris praestantium adolescentum coetus ille fuerit. At haec aliquanto post acta sunt.

1565 Iam biennium ab Herculis morte effluxerat, cum Scipioni nihil minus tum cogitanti occasio oblata est aliquam Germaniae partem, praecipuam illam tamen, utpote quae ipsius Caesaris sedes esset, perlustrandi.

Hujus itineris etsi potissimam eam praesetulit causam, ut Maximilianum Caesarem, qui superiore anno Ferdinando patri vita functo successerat obsequii gratia inviseret; potior ea tamen fuit, ut negotium, quod sibi, et fratribus cum Vespasiano patruele intercedebat, ad Caesarem deferret. Siquidem post Herculis obitum res eo devenerat, ut Vespasianus ad litem, quam diximus, de finibus Comessadii, alteram longe graviorem addere festinaret, qua non solum pagus universus, sed omnia insuper oppida, quae vel ipsi fratres, vel Fridericus patruus jure haereditario possiderent, in controversiam vocabantur. Id se facere Vespasianus profitebatur nullam aliam ob causam, quam quod iniquo ferret animo, Aemiliam illorum matrem, quam penes erat rerum administratio, parem sibi omnibus in rebus esse velle: quae vicissim alias non leves privatae cum eo simultatis causas afferebat. Quare magno utrinque odio res agi coeperat:cum Scipio a matre accersitus (longius enim aberat maior natu Pyrrhus, paucis ante annis Cardinalis Mantuani opera conditionibus honestissimis in Cosmi Florentiae Ducis clientelam acceptus,) Germanicam profectionem suscipere jussus est. Ad quam dum ille se lubens accingit, Fridericus patruus motum hunc ad se quoque pertinere non obscure intelligens, itine-

ris socium se illi adjunxit. Quo aegre adsumpto, (neque enim ipsorum ingenia conveniebant) Augusto mense iter ambo sunt ingressi. Cum Oenipontem totius Tyrolis Comitatus metropolim venissent, absente Ferdinando Archiduce, qui eo tempore Maximiliani fratris in regno Bohemiae Vicarium agebat, salutatis ejusdem sororibus, quae aderant quinque, quarum duae Barbara, et Joanna jam per nuntios ibi tum agentes, Alfonso illa Ferrariae Duci, haec Francisco Florentiae Principi, desponsae fuerant, emptum navigium conscenderunt; ac secundo flumine Oeno in Danubium ad Pataviam delati, quinto die Viennam Austriae pervenerunt: unde eodem ipso die Alfonsus Ferrariensium Dux, qui et ipse officii causa ad Caesarem accesserat, rediturus in Italiam, in viam se dederat. Cognito eorum adventu, Caesar non modo diem illis indixit, quo die adiri vellet, sed hoc etiam eos honore prosequutus est, ut aditum illis statim patere jusserit ad proximum intimo cubiculum, quo perpauci, ni aliquo insigni honore, aut curatione praefulgeant, admitti solent: ii ad constitutum diem Caesarem adierunt, ab eoque, quae ipsius erat singularis, atque incomparabilis humanitas, perbenigne excepti sunt. Neque vero primo illo, vel altero congressu ullum ii de rebus suis verbum fecere: et diutius fortasse facere

distulissent, ne eam praecipue ob causam advenisse viderentur, nisi ipse Caesar eos ad ejusmodi colloquium quasi manu traxisset. Cum enim quodam die paullo ante coenam, dimisso Senatu, interiore cubiculo egressus, in proximo, ubi complures Proceres, atque in iis Fridericus, et Scipio aderant, constitisset; omnibus tunc posthabitis, duos tantum ad se Gonzagas vocavit: paucaque cum Friderico loquutus de podagrae morbo, quo uterque non mediocriter laborare consueverat, ad Scipionem deinde conversus, communiter ambos interrogavit, num ipsis aliqua in re opera, ac patrocinio suo opus esset? Tum Scipio insperatam occasionem cupide arripiens, quaecumque prius animo conceperat de communi eorum statu longa, ac diligenti oratione persequutus est. Quibus omnibus Caesar tam facilem, ac benevolum se auditorem praebuit, ut, nec attentio maior, nec evidentior miserentis illorum animi significatio desiderari posset. Itaque in eam sententiam responso dato, ut bono eos animo juberet esse, a seque omnia, quae, salva justitia, fieri possent, facile expectare; commentarium postulavit, qui totius causae capita contineret: quem Scipio cum postridie attulisset, Caesar, multis praesentibus, illum cuidam e familiaribus ita tradidit adservandum, ut

diligentissime commendasse videretur. Interim Vespasianus sibi non deerat: sed, misso procuratore, enixe apud Caesarem agebat, ut quae sibi jura competere arbitrabatur, eorum cognitionem alicui vel Senatui, vel Principi in Italia delegaret. Cujus postulato cum abnuere non posset Caesar, cuperetque nihilominus alteri parti, quantum in ipso erat, satisfacere, negotium quidem omne Octavio Parmae, ac Placentiae Duci commisit; illud tamen serio praecipiens, ut, accersitis partibus, prius omne studium in iis componendis adhiberet: quod si minus e sententia cederet, id tandem faceret, quod rationi, ac juri videretur maxime consentaneum; sed utique summatim, atque omni cavillatione, et judicii (ut dicitur) figura remota. His ita constitutis, Fridericus, et Scipio potestatem in Italiam redeundi a Caesare petierunt; id maxime contendente Friderico, quod metueret, imminente jam hieme, ne podagra correptus, cogeretur hiberna tempora sub frigidissimo caelo transigere. Annuit Caesar, et ne prorsus inanes ab se dimitteret, utrumque Sacri Romani Imperii Principem, illis ita poscentibus, creavit; Gazolique toparchiam in Marchionatus titulum extulit. His aucti honoribus, quadragesimo post quam accesserant die, per Styriam, et Carinthiam, provincias Carolo Ar-

chiduci subjectas, Italiam repetiere; quam antequam attingerent, accidit, ut a diuturno convictu disjungerentur: cujus rei series, tum quod non injucundam legentibus verisimile est futuram, tum quod quale utriusque ingenium fuerit, non levi docebit argumento, nequaquam videtur esse praetereunda silentio.

Multa, dum Viennae in eodem hospitio ambo degerent, tum dixerat, tum fecerat Fridericus, quae aures Scipionis, atque animum non mediocriter laeserant: is tamen cum se longe juniorem patruo, illum vero ad iracundiam procliviorem, quam saepe tamen poenitentia sequeretur, sciret; simul loci rationem haberet, in quo, quantunvis parva, inter eos verborum altercatio magnum utriusque ludibrium, ac contemptum excitasset, omnia patientissimo animo tulerat, ne, quod cum illo iter coeperat, seorsum cogeretur conficere: quod ipsum fuit causae, cur Scipio suas rationes haud levis momenti prae patrui observantia, et caritate negligeret. Magno quippe desiderio, vel necessitate potius tenebatur diutius in iis regionibus commorandi, tum ut magis, ac magis sese in Caesaris gratiam, ac clientelam insinuaret, tum ut cujusdam sibi subjecti audaciam, qui, Vespasiani, ut putabatur, potentia fretus, Aemiliam matrem maledictis apud Caesarem insectari non de-

sinebat, reprimeret; veruntamen ob id unum, ne alieno videretur in Fridericum animo, inchoatum illud negotium maluit imperfectum relinquere, quam, quem venientem comitatus fuerat, eidem etiam redeunti haud praesto esse. Quo quidem nomine plurimum se illi debere Fridericus professus, gratiam dein ejusmodi retulit. Jam octo, aut novem dierum iter emensi fuerant, nec longius aberant Villaco, insigni Carinthiae oppido, passuum millibus circiter xxv., cum prima luce Scipio paullo ante Fridericum iter cum suis aggreditur: ita enim saepe facere solitus erat, quod Fridericum equo vectum velociore assequi non facile posset. Interim accidit ex improviso nescio quid, quo motus caupo graviter apud Fridericum in ipso equi ascensu conquestus est, abire hominem vetans, nisi certa pecunia persoluta. Hic enimvero stomachari Fridericus, et de suis quaerere, quidnam hoc rei esset? Tum a pedibus quidam summae calliditatis adolescens, quem Fridericus nusquam antea visum, aut cognitum Oeniponte eam tantum ob causam, quod Italus sermonem calleret Germanicum, essetque ingenio, ac lingua valde promptus, in suorum numerum adsciverat, culpam omnem in unum rejicit ex Scipionis familiaribus, a cubiculo, probatae fidei hominem, diuque in Hercu-

lis Cardinalis famulatu cum laude versatum . His Fridericus auditis, ac sine ulla dubitatione in animum demissis, ira fremens misit statim, qui eum juberet ad se venire : is citato equo praeeuntes facile consequutus Friderici mandata exponit . At Scipio , quanquam rei totius ignarus, tamen, cum ex aspectu non minus, quam verbis nuntii, aliquid incommodi accidisse , non minimumque homini periculum , si solus regrederetur , imminere intelligeret ; illum quidem vehementer ambigentem quid sibi faciendum esset ad Fridericum praemisit ; ipse vero continuo subsequutus est , ut vel sola praesentia , vel , si ita res tulisset , manu etiam subsidio illi esset . Fridericus simul atque hominem vidit , admisso equo , jam videbatur gravius in eum consulturus ; sed ut eodem fere temporis momento Scipionem appropinquantem conspexit , manum quidem abstinuit , verba autem non modo non comspescuit , sed , elata multo magis voce , necem illi minitari non desinebat . Scipio blando primum sermone concitatum patrui animum mollire conatus est : se quidem adduci non posse ut crederet , familiarem suum , cujus opera multos annos fideli , ac diligenti usus esset , id commisisse , propter quod ipse in eum exarserat : ne tamen , suam defendendo , alienam familiam improbae fidei videretur

arguere, paratum se esse cauponi satisfacere de suo; propterea rogare, ut ira, ac minis finem aliquando imponeret: jurgia tali viro, et tali in loco (erant enim in ipso foro cujusdam non ignobilis pagi, multique ad verborum strepitum confluxerant) indigna esse in hominem praesertim tanto inferiore loco natum effusa. Sed cum Fridericus ejusmodi rationibus nihilo magis flecteretur: quinimmo submissione ipsa implacabilior fieret, identidem affirmans, ne superos quidem sibi erepturos, quominus improbus ille admissum scelus capite lueret; victa tandem patientia, Scipio vicissim in ea prorupit verba. Nec vero tu, nec mortalium quisquam tanti erit, ut vel unicum illi, me invito, capillum torqueat; quod si quis id ausus fuerit, certo sciat, sibi prius mortis periculum adeundum. Tum Fridericus dentibus frendens, admota manu alteri e duobus parvis tormentis, quae ab ephippio suspensa gerebat, jam jam illud e vagina velle videbatur educere, ut in Scipionis pectus exploderet: ille tamen immotus omnino persistens, ne aut idem ostentando, (nam et ipse eodem armorum genere instructus equitabat) Fridericum magis irritaret, aut pedem referendo, timorem, quo nullo tenebatur, indicaret, id unum effatus; vide quid agas, ne, quo alterum damno afficere vis, id in tuum

recidat caput, quo res evasura esset, attente expectabat. Tandem ille, vel rem maturius perpendens, vel desperans, posse se aliquid impune efficere, contulit se iterum ad verba iracundiae plena, in quibus cum forte sibi dira fuisset precatus, quod talem sibi itineris socium adhibuisset, Scipio nihil cunctatus; hanccine, inquit, mihi mercedem reddis pro eo, quod subii, incommodo, ut te assectarer? sed quando comitatum meum aspernaris, indignus vita ipse habear, si tuum amplius curem. Atque, his dictis, equo subdens calcaria, iter cum suis denuo arripuit, Friderico post se relicto. Qui tamen non ita multo post illum assequutus, ut qui, sicuti diximus, velociori utebatur equo, insalutatum praetergressus est. Ventum deinde est ad pagum, in quo unicum erat hospitium, ubi uterque pransus est, sed separatim, ita ut alter alterum ne videret quidem. Sumpto prandio, praemisit Scipio ex suis, qui Villaci, ubi erat ea nocte quiescendum, quam commodissimum sibi hospitium pararet; ipse vero tardius, quam Fridericus, iter est aggressus. Ad idem igitur hospitium, cum Fridericus ipse prior accessisset, audito, ibi Scipionem expectari, ad aliud minus instructum divertit. Ita ambo Villacum pervenerunt, quo in loco cum integram, ut minimum, diem commorari uterque

jamdudum decrevisset, quod ab omnibus fere fieri consuevit, ad reficiendas equorum vires, nonnulli ex familiaribus Friderici Scipionem convenientes, coeperunt cum eo de concordia agere: quam quidem Scipio minime respuebat, ut qui vehementer doleret, Fridericum eo levitatis processisse, ut tollerantiae, ac patientiae laudem, quam ad illum usque diem meruerat, sibi quodammodo ademisset. Nihil tamen actum est: cum enim Scipio illud unum peteret, ut Fridericus, si minus verbis, aliqua saltem significatione, ingratum sibi, aut injucundum ipsius comitatum non futurum declararet; abnuit Fridericus, quasi inhonorificum duceret eorum, quae temere in ipsum protulerat, palinodiam canere. Cujus rei indignitate etsi plurimum permotus est Scipio: ut tamen appareret, per ipsum non stare, quo minus res componerentur, antequam Villaco discederet, ad Friderici hospitium, ut eum salutaret, accessit. Qui, se in lecto esse respondens, admittere eum noluit. Ita Scipio levem, atque insulsam hominis constantiam ridens, reliquum iter solus confecit, Pataviumque venit: unde statim per nuntium Aemiliam matrem de rebus omnibus, sicuti actae erant, certiorem fecit. Quoniam vero dissidii inter hos mentio facta est, non erit abs re, qualem etiam habuerit exitum, re-

censere; ne quis existimet, diuturnis inter eos odiis esse certatum. Neque vero dissidii minus ridiculus eventus, quam leve fuit initium. Paucis post diebus occasio, quae mox subjicietur, Scipioni sese obtulit Mantuam proficiscendi: quo cum venisset, aulamque aliquando Guillelmi Ducis, ut moris est, adiisset, ibi Fridericum cum aliis plerisque invenit: quem etsi audierat de se post reditum honorifice admodum loquutum fuisse, ex quo intelligi potest, eum ad se jam redisse; tamen, cum nondum sibi explorata illius esset voluntas, videre se illum dissimulavit: at Fridericus, simul ac Scipionem ingredientem conspexit, relictis iis, quibuscum colloquebatur, ad eum gratulabundus accurrit; cui venienti cum occurrisset Scipio, mutua caritate inter se complexi, nulla prorsus praeteritarum rerum facta mentione, ad antiqua benevolentiae, ac necessitudinis officia rediere.

Convenerant per eos dies variis e regionibus Mantuam plerique Proceres: cum primum enim Pius Pontifex certior factus est, Barbaram, ac Joannam Austriae Archiducissas, quas supra diximus Ferrariae Duci, et Flòrentiae Principi fuisse desponsatas, Italiae finibus appropinquare, ad utramque singulos Cardinales legavit: hi fuerunt Carolus Borromaeus sororis filius, et Guido Vercellensis Borromaei conso-

brinus; qui, Tridentum usque progressi, itineris earum non comites solum, sed duces etiam se praebuerunt. Hos omnes Christophorus Princeps Tridentinus, et Ludovicus Madrucius Cardinalis Mantuam usque comitati sunt; quo paullo ante Franciscus item Cardinalis Gonzaga primo dictus, sed, defuncto Friderico, Mantuanus et ipse nuncupatus, Roma pervenerat, ut Mantuanam Ecclesiam, quam ipse nuper a Pontifice administrandam susceperat, coram inspiceret. Triduum Austriacae Reginae (nam hoc etiam nomine appellabantur) cum Eleonora sorore, ac Guillelmo sororis viro moratae, iter jam coeptum sunt persequutae; sed in ipso Mantuae egressu disjunctae, ac diversae, altera Ferrariam, Florentiam altera petiere. Barbaram deduxit Vercellensis; Joannam Borromaeus; ex nostris autem Guillelmus Dux cum Eleonora conjuge, et universa fere cognatione Ferrariensibus nuptiis interesse voluit; Franciscum vero Cardinalem ut Florentinis adesse vellet rogavit; eique ex propinquis unum Scipionem nominatim adjunxit. Ita in varias partes vario eventu itum est: nam qui Ferrariam sunt profecti multis, et iis quidem praeclaris spectaculis oblectati sunt; qui vero Florentiam adibant, Bononiam nondum pervenerant, cum, nuntio accepto, Pium Pontificem gravissimo, a le-

tali laborare morbo, Bononiae tandiu consistere, donec certi aliquid de ejus aut recuperata valetudine, aut morte afferretur, decrevere. Itaque insequenti nocte, cognito per certos tabellarios, illum jam ex humanis excessisse, (excesserat autem V. Id. Decembris) Franciscus Cardinalis, omnibus aliis cogitationibus posthabitis, Romam sibi advolandum statuit. Scipio vero, quanquam Francisci voluntate Romam eum sequi poterat, cum tamen se a rebus omnibus, quae ad hujusmodi iter cum dignitate conficiendum pertinebant, imparatum cerneret, Patavium redire maluit, eo consilio, ut dum in Urbe haberentur comitia, ipse Patavii doctoratus insignia acciperet, Romam statim post novi Pontificis creationem profecturus: qua in urbe Franciscus, ut qui Scipionem benevolentia minime vulgari complecti coeperat, et cubicula honestissima in suo Palatio ad S. Laurentii in Lucina, et alia omnia, quae ab amicissimo propinquo expectari poterant, humanissime deferebat. Sed longe aliter evenit res, atque illi existimarant: nam et novus Pontifex declaratus est antequam Scipio renuntiare- 1566
tur sacrae theologiae magister; et, quod multo minus verisimile videbatur, ipse Franciscus pridie quam comitia solverentur, vitam cum morte commutavit. Quo factum est, ut Scipio, quamvis inse-

quenti mense, qui fuit Februarius anni MDLXVI. in theologorum numerum esset cooptatus, [16] Romanam tamen profectionem totum insuper annum distulerit. Pii IIII. mors Scipioni perincommoda accidit: is enim, opera Cosmi Florentiae Ducis, qui summa apud Pontificem erat auctoritate, paullo ante ab eo ad cubicularios intimos adscriptus fuerat: quem si locum tenere aliquandiu potuisset, defunctis praesertim omnibus gentis Gonzagiae Cardinalibus, nulli dubium erat, quin certissima illi maximarum rerum spes proponeretur. Accedebat, quod Pius, ut Carolum Scipionis patrem optime noverat, ita non minimum se illius meritis debere intelligebat, propter egregiam ab ipso navatam operam Joan: Jacobo Marchioni Mariniani Pontificis fratri in bello Senensi; quo etiam nomine Cosmus Dux miram in Caroli filios animi propensionem praeseferebat. Ad hoc incommodum illud statim nihilo levius accessit. Cum enim, mortuo Francisco, omnes fere in unum Scipionem animos, atque oculos convertissent, quippe qui ex universa familia solus ad illum usque diem litteris operam dedisset, solusque clericalem vitam jamdudum profiteretur, Guillelmus tamen Dux non alium modo (is fuit Joan: Vincentius, Francisci Cardinalis germanus frater natu minor) illi praeferendum censuit, quem tum ipse ec-

clesiasticis proventibus locupletaret, tum a Summis Pontificibus ad Cardinalatus ordinem extollendum curaret; verum etiam, cum multa, eaque pinguia sacerdotia sine rectore essent, quae patronatus jure distribuenda illi erant, ea potius (unico excepto Monasterio in ditione Monteferratensi, quod ipsi Joan: Vincentio committendum curavit) extra familiam conferri, quam vel minimam portiunculam Scipioni attribui passus est: cujus quidem rei nulla omnino a quovis assignari potuit causa, praeter nimiam, qua Hercules Cardinalis prosequutus Scipionem fuerat benevolentiam: cujus fortasse vestigiis inhaerere inhonorificum Guillelmus duceret. Id Scipio graviter quidem tulit: nullam tamen unquam aut offensi, aut consternati animi significationem dedit: quin potius omni spe in Deo, ac virtute reposita, quod antea consilium inierat Romam proficiscendi, in eo se magis, ac magis confirmavit. Interea Joan: Vincentius, cujus modo mentionem fecimus, Abbas factus Lucediensis, clericali tum primum habitu Patavium venit, ut litteris, quarum ad illud usque tempus expers omnino fuerat, operam daret: religioni quippe Hierosolymitanae a primis annis adscriptus; Barolique prioratu ope Ferdinandi patris insignitus, in iis, quae ad navalem militiam pertinent, se exercuerat:

nec solum ordines duxerat, sed toti classi biennium ipsum non sine laude praefuerat. Hunc Scipio, quanquam, ob Guillelmi Duci propensum studium, pleno sibi praeeuntem gradu ad maximos honores conspiceret, ita tamen vacuo livoris animo excepit, ut familiarissime cum eo vixerit, eumque coluerit unice.

Per idem fere tempus evenit, ut Hippolytus Cardinalis Ferrariensis, maximi consilii, ac prudentiae vir, Roma profectus Ferrariam contenderet, ditionem illam omnem administraturus pro Alfonso Duce, qui in Hungarico Bello, quod Turcarum Rex Solimanus intulerat Maximiliano Caesari, operam suam praestabat. Ad hunc cum plerique ex proximis locis, et in iis Joan: Vincentius salutatum accurrerent, visum est Scipioni, ad se quoque id genus officii pertinere, tanquam ex ea natum gente, quae cum gente Estensi arcto necessitudinis, atque affinitatis vinculo conjuncta esset; sed adversa retentus valetudine, qua per aliquot menses laboravit, officium aliquandiu differre coactus est. Scripsit tamen, idque ab Hippolyto responsum tulit, ut nullo pacto posset profectionem detrectare. Cum primum igitur per valetudinem licuit, Ferrariam accessit: ubi ab Hippolyto non solum hospitio, sed omni alio humanitatis genere exceptus est. Aderat et Aloisius Cardinalis

Estensis Alfonsi Ducis frater, quicum ab aliquot annis summa Scipioni intercedebat familiaritas : ambo igitur totum quàtriduum, quo Ferrariae Scipio moratus est, in eo fere consumpserunt, ut Scipioni persuaderent, quando, exacta hieme, profecturum illum esse Romam sciebant, cum Hippolyto, qui ad idem tempus reditum suum in urbem parabat, non modo iter illud suscipere, sed inter ejus familiares deinceps numerari se pateretur. Scire quidem se, ajebat Hippolytus, quo loco Scipio habitus semper a Mantuano Cardinali fuisset: sed utique curaturum, uti nihilo minus paternam Hippolyti nunc, quam Herculis olim in se benevolentiam, et caritatem agnosceret : cujus quidem rei eo majora, atque evidentiora ab se testimonia expectari deberet, quo major sibi, quam Herculi, dum ageret in humanis, suppeteret facultas ipsi gratificandi : rogare, ut quam sibi de eo pollicebatur animi propensionem, ejus unam hanc significationem extare vellet : sibique persuaderet, effecturum se, ut eum nullo unquam tempore illius facti poeniteret. His, et id genus multis rationibus non Hippolytus solum, sed Aloisius etiam, et alii nonnulli ex primoribus in suam sententiam Scipionem trahere conati sunt. At ille, quamvis Hippolytum maximi faceret, cum tamen suo arbitra-

tu vitam inde agere in animo haberet ; simul memoria teneret , quibus se , et Pyrrhum fratrem beneficiis , gratique animi signis prosequutus semper fuisset Cosmus Florentiae Dux, vir familiae Estensis non studiosissimus, constantissime recusare , saepeque illud repetere; se Hippolyto , atque adeo genti Estensi universae addictissimum quidem semper futurum , in eumque, uti praecipuum patronum , omnia officia , atque obsequia collaturum : malle tamen id solutum, quam ulla obstrictum lege praestare ; quo Hippolytus , ac caeteri intelligerent , se , quod facere statuerat , id non pudore adductum , sed sponte , et ex animo facere . Hoc dato , ac saepe iterato responso, Patavium rediit . Nihilominus Ferrariensis , cum eo esset ingenio , ut quod vehementer cuperet , non facile id sibi denegari pateretur : deque rerum , quas agendas suscipiebat, exitu nunquam fere desperaret; quae coram verbis cum praesente egerat , eadem litteris cum absente agere perrexit ; resque tandem eo perducta est , ut , nisi conditionem acciperet Scipio , hostem sibi , non patronum , aut patrem (uti ipse Hippolytus dicere consueverat) parasse videretur . Annuit igitur , quamvis invitus , ac se in ejus familia futurum pollicitus est , illud maxime veritus , ne , si tanti Cardinalis in ipso Urbis ingressu gratiam ne-

glexisset, id sibi arrogantiae vitio adscriberetur. Atqui si accusationem hanc effugit, effugere certe non potuit quin plerique detraherent; quasi, ob nimiam rerum suarum tenuitatem, propriis diffisus viribus, ad alterius clientelam se contulisset. Interim Scipio, cum jam parata omnia haberet, quae ad Romanam 1567
profectionem erant necessaria, exiguaque hiemis pars reliqua esset; relicto Patavio, simulque, scholastica vita, qua nulla inter homines, quos diviniori pabulo caelestis gratia non exsatiet, jucundior, aut suavior esse potest, valere jussa, in patriam se recepit, ubi integram fere Quadragesimam amicis, ac propinquis visendis consumpsit. Sanctissimo autem dominicae Resurrectionis die Mantuae peracto, per Mincium, et Padum navi Ferrariam delatus, Hippolytum convenit, et cum eo eadem ipsa hebdomada iter per Aemiliam, et Flaminiam est ingressus. Ex itinere Maria Domina in sacra aede Lauretana pie salutata. Quo in loco quid Scipioni acciderit silentio nullo pacto involvendum; ne ipsius, quam Dei, et Beatissimae Virginis Matris, quae ibi tanta populorum frequentia, ac religione colitur, gloria pluris fieri videatur. Ad hoc totius Orbis sanctissimum, atque augustissimum templum venerat Scipio, uti non proprio pietatis instinctu, ita animo parum col-

lecto, nec satis parato ad expiationem peccatorum suorum. Augebat hominis scholasticis simul, atque aulicis adhuc imbuti moribus teporem sumptae recens Eucharistiae recordatio; in ipso nimirum festo die Paschali; quasi vero religio esset bis in mense Angelorum inire convivium. Verum simul atque, interiorem illam aediculam ingressus, in qua inscrutabile divinae Incarnationis mysterium olim consummatum est, coepit distractas animi vires in unum cogere, et ad se reverti; tantus repente timor illum invasit, ut nisi confessionis gratia ad sacerdotis pedes protinus accidisset, vivum se, aut certe inculmem Recinetum usque, ne dum Romam perventurum esse diffideret. Divino igitur, ut pie credidit, placato numine, ac poenitentia rite expiatus, ad sacram illam aram contulit se denuo, ibique illum ipsum humani generis Servatorem, a quo excipiebatur, excepit, non sine maxima animi sui voluptate: in cujus cibi fortitudine reliquum postea iter feliciter confecit. Sic Romam itum: ubi quanquam in Cardinalis Ferrariensis aedibus plura illi, atque ampla cubicula sunt attributa, quae honeste, et commode incoleret; seorsum ille tamen domum aliam conduxit, quae non modo omnem ejus familiam, sed et ipsum quoque, si quando vel animi, vel secretioris alicujus rei cau-

sa secederet, neque angusto, neque ignobili excipere posset hospitio. Pio IV. successerat in pontificatu Pius ejusdem nominis V., olim Frater Michael Ghislerius Cardinalis Alexandrinus, ex familia Praedicatorum: in cujus electione praecipuo quodam modo visus est Divinus Spiritus Cardinalium mentes afflasse. Cum enim rem humana prudentia aestimantibus complura impedimento esse viderentur, quo minus ille ad tanti honoris fastigium eveheretur; unus tamen miro Patrum consensu caeteris praelatus est: idque merito: fuit enim in omni vita admirabilis sanctitatis, atque innocentiae; eaque in pontificatu gessit, quae non nisi ab optimo, et a divinae legis studiosissimo Pontifice proficisci poterant. Ad hujus pedes Scipio sui statim adventus initio, introducente Hippolyto, venerabundus accessit; quem Pius vultu, ac verbis humanissime accepit. Cum tamen Scipioni constitutum esset nihil omnino agere, quod vel minimam Guillelmo Duci afferre posset suspicionem, ipsum Joan: Vincentii amplitudini, in quam jam jam illum evectum iri homines arbitrabantur, aut invidere, aut moram aliquam struere; ita a palatii apostolici frequentatione abstinuit, ut parvam omnino non modo cum ipso Pontifice, sed cum ipsius etiam domesticis familiaritatem contraxerit. Cardinales vero,

uti omnes invisit, ita nullius vitavit consuetudinem: quare illud brevi assequutus est, ut ab omnibus non mediocriter diligeretur; nonnullis autem ex primoribus, quanquam diversorum inter se studiorum, ita carus fuerit, ut iis quam familiarissime uteretur.

Paullo ante quam Romam veniret Scipio, Octavius Dux Parmensis cum frustra conatus esset controversiam, quae inter Vespasianum, et Aemiliam vigebat, ad concordiam adducere, coepto judicio, sententiam tulerat, qua decernebatur, dimidium fere illius pagi, qui totius dissidii origo fuerat, ad Vespasianum pertinere. Ea re non tam permoti Pyrrhus, et Scipio, quam experientia docti, omnia ab iis, qui rem ipsorum procurabant, inconsulto, ac temere fieri, (dum enim ipsi, suis quibusdam freti denuntiationibus, decerni aliquid posse constantissime negant, non animadvertentes, multa se postea effecisse, quae ipsis denuntiationibus adversarentur, per negligentiam, et inscitiam, quas tuendas susceperant, partes prodidere) inscia matre, cujus animum non modo a concordia alienum, sed ita affectum erga suos ministros sciebant, ut nihil non optimum ab iis proficisci posse crederet; non difficiles se iis praebuere, qui de tollendo dissidio cum illis agere coeperant; resque tandem ad exitum perducta; ini-

quis quidem conditionibus, sed quae tamen subeundae illis fuerunt, ne procuratorum ignavia gravius aliquid pati cogerentur. Ita a Vespasiano detrimentum est acceptum, uti per se non parvum, (cesserunt enim fratres totius vici Comessadii possessione; cedente vicissim Vespasiano omnibus juribus, quae illi quoquo modo possent in reliqua vel ipsorum fratrum, vel Friderici patrui oppida competere,) ita maximum, si, quae inde sequuta sunt, incommoda considerentur. Nam Fridericus, cum, lege evictionis in bonorum divisionibus apposita, sub dupli poena teneretur fratribus pro dimidia parte damni accepti satisfacere; nunquam id ut faceret aut rationibus, aut precibus adduci potuit. Itaque necessario itum est ad Judicem primae causae; a quo brevi lata est 1568
sententia, debere fratres in possessionem omnium ipsius bonorum, vel feudalium, immitti, donec integre illis de eo, quod liquido debebatur satisfieret. Contendente interim apud Caesarem omnibus viribus Friderico, ut, judicandi facultate Octavio Parmensi adempta, novum sibi Judicem Guillelmum Mantuanum Ducem constitueret; hujus tandem petitioni Caesar annuens, Guillelmum quidem judicem nominavit; Octavii tamen facultatem minime abrogavit. Id animadvertens Pyrthus (Romam enim jamdudum abie-

rat Scipio) Guillelmum adivit, ab eoque summis precibus petiit, ut ne hujusmodi judicio immiscere se vellet; quandoquidem, ex peritorum sententia, facultas illi a Caesare delegata manca esset, atque imminuta, nequaquam idcirco Octavii facultate sublata: se quidem una cum fratribus illi maxime omnium fidere, libentique animo eum semper rerum suarum judicem, ac moderatorem accepturum: donec tamen a Caesare amplior illi judicandi decerneretur potestas, permitteret, se primum sequi judicium; ne uno, atque eodem tempore duobus locis litem prosequi cogeretur. Hisce rationibus haudquaquam acquiescens Guillelmus, coepit nonnullis actibus jurisdictionem sibi tam infirme traditam valide exercere. Quamobrem Pyrrhus, tum ne benevolam prioris judicis erga se mentem abalienaret, tum ne videretur urbanitati potius, quam propriae, et fratrum utilitati consulere; cum praesertim ex jam actis non obscure intelligi posset, Guillelmum Ducem in Fridericum toto animi studio propendere, nihil cunctandum ratus, misit ex suis, qui sui ipsius, et fratrum nomine, uno Scipione excepto, qui hujusmodi consilii omnino expers fuit, jurejurando affirmaret, Guillelmum sibi esse suspectum: propterea se nullo pacto in ejus judicium consentire. Aegre admodum id

tulit Guillelmus : cum tamen nihil novi super ea re injungeretur a Caesare, coactus est eam cognitionem deponere. Interim vero, lata, ut dicebamus, a Parmensi secundum fratres sententia, Pyrrhus, quanquam ex ea sententia poterat in personalem se inferre possessionem tam Gazoli, quam caeterorum Friderici bonorum, eaque non ante excedere, quam dimidium ille bonorum amissorum redderet, vel aequa aestimatione rependeret; tamen, ne videretur in patruum acerbius agere, unius oppidi Dosuli possessione contentus fuit, Gazolo praetermisso, ubi ipse cum Lucretia uxore, et unico filio ex ea suscepto degebat. Sed cum ne sic quidem adduceretur Fridericus 1569
ut nomina explicaret; iterum itum est ad Parmensem: a quo severiori judicio altera quinto post mense adversus Fridericum sententia est pronunciata; et minister, ut prius, fratribus attributus, cujus auctoritate possent in Friderici bonorum possessionem iterum se immittere, donec non dimidium tantum bonorum amissorum, sed integram ille summam persolveret: sic enim inter ipsos, ut diximus, convenerat; Octavius autem, uti judex delegatus, non potuit, altera ex partibus instante, nisi ex eorum pacto, et convento judicium ferre. Quod tamen fratribus primum placuit, placuit et secundum, Gazolo nimirum

abstinere, seque intra unius jam recepti Dosuli possessionem continere. Sed omnia frustra tentata: nam Fridericus neque Judicis paruit decreto, neque fratrum facilitate adduci potuit, ut se aliquando ex hujusmodi curis eximeret: immo, cum evidentiora in dies irati erga fratres animi promeret argumenta, invitos tandem coegit ut novam ei molestiam, non sine aliqua ipsius existimationis imminutione, inferrent. Dixerat saepe inter suos Fridericus, non amore, sed timore adductum Pyrrhum Gazoli possessionem non pertentasse; quas voces ad se delatas risu potius, quam indignatione Pyrrhus exceperat: nam et ipse patrui dolori ignoscebat libenter; neque ea ad se magis, quam ad ipsos litis Judices pertinere statuebat: ubi vero illud insuper a Friderico jactatum audiit, non eum esse Pyrrhum, qui posset quovis conatu se a Gazoli possessione deturbare: paratum enim se esse omnibus viribus illi obsistere, ac repugnare; tum vero suo detractum decori arbitratus Pyrrhus, quendam illico ex suis misit, qui haec suis verbis Friderico renuntiaret; nunquam eo se fuisse animo, ut illum sua sede extorrem, ne ad modicum quidem tempus, voluerit; sed quando ipse talem suae lenitatis fructum perciperet, ut gratiarum loco timoris, atque imbecillitatis argueretur, usurum se

posthac jure suo. Quocirca caveret sibi Fridericus, et quam firmissimo sese muniret praesidio; sibi enim esse fixum e Gazolo illum omnino, quamvis invitum, ac reluctantem, ejicere; possessionemque a jure sibi concessam inire. Qua in re visus est Pyrrhus (magnis tamen lacessitus irritamentis) tum ferventi juventutis calori, tum rei bellicae studio, cui a puero deditus ordines jam duxerat, non parvamque sibi laudem conciliaverat, vehementer indulsisse. Neque eum tamen spes frustrata est: nam et Gazolum armis cepit, et ita cepit, ut singulari Dei beneficio, sine ulla cujusquam caede, sine vulnere voto potitus sit. Quo autem modo id evenerit, exsequi paucis libet. Fridericus audito Pyrrhi nuntio, neque omnino credidit ausurum illum tantum facinus, neque tamen imparatum se offendi posse voluit. Itaque, parva manu coacta, et dispositis custodiis, continebat ipse se in arce, quae ita turribus, et fossa munita erat, ut non nisi adhibitis majoribus tormentis expugnari posset. Interim apud Pyrrum pacata omnia: nullus militum delectus: nulla oppidanorum concursatio: nullus armorum apparatus: nullum denique infensi, aut ad vim inferendam parati animi signum. Inde paullatim Fridericus omnem suspitionem exuere. At ille de repente die quodam, prono iam in occasum sole, Alfonsum, Ferdinandum, ac Ju-

lium Caesarem fratres, Ferdinandum Rubeum sororis virum, qui tunc forte aderat, paucosque e clientibus ad se vocat: consilium adoriendi Gazoli explicat suum: quid muneris ab unoquoque obeundum sit, aperit: omnes denique armis, et animis paratos jubet esse. Distat oppidum S. Martinus, ubi Pyrrhus, et fratres jam diu sibi domicilium collocarant, a Gazolo quatuor passuum millia, ab Ollio flumine, quo Gazoli arcem allui diximus, passus circiter octingentos. Coacta igitur, quanta maxima in tanta temporis angustia fieri potuit, lintrium, cymbarum, aliarumque navicularum multitudine, prima vigilia quot quot ex oppidanis hujus rei causa armis, quae cuique ad manum fuerunt, instructi convenerant, qui ad centum, et triginta ferme erant, in eas naves imponit. Armatos praeterea circiter quinquaginta cum veterano Praefecto jubet ad oppidum itinere terrestri contendere; uti, dum ex altera parte ostentatur oppugnatio, ex altera eodem tempore facilior esset irruptio. Quod putarat evenit. Dum alterum agmen pedibus it, Pyrrhus interim ipse cum fratribus, et sororis viro piscatoria navi conscensa, secundo usus flumine, toti classi ducem se praebuit: veruntamen haud sine summo vitae discrimine; parum enim abfuit, quin navicula, qua vehebatur,

cum jam in Gazoli fere conspectu esset, vi fluminis eversa omnes demergeret. Sunt in ea amnis parte frumentariae molae complures, quarum munimini magnae circum sudes alte defixae sunt. In earum unam, quae aquis tegebatur, cum navigium cursu fluminis delatum esset, ita haesit, ut nutans, ac pendens, nunc undam exciperet prono latere, nunc depressum pondere trepidantium turbam jam jam effusurum videretur. Quis periclitantes servaverit, in obscuro est. Plures tamen eam laudem Rogerio cuidam e S. Martino, militi strenuo, magnique animi tribuunt: qui arrepto harpagone, ac proximae sublicae injecto tandiu naviculam tenuit, quoad plures aliae, expositis in ripa militibus, praetoriam praesenti exitio eriperent. Ventum est tandem nocte intempesta ad Gazoli forum; cum repente ex diverso arcis latere exauditur maximus tympanorum, armorumque strepitus, ab iis quippe excitatus, quos pedestri itinere Gazolum petere jussos diximus. Tum vero custodes id quod erat suspicati, omnes arma capere; oppidanos excire; dissonis clamoribus cuncta complere. Inter alios Fridericus ipse expergefactus rem serio agi intelligens, quamvis nequaquam satis prospera uteretur valetudine, et pedum praesertim infirmitate laboraret, equo vectus arce egreditur, longaque stipatus armatorum

caterva ad eam oppidi partem accurrit, unde primus armorum strepitus insonuerat. Interea Pyrrhus, ad marginem fori admotis navibus, militem exponere aggreditur; sed, occurrente illi non exigua oppidanorum manu, videbatur res non minimo confici posse negotio: jamque parva aliquot tormenta explodi coeperant; cum Pyrrhus, qui rem confectam sine caede, ac sanguine cuperet, elata ad terrorem voce Gazolanos appellans; quinam estis vos, inquit, qui me a capienda hujus loci possessione arcere posse arbitramini? accedite propius, accedite; et videamus, quousque ferocia isthaec vestra, aut potius amentia perventura sit. His auditis, atque agnita voce oppidani inter se mussitare; Pyrrhum esse; cur arma sumerent in eum, quem legitimum Principem agnoscerent, suo praesertim jure agentem; pedem potius referendum, ac providendum ne primi illius iram experirentur. Sic omni statim certaminis ardore deposito, paullatim loco cedere, ac litus liberum descendentibus relinquere. Quam ob rem Pyrrhus cum suis in terram egressus, arcem defensoribus vacuam ponte subductili, qui commodum erat demissus, paene ludibundus ingreditur. Cujus rei fama, cum ad aures Friderici, qui nequicquam contra illos paucos belli molem converterat, jamque in reditu erat, per-

venisset, doloris plenus, et inops consilii, divertit ad nobilem quendam ex Luzzariorum familia: atque inde paullo post impatiens morae misit, qui Pyrrhum suo nomine oraret, ut sibi tutum in arcem praeberet aditum. Cui Pyrrhus, cum jam ex auctoritate magistratus (aderat enim justitiae minister) totius oppidi possessionem rite adiisset, humanissime respondit; nihil se aliud eo motu quaesivisse, quam ut ostenderet, se eum esse, qui posset suo arbitratu uti jure sibi a judice concesso: Deo agere gratias, quod res feliciter, ac sine vulnere evenisset: quod quidem ipse tum vehementer optarat, tum diligenter pro virili parte curaverat: proinde accederet ipse, quandocumque libuisset; non modo enim polliceri se, tutum illum futurum a cujusvis injuriis, sed, quo liberius introiret, velle se continuo illinc discedere; paratum ad omnia benevoli, atque obsequentis animi erga illum officia. Ita Fridericus in arcem; Pyrrhus re prospere admodum gesta, cum suis omnibus ad Sanctum Martinum se recepit. Brevi tamen Gazolo se subduxit Fridericus; sive enim indignum putaret eo in loco versari, cujus nec perciperet fructus, nec ditionem administraret; sive abhorreret ab earum rerum aspectu, quae dedecoris eum sui commonefacerent; Ollio superato, Canicossam ditionis Mantua-


nae pagum, ubi dotis nomine aliquot praedia possidebat, cum uxore, et filio successit.

Hoc rerum statu placuit Pyrrho, et Alfonso, honesto quidem, sed infelici consilio, a levi, et domestico ad grave, et externum bellum se transferre. Ardebat eo tempore intestinis belli tumultibus Gallia: cum vero unius religionis causa arma mota viderentur, Santissimus Pontifex Pius diu se rogari non est passus, ut Carolo IX. Gallorum Regi catholicae fidei causam defendenti, quem ad illam diem pecuniis juverat, armis etiam, et militibus opem ferret. Itaque, Sfortia Comite S. Florae, aurei velleris equite, copiarum suarum Imperatore electo, aliquot peditum millia in Galliam transmisit. Ad hujus tam piae, christianoque homine dignae expeditionis famam commoti plerique Italiae proceres eidem militiae, nullo stipendio, certatim adscribi voluerunt. In iis, ut diximus, fuerunt Pyrrhus, et Alfonsus: quorum numerum facile auxisset etiam Ferdinandus, nisi forte, cum aliquot annos inter honorarios ephebos Maximiliano Caesari inserviisset; spatio illo temporis, quod inter hoc, et proximum famulatus genus intermitti solet, apud suos, ut moris est, exacto, paullo ante in Germaniam se iterum contulisset. Solus itaque manebat domi minimus natu Julius Caesar: namque Annibal jam inde

ab eo tempore, quo Tridenti generale Concilium celebrabatur, cum esset in Hispania in Philippi Regia apud Alexandrum Farnesium Parmae, ac Placentiae Principem, divino impulsus Spiritu, nulla aetatis, cujus in flore erat (sextumdecimum enim tunc agebat annum) nulla fortunarum, nulla denique earum rerum, quae vulgo tanti fiunt, habita ratione, in eam Sancti Francisci familiam, quae ab exactiori regulae observantia nomen sortita est, cooptari voluit. Quod tamen antequam ei permitteretur, multis modis, vel ipso jubente Rege, tentata est animi illius in suscepto consilio constantia. Sed cum nulla ratione dejici e sententia posset: quin majora in dies, ac certiora animi ab humanis illecebris alieni, unoque Deo contenti praeberet documenta; omnes tandem firmae non minus, quam religiosae illius voluntati faverunt. Quare Compluti Franciscanorum habitum indutus, [17] ibi tyrocinii primo, deinde studiorum causa multos annos assidue mansit; nimirum, ad annum usque septuagesimum quintum supra millesimum, et quingentesimum; quo tandem anno, qui idem Jobelaeus erat, exacto jam studiorum curriculo, primum revisit suos, Romamque accessit, ut Apostolorum limina pie veneraretur. Profecturus in Galliam Pyrrhus, cum Julii Caesaris aetas acerbior videretur, quam quae ad communem ditionem

tam iniquo tempore administrandam apta esset, (vix enim attigerat pubertatis annos) Scipionem Romae agentem per litteras enixe rogavit, ut quandiu ipse Transalpinam, Cisalpinam ille Galliam incolere, ac rei domesticae procurationem suscipere ne gravaretur: id cum privatas, tum publicas totius familiae rationes exigere: id ipsum sibi a fratre omnium sibi carissimo haud dubie polliceri. Quibus literis datis, non expectato responso, in viam se dedit. Scipio, etsi multa, eaque maximi momenti, occurrebant, quae illum ab eo itinere, ac munere non parum averterent; tamen, ne suae magis, quam communi fratrum utilitati videretur prospexisse; utque simul Pyrrho, quem semper unice dilexit, justa praesertim petenti morem gereret, caeteris rebus posthabitis, in Cisalpinam Galliam primo quoque tempore profectus est.

LIBRI PRIMI FINIS.



COMMENTARIORUM

LIBER SECUNDUS.

IN patriam cum pervenisset Scipio, mirum est, quam perturbatum rerum statum offenderit: neque enim solus Fridericus iniquo adversus fratris filios erat animo, sed (quod longe erat gravius) ipse etiam Guillelmus Dux non bene erga eosdem fratres affectus videbatur: itaque ex ipsis nubibus magnam aliquam Scipio sibi imminere tempestatem non obscure conjiciens, non dubitavit, quin sibi omni conatu esset enitendum, uti res cum Friderico sine mora

componeretur: sublata enim hac una controversia, Guillelmo si minus voluntas, occasio certe in eos aliquid grave moliendi simul tolli videbatur. Quod tamen quo majori cum dignitate fieret, non ipse obtulit conditiones, sed proponentibus eas communibus amicis, ac propinquis facilem praebuit auditum: ii fuerunt in primis Caesar Malfictae Princeps, et Isabella soror Friderici, Rodulphique Gonzagae olim uxor, mulier, in qua dubites, magisne formae decus, an virtutes animi laudes. Haec dum fiunt, res accidit inopinata, quae tamen tantum abest, ut Scipionem ab incepto retardaverit, ut etiam stimulos currenti subdiderit: ea fuit immatura admodum Caroli mors, qui unicus erat Friderici filius. Cum enim Fridericus ea esset corporis habitudine, ut sine eximia Dei ope nulla novae prolis, vitae vero longioris exigua omnino esset spes; ita statuebat Scipio, quidquid illi ex eo, quod debebat, remitteretur, id mutuo potius, quam dono datum censendum esse. Ergo misericordia patrui captus non id modo praestitit, ut per familiarem suum illius dolorem, et damnum consolaretur, sed etiam ut aliquanto intervallo repetitum compositionis negotium ex Friderici maxime sententia conficiendum curaret. Itaque res tandem eo perducta est, ut consentien-

tibus jam voluntatibus id tantum superesset, ut in publicas tabulas conventio referretur. Qua quidem in re duo praecipue Scipioni cordi erant: alterum, ut ita Fridericus ditionis suae possessionem recuperaret, (ea tamen dempta portione, quae pro dimidio tantum damni a Vespasiano accepti fratribus debebatur, reliquum enim non gravate Scipio remittebat) ut ejusdem ditionis quovis modo, propriis liberis non supervenientibus, in alios, quam in fratris filios trasferendae facultas omnis, aut etiam voluntas, et occasio adimeretur: alterum ut popularium ipsius prospiceretur indemnitati: qui quidem omnes maximam erga Pyrrhum, et fratres animorum propensionem praesetulerant; Dosulani vero illud prae caeteris magnis precibus a Pyrrho contenderant; ut ne illos in Friderici potestatem redigi unquam pateretur. Neque vero cupiebat Scipio, tolli facultatem Friderico alienandae ditionis, quod ignoraret tum Caesareis legibus, tum locorum natura, tum denique voluntate satis id cautum, ac vetitum esse: sed ne quando cogeretur ea de re judicio conflictari cum Guillelmo Duce, cujus nomine sciebat, Fridericum aliquot jam dies exagitari, ut sibi jura sua certo quodam pretio venderet. Cum igitur a quodam juris perito conscriptae jam esset hujusmodi inter fratres, et

Fridericum conventionis tabulae, Scipio accersitus a Caesare, cujus supra meminimus, Malfictano Dynasta, ad eas videndas, atque examinandas Vardastallum illius ditionis oppidum profectus est. Quod dum agit, remque inibi esse, ut ullo negotio ad optatum finem perduci possit, magnopere laetatur, ecce tibi litterae a Julio Caesare ad Scipionem fratrem Dosuli datae, quo ipse post Scipionis discessum statim advolaverat: quarum haec erat summa. Mirari se in primis, Scipionem, ipso inscio, atque inconsulto, concordiam cum Friderico iniisse: deinde obnuntiare, consensum hujusmodi pactioni suum se nunquam praestiturum. Ad hunc tam inexpectatum nuntium, difficile dictu est, quanta repente Scipionis animum invaserit tum admiratio, tum indignatio. Admirabatur scilicet, adolescentulum vix dum puberem, nullis neque publicis, neque privatis ad prudentiam exercitum curis, id facinoris adversus fratrem longe grandiorem natu, et in cujus administrationem ipse quoque consenserat, ausum fuisse; ferebat autem indignissime, tanti momenti rem, tantoque labore paene confectam, unico actu, atque illius culpa, inscitiaque interire, cujus maximi interesset, illud fieri, quod ipse impediret. Stupens igitur, ac moerens Scipio, supra quam dici possit,

omnia statim Caesari, aliisque nonnullis, qui Friderici nomine aderant, exponit, ne id a fratre factum ex composito videatur: simulque rogat, ut ne ideo solutam conventionem Fridericus arbitretur: daturum enim se operam, ut quod adolescens inconsulte, aut fortasse imperitorum hominum suasu commiserat, id sine cunctatione revocet; mutataque sententia, suae, et aliorum fratrum voluntati adstipuletur. Quibus dictis, ipse recta ad Sanctum Martinum revertitur; quendam vero ex suis jubet Dosulum ad Julium Caesarem adire, rogareque, ut eodem ipse veniat: habere enim se, quae cum ipso de communi re agat. Aegre impetratum: atque ubi adfuit, multa cum illo colloquutus est Scipio; quorum praecipua capita haec fuerunt. Falsum esse quod a Julio Caesare diceretur, inscio illo, quidquam in re tanti momenti confectum cum Friderico: non adeo contemptui habitum fratrem; neque vero finem negotio imponi potuisse, non ipso gnaro, et consentiente: habitam quidem ea de re longam, ac difficilem actionem, remque tandem Dei beneficio eo perductam fuisse, ut ab exitu non longe abesset. Quod autem ejusmodi tractationis particeps ipse factus non fuerit, non esse cur miraretur; neque enim id tulisse aut ipsius aetatem, aut domesticam con-

suetudinem, aut denique ipsius rei magnitudinem: nullo pacto esse illi verendum, ne quippiam ipse admittat, nisi quod e commodo totius familiae sit: id si minus exploratum haberet, quorsum ille cum caeteris fratribus communis ditionis administrationem sibi mandasset? At vero, quod ab ipso Julio Caesare novissime gestum sit, posse id a se gravissimae injuriae loco accipi, tum quod facultas jam data, verbis non factis, eripi sibi non debuerit, tum quod imperitiae non modo, sed etiam perfidiae insimulari se eo facto sentiat. Quanquam quod ad imperitiam attinet, non valde se laborare, ut prudens habeatur: neque enim latere se quam multa sibi desint, ut eo dignus nomine existimetur: illud quidem sese admodum aegre ferre, ab eo acta sua et reprehendi, et infringi, qui ut annis, ita usu rerum longe inferior sit: quod vero ad perfidiam attinet, probro magis illi esse, quam sibi ejusmodi insimulationem. Quoniam tamen neque tempus, neque paterna potius, quam fraterna sua in eum caritas aliud ferant, velle se omnium tum dictorum, tum factorum oblivisci, modo ipse in animum inducat iis assentiri, quibus si esse pergat impedimento, maximum universae familiae incommodum, aut perniciem potius importaturus sit: quod ne vel temere, vel metu

aliquo dictum putet, sic habeat; ni dissidia cum Friderico tollantur, fore brevi, uti non ipsum deinde Fridericum, sed Guillelmum Mantuae Ducem adversarium habeant, quicum si judicio contendendum sit, neminem non videre, quo loco fratrum res sint futurae: aut enim in perpetua solicitudine, atque angore degendum summo cum rerum, ac rationum suarum detrimento; aut eo tandem deveniendum, ut, non magna accepta compensatione, cogantur iis se abdicare, quibus illos Dei benignitas cohonestasset. Sed esto tandem, inquit, causam ipsi obtineamus, id quod minime est sperandum, quamvis a nobis jura stent: multo pluris aestimandum erit quod amiserimus, quam quod fuerimus adepti. Nam quod aliud litis praemium esse potest, quam ea ipsa loca, quae naturae legibus propediem sine ulla controversia nobis sunt obventura? quid vero accidere nobis gravius potest, quam infenso in nos animo eum perpetuo experiri, qui non solum universae gentis sit princeps, sed opibus, auctoritate, honoris gradu ita praepolleat, ut quemadmodum a benevolo illo nullum non beneficium, sic ab irato nullum non damnum expectari possit? Ad haec omnia, et alia in eandem sententiam multa unicum illud fuit Julii Caesaris responsum; sanum non videri sibi illorum

consilium, qui Friderico aliquam eorum quamvis minimam partem remittendam ducerent, quae fratribus essent lege adjudicata. Praeterea nullo pacto deserendos eos esse, qui se illorum fidei, ac clientelae adeo enixe, ac diligenter commendassent. Cum frustra se laborare intelligeret Scipio, ut fratri quae vellet persuaderet, ne quid intentatum relinqueret, illud etiam excogitavit, ut, exquisitis multorum sententiis, facilius ab eo quid optimum factu esset dignosceretur. Advocatis igitur omnibus iis, quos vel in eodem oppido, vel in proximis doctrina, aut experientia, in primis autem recta, ac benevola in ipsos fratres mente noverat, eos in consilium adhibuit. In eadem, qua Scipio, cuncti fuere sententia, duobus tantum exceptis, qui, cum componendas quidem res cum Friderico esse faterentur, negabant tamen, e re esse aliquid illi ex judicato remittere. Ii fuerunt Camillus Scarabellus totius Fratrum ditionis Vicarius, quem vocant, generalis, et Scipio Lomatius Physicus, homo alioqui neque indoctus, neque inelegans. Caeterum a Scipione parvo negotio rejecta fuit hujusmodi opinio, ut quae unam tantummodo redoleret cupiditatem, atque avaritiam. Itaque omnis difficultas ad caput de popularium incolumitate redigebatur. Nam Julius

Caesar, cum jam non haberet ad caetera quid responderet; hoc uno evadere se concordiae necessitatem posse arbitratus est. Dicebat enim; optime se memoria tenere, petentibus a Pyrrho Dosulanis, ne amplius permitteret, eos sub Friderici imperio esse, illum, data fide, spopondisse, nunquam permissurum. Tum Scipio; inane, inquit, est hoc promissum; quodque praestare Pyrrhus neque debeat, neque possit. Nam si hoc ipso die Fridericus solvat omne id, quod nobis ex judicis decreto debet, quinam fieri potest, ut nos illico e Gazoli, et Dosuli possessione non dejiciamur? ergo in Pyrrhi facultate non est Dosulanos a Friderici imperio vindicare: quod si ita est, nequaquam expedit nobis illorum causa a tam salutari consilio recedere; cum praesertim ipse in conditionibus concordiae ineundis ita eorum rationibus consuluerim, ut nullum iis, ob superioris temporis acta, incommodum sit extimescendum. Hisce rationibus Julius Caesar nihil prorsus habuit, quod objiceret: nec tamen adduci se passus est, ut fratris voluntati obsequeretur: immo, acrius illo instante, ut rationi tandem pareret, et ne vellet, sua culpa communem rem extremum pati exitium; ipse obfirmato animo negavit omnino, velle se pactioni consentire; propterea quod sciret, eam

Pyrrho minime probatum iri. Tunc Scipio ex ipsa desperatione novam rei bene gerendae spem concipiens; quid, inquit, si Pyrrhus consenserit? nonne et ipse consenties? Annuit ille, idemque, quod Pyrrhus, facturum se jurejurando affirmavit. Ita dimissus conventus. In quo cum sibi videretur Scipio aliquid tandem profecisse, quamvis non omnia esset assequutus, quae cupierat, et speraverat; misit statim, qui Caesari, ac per eum Friderico tunc cum sorore Isabella in oppido Luzzaria, qui a Vardastallo abest tria passuum millia, degenti haec nuntiaret; non esse cur Julio Caesari ob factum superioris diei Fridericus succenseat: neque enim, quod fecit, fecisse illum aut quod animo esset a concordia alieno, aut quod minus caeteris fratribus ipsum diligeret, ac veneraretur; sed quod putaret, propter nonnulla ab ipso audita, Pyrrhum talem pactionem non esse probaturum: omnem operam, ac diligentiam Scipionem adhibuisse, ut fratrem ab ea deduceret sententia: verum, quando id prospere non successerit, illud certe ab eo obtinuisse, ut, consentiente Pyrrho, consensum et ipse praestiturus sit suum. Nam, quod attinet ad Pyrrhi voluntatem, multo melius, ea quae sit, Scipionem scire, quam Julium Caesarem; proinde recipere ipsum in se, Pyrrhum sine ulla dubita-

tione, aut cunctatione conventioni jam factae subscripturum: itaque rogare, ne Fridericus hac brevi dilatione patiatur, se a proposito abduci: missurum statim Scipionem suis impensis in Galliam summa celeritate, qui hujusmodi consensum a Pyrrho accipiat, atque in Italiam deferat: unum illud dolere se, quod, facultate sibi adempta, non possit ipsum Fridericum continuo in possessionem totius ditionis immittere, quemadmodum summopere, ipsomet Friderico teste, exoptabat; sed, Deo favente, id brevi futurum, et eo majore ipsius Friderici voluptate, quo communior esset fratrum in eandem rem consensio. Ad haec Fridericus pauca conquestus de Julii Caesaris in se, et Scipionem injuria, illud tantum subjecit; nimium sese ad eam diem incommodi pertulisse; nolle diutius suorum vectigalium fructibus carere. Tunc legatus optime a Scipione edoctus; et hinc, Friderice, inquit, licebit cognoscere et quanti te faciat, et quam ex animo tecum agat Scipio: ipse enim ex hac ipsa hora vult, integros te bonorum tuorum fructus percipere; quod utique non permitteret, si aut te non eo, quo par est, studio prosequeretur, aut de concordia vel tantillum dubitaret. His auditis, Fridericus mire exhilaratus, ut ex fronte, oculisque licuit conjicere, os jam aperue-

rat, ut conditionem acciperet; cum alter quidam, qui unus tum forte aderat, illius vicem praeripiens; non ita, inquit, non ita: aut omnia, aut nihil. Ex qua inhumana voce, ne sceleratam dicam, omnia deinde incommoda, et calamitates, quae familiam hanc diu vexarunt, principium, atque originem duxere. Huic enim, quasi de caelo missae, obsequutus Fridericus, quae erat ipsius ingenii facilitas, mutata illico sententia, omnem coalescentis concordiae tractationem solvit, atque disjecit. Quis nam vero is fuerit, qui eam vocem emisit, silentio involvendum, ut ejus famae parcatur: illud scire sat fuerit, eum valde arcto cognationis vinculo utrique parti adstrictum fuisse: nec tamen ad eum ullo modo rem pertinuisse, de qua agebatur: sed fortasse voluit ille Guillelmo Duci gratificari: qui, ut primum cognovit, desperatam esse concordiam, acrius coepit Fridericum urgere, ut sibi aliquando vellet juribus suis cedere: daturum enim se illi compensationis loco certum annuum censum nulli obnoxium casui. Quod negotium diu tractatum, variisque productum difficultatibus, tandem confectum est ex Guillelmi sententia; sed ea in tabulis contractus apposita conditione, quam tamen, vel praetermissam, subintelligi necessarium esset; ut nihil cen-

seretur actum, non accedente Maximiliani Caesaris consensu.

Dum haec Mantuae fiunt, Scipio inciderat in febrim: qua paucis post diebus levatus, quo primum die efferre domo pedem potuit, eo ipso die adeundum sibi ante omnia statuit Guillelmum Ducem, ne quando aut Dux ignoratione damni, quo fratres afficiebat, se excusare; aut Scipio illius aequitati diffidisse, vel omissi in illum officii coargui posset. Mantuam igitur venit. Cum vero cognovisset, Guillelmum in quodam peramoeno suburbano versari, eodem et ipse se contulit. Aderat tum forte Ludovicus Dux Nivernensis, Guillelmi germanus frater, qui nuper ex Gallia, quo in regno amplam ditionem summosque obtinebat honoris gradus, in Italiam venerat, ut vulnus in bello adversus Dei simul, et Regis perduelles sub genu minoris tormenti glande acceptum curaret aquis Aponi fontis, quae sunt in agro Patavino non minus celebres, quam salubres. Hunc sui semper amantissimum, cum, officii causa, ante alios adiisset Scipio, deque rebus omnibus certiorem fecisset, (sciebat quippe, tunc temporis Guillelmum in interiore domo litteris ad Caesarem per legatum mittendis super Gazoli negotio operam dare) ab eo id accepit consilii, ut alloquendi facultatem

a Guillelmo ipsemet nullo interprete, vel deprecatore peteret; alioqui verendum, ne aditus ei aliquo quaesito colore negaretur: quod quidem facillime contingere potuisse, rei eventus comprobavit. Nam cum illum e secretioribus cubiculis aliquando egressum diu Scipio huc, atque illuc quasi cursitantem, seque illi quantum poterat subducentem diligenter sectatus esset; tandem sub quadam porticu paullulum moratus, dum ille quem finem habiturus esset ludus tesserarum inter duos ex ipsius intimis aulicis videret; peracto statim ludo, lateri adhaerens ita eum reverenter affatus est. Oro te, excellentissime Princeps, ut velis pauca quaedam a me, semotis arbitris, audire. Ad haec Guillelmus, fixis ad terram oculis; nescio, inquit, quid tibi mecum rei esse possit. Tunc Scipio subridens; sum ne ego adeo externus, aut alienus, ut nihil possit esse, de quo tecum agam? si me loqui permiseris, quid illud sit, percipies. Ille rursus; si quod habes negotium, ajt, accede ad Ducem Parmensem, et illi narra: me enim vobis omnibus esse suspectum puto, te optime scire. Intelligo equidem (ajt Scipio) quid sibi haec velint verba; sed non propterea inauditus mihi videor dimittendus; cum quidquid illud fuerit, me inconsulto, ac prorsus inscio, factum sit. At ille,

haud mihi opus est te magistro: desine me docere; ego enim te et aetate, et rerum usu longe antecello. Absit a me, (inquit Scipio) ut hoc negem, immo vero non in his solum, sed caeteris in rebus omnibus multo me inferiorem et novi, et fateor libenter. Sed hoc ad rem non facit; cupio ipse abs te audiri: quod si feceris, gratiam habebo maximam: speroque fore, ut inde observantiam in te meam facile agnoscas. Tum Guillelmus eadem fere, quae principio, iterans; nihil mihi tecum rei est: abiit, et Scipionem paene insalutatum reliquit. Ex eo, qui aderant, omnes Scipionis vices miserari, dolereque, quod minus amice praeter morem exceptus fuisset. Quibus ipse hilari admodum fronte; non est, inquit, cur doleatis mea causa; ego enim meo officio satisfeci: quod si Dux aures mihi praebere noluit, in eo libidini obsequutus est suae: me quidem illa duo consolantur; unum quod conscius mihi sum, nihil a me admissum, ac ne cogitatum quidem unquam, quod ipsius indignationem mereri possit; alterum, si ipse repudiet, non defuturos, qui me audiant non inviti. Sub haec, salutato iterum Nivernensi Duce, qui fratris responsionem pro sua humanitate molestissime tulit, Mantuam primo, deinde domum revertit. Ibi de aliquo in Caesaris Regiam

mittendo consilium et ipse statim cepit, qui ipsius, et fratrum nomine Guillelmi petitioni totis se viribus opponeret. Quoniam vero juris beneficio id impetraturum se non desperabat, operae pretium visum est aliquo uti, qui legum praeditus esset scientia. Misit igitur Julium Nichesolium utriusque juris consultissimum, Ludovici, qui Pyrrho erat a secretis, viri probatae fidei, atque integritatis, filium. Qui, acceptis litteris, ac mandatis ad Ferdinandum fratrem, qui, ut supra docuimus, Maximiliano apparebat, in viam se dedit; acciditque, ut, quamvis biduo post discesserit, quam Guillelmi legatus, (is fuit Annibal Caprianus, eques Mantuanus, qui cum olim Ferdinando Caesari fidelem, ac diligentem navasset operam, Maximiliano filio non modo notus, sed etiam carus in primis habebatur) eodem tamen die iter ambo confecerint. Nec mora: sua uterque mandata seorsum exponit.

Caeterum, dum res in consultatione versatur, neutraque sibi deest pars, ecce tibi nuntius ex Italia, qui deliberationem omnem suspendit. Vix enim Germaniam attigerat Guillelmi legatus Annibal, cum Guillelmus ipse, aut quod difficultatem negotii praesentiret, aut quod facilius putaret partam possessionem tueri, quam novam adipisci; militem conscribere;

vexilla explicare; majora tormenta expedire coepit. Coactis igitur peditum circiter quinque millibus, aeneisque tormentis sex, omnibus copiis praefecit Camillum Comitem Castillioneum, virum nobilem, militarisque disciplinae non imperitum; eumque armis expugnare Gazolum jubet. Hisce rebus auditis, Scipio existimavit, duo sibi extrema cōsilia maxime declinanda: alterum, ne illatum bellum ita exciperet, ut vim vi repellere omnino velle videretur: cum enim Gazoli possessio ad se, vivo Friderico, nisi ad tempus, minime pertineret, quid aliud id fuisset, quam certum sibi pro re incerta, immo aliena damnum struere? alterum, ne, quo tum fruebatur, possidendi jus adeo negligeret, ut, qui vim parabant, nullam se intulisse possent obtendere. Ut igitur et se Gazoli possessione armis dejectum constaret, et simul caveret ipse, ne perpetuum sibi, ac fratribus hostem conciret, medium quiddam sequutus est. Quippe Julium Caesarem fratrem, cum armatis centum, et idoneo commeatu in arcis praesidio collocavit, eidemque praecepit, ut ne quo modo verbis, aut factis permitteret a suis adversarios lacessiri: simul, quod non ignoraret, eum, qui pro Philippo Rege Mediolanensem provinciam administrabat, inter caetera habere in mandatis, ut Pyrrhi regiae dudum

militiae cum stipendio annuae pensionis adscripti, rerumque ipsius, ubi quid durius evenisset, patrocinium, ac defensionem susciperet; ne tantum patronum videretur floccifacere, cum litteris misit ad eum illico Ludovicum Nichesolium, cujus paullo ante meminimus, rogatum, ut si quo verborum officio speraret, posse se regia auctoritate Guillelmum Ducem ab inceptis avertere, id facere ne recusaret: id Pyrrhi quidem, ac fratrum rationibus utile, sed non minus ipsi Guillelmo honorificum, ac demum gratum Regi (uti verisimile videbatur) futurum; praesertim cum ex parva scintilla magnum interdum conflari ignem usus doceret. Iis rebus cognitis, Praeses missurum se propediem Regis nomine pollicitus est, qui suaderet Guillelmo, ut omnino a vi abstineret: ac si quid juris haberet adversus fratres, illud judicio potius, quam armis persequi (ut aequum erat) animum induceret. Et praestitit ille quidem egregie, quod promiserat, misso in eam rem legato Laudensis arcis Praefecto; veruntamen serius aliquanto, quam oportuerat: confectum enim jam erat bellum, quod hunc in modum gestum est.

Convenere Gazolum Mantuanae copiae non omnes simul, sed turmatim, sine Duce, ac sine tormentis, quae longo, ac difficili itinere per Mincium

secundo , deinde per Padum , atque Ollium adverso flumine subvectae sunt : ibi totum triduum constitere obsidentium magis , quam oppugnantium similes ; quippe cum ab omni prorsus impetu , ac vi abstinerent . Quo tempore non defuerunt bellicae artis periti , qui Scipioni operam offerrent suam , qua uti si vellet , facile fore pollicebantur , ut universus Mantuanus exercitus turpi se fugae commendaret : id autem non temere dictum casus quidam ostendit . Nam cum hasta fortuito lapsa nonnullum edidisset strepitum , tantus repente timor Mantuanorum animos invasit , ut in pedes propiores conjecti multos traherent . Nec mirum , cum omnes fere tirones essent , et collectitii ; vixque unus , aut alter in tam magno esset numero , qui non invitus arma adversus fratres sumpsisset . Accedebat, quod per eos dies vulgaverat fama, Pyrrhum, et Alfonsum ex Gallia cum selecta militum manu in Italiam adventare : itaque jam videbantur omnes eo esse animo , ut simul eos adesse conspicerent , vix adorientibus terga verterent : verum nec quidquam certi de Pyrrhi reditu erat , nec Scipio praesentis victoriae dulcedine irretiri se passus est , ut inexpiabile sibi , suisque bellum deinde conflaret . Triduo exacto , navis , qua tormenta muralia deportabantur, appulsa est ad Gazoli ripam : et ipse Impe-

rator exercitus eodem pedibus pervenit. A quo paullo post missus tubicen in arcem, facta potestate, ingressus est; scriptumque, in quo continebantur mandata sibi a Guillelmo tradita, Julio Caesari reddidit. Mandata autem erant hujusmodi. Ut si ab iis, qui arcem Gazoli tenebant, tandiu differretur deditio, donec tormenta e navi exponerentur, quidam ordinum ductor laqueo suspenderetur: si unicus expectaretur tormentorum ictus, tres nominatim designati eodem mortis genere mulctarentur: si plures decem: si vel minimo Mantuanae copiae afficerentur damno, nulli omnino parceretur. Quod si quis ex Dominis S. Martini (haec erant ipsa Guillelmi verba) in eadem includeretur arce, Mantuam sub tuta custodia perduceretur. Hoc accepto scripto, Julius Caesar illud statim Scipioni perferendum curavit, ut ipse quid agendum esset, decerneret. Qui hoc satis sibi esse ad vim illatam declarandam arbitratus, arcem relinquere, atque ad oppidum S. Martinum, ubi ipse agebat, praemissa tamen obnuntiatione, signis explicatis recipere eum jussit. Ita Gazolum in Guillelmi Ducis potestatem venit.

Scipio autem, cum eodem ipso die Tabellarium ad Ferdinandum fratrem cum litteris, quibus Caesarem de rebus omnibus certiorem faceret, praemisis-

set, ipse biduo post, mutatis ad celeritatem equis, subsequutus est. Ejus rei nuntius is fuit, qui inchoati jam negotii cursum interrupit. Nam cum Caesar venturum propediem ad se Scipionem ex ipsius litteris cognovisset, deliberationem omnem in ejus adventum rejecit. Interea vero stomachum, atque indignationem, ob facinus a Guillelmo admissum, minime dissimulans Oratores illius per dies aliquot, si minus ab oculis non exclusit, certe ad aures non admisit. Agebat eo tempore Maximilianus Caesar Posonii, quod est oppidum Regni Hungarici satis amplum, ac munitum in ipsis fere finibus provinciae Austriae. In hujus oppidi arce supra collem sita detinebatur tunc Joan. Fridericus Saxoniae Dux, alterius Joan. Friderici filius illius, qui Lutheranam haeresim amplexus Carolo V. Imperatori nefarium intulit bellum. Quo tandem victus meritas divinae simul, atque humanae Majestatis laesae poenas luit. Nec patre multo melior filius fuit; quippe qui Ferdinando Caesari et ipse perduellis factus, auctorque conjurationis in urbe Gotta captus, perpetuo tandem carceri mancipatus est. Huc venit Scipio mense septembri: nec ita multo post facultatem dicendi in interiori cubiculo a Cesare adeptus omnia illi, quaecumque acta erant, ordine exposuit. Duoque in summa enixe ab eo petiit; alte-

rum, ut possessio Gazoli sibi per vim ablata redderetur: cum vel praedoni, si quid per vim sit ademptum, ante omnia restitutio debeatur: alterum ut venditioni a Friderico factae nequaquam assentiretur: id enim tum naturae hujusmodi locorum, quae alienari non possunt, tum ultimis majorum voluntatibus, quae propiores tantum agnatos in successionem vocant, manifeste adversari. Quemadmodum autem in toto sermone de ipso Guillelmo Duce verecunde admodum, atque ea, qua decebat, reverentia loquutus est, ita in Fridericum patruum non modo non infensum, aut vindictae cupidum, sed propensum potius, atque a concordia minime abhorrentem animum ostendit. Caesar attente omnia, ac perbenigne, uti solebat, audivit; nec minori benignitate respondit. Dolere se vehementer, quod ubi summa pax, atque animorum consensio esse debuerat, ibi tam graves ortae essent controversiae, ut ad arma etiam ventum fuerit: curaturum omni ope, ut qui sanguine erant juncti, ii studiis, ac voluntatibus ne dissentirent: nec tamen interea omissurum, quae juris, atque officii sui ratio videretur postulare. Atque his dictis, colligens se, severioremque praeseferens vultum, ac gestum haec statim subjecit. Si tamen vera essent, quae de te audivimus, non modo incumbendum nobis non es-

set in eam curam, ut beneficiis te, et favore prosequeremur, sed esset potius, cur et de te jure conquereremur, et Caesarea nostra te gratia indignum putaremus. Scipio extremo hoc inexpectato responso perculsus substitit aliquantulum: verum cum, omni sibi anteacta vita quasi ob oculos posita, nullius, cujus ab Caesare coargui posset, sibi conscius esset criminis, serena, atque impavida fronte, ex qua indubiam innocentiam facile conjiceres, gratias ago, inquit, Deo immortales, quod nihil unquam admiserim, cujus te Caesar ignarum esse aut paveam, aut erubescam; quare abs te supplex peto, velis me quoque ea nosse, quorum insimulor, crimina; non enim dubito, quin objecta ita sim diluturus, ut nullus tibi vel ad levem suspicionem locus relinquatur; in quo ni satisfecero, tuum erit in me animadvertere, et ipse non solum aequo, sed etiam libentissimo animo poenam omnem subire sum paratus. Tum Maximilianus illud tantum praefatus; erit mihi gratum, si res ita se habeat, ut tu affirmas; interrogat Scipionem, numquid Mediolani unquam fuerit, egeritque ibi cum illius Provinciae Praeside de se imperio Caesaris subducendo, ut Regiae se potestati subjiceret. Cui Scipio: falsi me delatum criminis facile possim ostendere, si, quod verissimum

est, neque Mediolani me fuisse unquam, neque Praesidem aut alloquutum, aut vel semel vidisse respondero. Sed quoniam decet ita me aliorum dicta refellere, ut neminem, si fieri potest, calumniae velle videar condemnare, cum haec praesertim ab eo proficisci putem, quem stat sententia, secundum te prae caeteris Orbis Christiani Principibus maxime semper venerari, fatebor ingenue, quid quid unquam rei mihi fuerit cum Praeside illo; ut simul, unde hujusmodi accusatio occasionem sumpserit, innotescat. Tum ordine exposuit, quaecumque de Nichesolio ad Mediolani Praesidem misso ante narravimus, sermonem his verbis concludens; atque ab ea quoque ipsa legatione abstinuissem, si aut minus remotis e locis expectandum mihi fuisset Majestatis tuae subsidium; aut silentium agenti verendum non fuisset, ne Philippi Regis in Pyrrhum fratrem beneficentiam viderer contemnere: utrum vero id fuerit alienae ab officio meo mentis inditium, sapientissimo tuo judicio relinquo. Hoc responso jam pacatior Caesar sic iterum exorsus est. Quid vero ad illud respondes, quod dicunt, abs te Allobrogum Ducem sollicitatum saepius fuisse, quo arma adversus Guillelmum moveret; ea nimirum spe, fore, ut non vos modo, sed plerique ex vestra gente alii, qui ditionem Mantuanae

ditioni propinquam obtinetis, operam illi, atque auxilium vestrum in Guillelmi perniciem impenderetis? Ad haec Scipio subridens; prioris objecti, inquit, si minus veritas aliqua, certe ex meo facto extitit occasio: at hujus ne occasio quidem: nam neque per me ipsum, neque per alium quempiam cum Duce Sabaudiae ulla de re egi unquam; tantulum hoc de eo aliquando loquutus sum. Mirabar proximis hisce diebus tandiu differri exitum pactionis, quam sciebam inter Guillelmum Ducem, ac Fridericum patruum jamdudum agitari. Quare sciscitanti mihi a nescio quo ex nostris, qui Mantua ad eum locum nostrae ditionis, in quo ipse degebam, nuper venerat, quae nam esset causa morae tam longae? respondit ille; rumomorem Mantuae increbuisse, si Fridericus juribus suis cederet Guillelmo, fore, ut meis ipse quoque Allobrogum Duci cederem; et hoc fortasse timore adductum Guillelmum non audere ad exitum rem perducere: tunc ego multis adstantibus; si haec opinio ea est, quae possit Mantuanum Ducem ab incepto revocare, sic eum opinari valde laetor: sin minus, sciant omnes, me nihil tale in animo versare. Praeter haec, quibus sat scio nemini illatam esse injuriam, nulla omnino memini me unquam de Duce Sabaudiae verbum fecisse. Caesar non tam quae

a Scipione dicebantur, quam qua animi praesentia, ac securitate dicerentur, animadvertens, pro comperto habuit, omnis eum culpae expertem esse. Itaque, oris severitate continuo deposita, consuetamque induens hilaritatem sic eum affatus est. Vere ut isthaec de te crederem non facile adducebar, quem, ex quo de facie novi superioribus annis, integrum, ac moderatum duxi semper: bono igitur animo esto: nam in his, quae ad tuam, tuorumque indemnitatem pertinent, curabo diligenter, ne quid praeter jus, aut contra leges fiat. Ad haec Scipio, post humillimam gratiarum actionem, quod tam benigne simplici ipsius dicto acquievisset; ego vero, inquit, illud te supplex rogo, ut nullam prorsus iis, quae a me dicta sunt, fidem habeas; sed digneris per Oratores Principum istorum, quibus cum egisse arguor, rei veritatem pervestigare: qua cognita, si quid ipse commississe deprehensus fuero, quod vel debitae erga te fidei, vel perpetuae meae in Guillelmum Ducem observantiae adversetur, mea me jàm nunc damno sententia, cupioque aliis documento esse, quemadmodum in eos, quos aut voluntas, aut natura superiores fecit, se se gerere debeant. Cui Caesar; minime vero id faciam: hoc enim esset de tua integritate dubitare, quam hactenus novi optime. Sed

iterum, atque iterum rogatus a Scipione dixit tandem, se ita facturum: quod cum praestitisset, Oratoresque ea de re in Italiam litteras dedissent, falsa omnia, ac commentitia deprehendit.

Interim negotium, cujus causa Scipio in Regiam venerat, ad Concilium, quod Aulicum dicitur, ut moris est, delatum a Caesare fuerat; a quo post triginta dierum consultationem certior factus Caesar, utra pars justiorem foveret causam; litteras, quae vim decreti haberent, ad Guillelmum dedit hoc exemplo.

„ Maximilianus Secundus divina favente clementia „ electus Romanorum Imperator semper Augustus. „ Illustris Sororie, Consanguinee, et Princeps carissime. Accepimus Dilectionis tuae litteras in negotio „ emptionis cum Illustri nostro, et Sacri Imperii fideli „ dilecto Friderico ex Marchionibus de Gonzaga de „ castris, et locis Gazoli, et Dosuli, eorundem„ que pertinentiis initae ad nos datas: ac quae Dile„ ctio tua de praestando eidem emptioni consensu „ nostro, et ut Dilectionem tuam de dictis Castris, „ et locis investire dignaremus, per Oratores tuos, „ qui rem hanc tum scripto, tum viva voce summo „ studio, ac contentione apud nos prosequuti sunt, „ petiit, benigne intelleximus. In primis igitur Di„ lectioni tuae illud omnino persuasum esse debet,

„ nos, pro arcta illa necessitudinis conjunctione, quae
„ cum Dilectione tua nobis intercedit, nihil magis,
„ quam Dilectionis tuae status, atque dominia plu-
„ rimum aucta, ac dilatata cupere: et ad promoven-
„ dum idipsum, quatenus sine alterius praejudicio, et
„ injuria fieri potest, animum optime inclinatum ge-
„ rere: hincque Dilectioni tuae, ut in aliis omnibus,
„ quoque sic hac in parte benigne gratificari sum-
„ mopere desiderare. Verum quia huic nostrae pro-
„ pensissimae voluntati in primo statim limine illud
„ obstitit, quod eodem plane tempore, quo memo-
„ rata petitio Dilectionis tuae nomine facta fuit,
„ praedicti Friderici Nepotes Illustres nostri, et Sacri
„ Imperii fideles dilecti Ferrandus, ac fratres de
„ Gonzaga, tanquam proximi agnati, huic alienatio-
„ ni non solum expresse contradicerent, verum
„ etiam se eidem acerrime opponerent; Nos cum hu-
„ jusmodi Dilectionis tuae petitioni Caesarei no-
„ stri muneris ratione nos haud posse annuere cer-
„ neremus; attamen amicabili transactioni, qua nos
„ inter partes, utpote sibi invicem sanguine junctas,
„ rem, ad evitanda majora scandala, potius transigi,
„ atque componi, quam alia via determinari opta-
„ bamus, locum fore consideraremus; decreveramus
„ causam hanc Illustri Alfonso Duci Ferrariae, Muti-

„ nae, et Regii, Marchioni Estensi, Sororio, Con-
„ sanguineo, et Principi nostro carissimo, tanquam
„ communi utriusque partis amico, ad hujusmodi ami-
„ cabilem transactionem, tam inter praedictum Fri-
„ dericum, et Nepotes, quam Dilectionem tuam su-
„ scipiendam committere. Quoniam vero accidit, ut
„ cum istud nostrum decretum jam in effectum dedu-
„ cturi essemus, Illustris noster, et Sacri Imperii fide-
„ lis dilectus Scipio de Gonzaga, unus ex praedictis
„ Nepotibus, huc venerit, ac gravissime apud nos
„ conquestus sit de Dilectionis tuae violentia, in-
„ vasione, ac occupatione dictorum bonorum, quam
„ sane nec nos a Dilectione tua, dum consensus
„ noster peteretur, expectabamus; maxime, cum
„ inde facile gravioribus scandalis, quin et totius
„ Italiae tranquillitati turbandae occasio praeberi pos-
„ set; quod an hisce temporibus, quibus Christiana
„ Resp. alioqui plus satis afflicta est, conveniat, Di-
„ lectio tua ipsamet prudenter aestimabit: ac in-
„ super tam suo, quam fratrum nomine aperte de-
„ claraverit, se ob dictam violentam spoliationem
„ amicabili transactioni nullum locum dare posse,
„ illud unum instanter supplicans, ut ipsum, ac fra-
„ tres suos restitui curare dignaremur: ipsos quippe
„ auctoritate Judicis, et cum causae cognitione pos-

„ sessionem illam adeptos; ac idcirco merito, ipso-
„ que jure dictante, restituendos esse; cum etiam
„ praeda ante omnia restitui debeat: nos utique
„ eidem Scipioni Caesareum nostrum officium hac
„ in parte imploranti justitiam denegare non potui-
„ mus, neque debuimus: ideoque non solum nego-
„ tium hoc denuo mature, accuratissimeque deli-
„ berandum commisimus, sed et illud ipsimet audi-
„ vimus, ac diligenter examinandum suscepimus. Et
„ quantumvis nobis pro rei qualitate ad alia proce-
„ dendi causa non deesset, nihilominus tamen, pro
„ nostra in Dilectionem tuam singulari clementiae,
„ ac benevolentiae propensione, de tali medio cogi-
„ tavimus, ac eo nos benigne resolvimus, quod hac
„ vice possessio bonorum occupatorum neque spo-
„ liatis Scipioni, et Fratribus restitui, neque Dile-
„ ctioni tuae relinqui; sed praenominatus Fride-
„ ricus de Gonzaga, tanquam verus dominus, et
„ possessor, adeoque a nobis investitus in posses-
„ sionem eorundem bonorum, prout ante Scipionem,
„ et fratres fuit, reduci debeat. Eo autem facto nos
„ priori nostrae resolutioni, ac sententiae inhaeren-
„ tes causam hanc Ferrariae Duci eodem, quo supra
„ dictum est modo, amicabiliter inter partes com-
„ ponendam, transigendamque committere decre-

„ vimus. Quapropter Dilectionem tuam clementer „ requirimus, eidem Imperiali auctoritate expresse „ injungentes, ut acceptis his nostris litteris saepe- „ fatum Fridericum protinus, et sine longiori aliqua „ dilatione, vel mora, in possessionem bonorum a „ Dilectione tua occupatorum reduci curet: ac „ postmodum de ejusmodi restitutione facta nos do- „ ceat, quo deinde memoratum Scipionem cum cer- „ to, et convenienti responso, quod eousque differ- „ re statuimus, dimittere possimus; quemadmodum „ Dilectionem tuam, utpote in cujus favorem, atque „ gratiam haec a nobis potissimum fiunt, absque „ ulla difficultate facturam esse plane confidimus: „ alioqui enim nobis ad ulteriorem praedicti Scipio- „ nis jam nunc vehementer instantis supplicationem „ iis viis, atque mediis necessario utendum foret, „ quae justitiae, et Caesarei nostri muneris ratio „ a nobis exposcere videretur. Faciet autem Dile- „ ctio tua in hoc rem sua aequanimitate, ac laude „ dignam, nobis vero longe gratissimam, nec non „ benignam, et expressam voluntatem nostram. Quod „ autem reliquum est Dilectioni tuae Caesareae „ nostrae gratiae, benevolentiaeque studia propensis- sime deferimus. Datum Posoni die XXVII. Octobris „ anno MDLXIX. „

Hisce datis litteris, cum jam Hungaricus absolutus esset conventus, Posonio Caesar Viennam Austriae se recepit initio mensis Novembris: quo eum vel comitata, vel sequuta est universa curiae multitudo. Vienna tunc temporis laborabat pestilentia; quod genus morbi quamvis Germanis hominibus valde sit familiare, quod tamen insueta hominum clade in dies magis invalesceret, timorem plerisque incusserat non mediocrem: in iis primarius quidam a Consiliis Caesaris nomine Wolfangus Zasius legum peritissimus, et ab omnibus magno in honore habitus, cum unum, aut alterum ex suis familiaribus lue absumptos amisisset, tantum inde concepit mortis metum, ut gravissime statim coeperit aegrotare: ex quo morbo licet aliquando convaluerit, nunquam tamen potuit nec pristinum colorem, nec pristinam hilaritatem recuperare: ita ut quinto, vel sexto post mense tabido animo, et corpore migrarit e vita. Obiit eodem ipso mense Novembri, non tamen pestilentiae morbo, Annibal Caprianus, alter ex Oratoribus Mantuani Ducis: in cujus funus inter caeteros prodiit etiam Scipio. Ex eo solus Guillelmus Malaspina legationis apud Caesarem munus, in quo ante versabatur, est exequutus. Is quotiescumque Scipionem officii causa invisebat, quod tamen

perraro, et non nisi provocatus faciebat, ea semper utebatur obnuntiatione; animadverteret Scipio, se ad illum accedere, tanquam Guillelmum Malaspinam, non tanquam Oratorem Mantuanum. Sed hoc fortasse putidiusculum: illud quidem et magis ridiculum, et quod hominis simplicitatem apertius ostendat, quod cum plerisque antea, tandem vero ipsi quoque Scipioni idem dixisset valde serio; minus recte illum fecisse, qui statim ad Caesaris auctoritatem confugisset; si primo ipsum adiisset Ducem, certo scire se, futurum fuisse, ut et benigne audiretur, et tractaretur liberalissime: ita omnem litis occasionem tolli facillime potuisse: interrogavit eum Scipio; crederetne hoc vere, atque ex animo? Et ille, nihil prorsus dubito: immo hoc unum aegre illum tulisse arbitror. Quid igitur (ait Scipio) si id Dux non praestitisset? Non rectissime fecisset, respondit Guillelmus: sed illud videtur mihi nullo modo verisimile. Tunc Scipio; atqui scito, me illum adiisse ante omnia, et ne exponendi quidem, quae vellem, facultatem mihi esse datam. Quo ille audito, admirationis plenus obmutuit, neque amplius ea de re conquestus est. Exacto mense Novembri, iter Pragam versus Caesar est ingressus, ut quemadmodum Posonii Hungaricum, ita Bohemicum ibi celebra-

ret conventum. Quoniam vero a Guillelmo Duce responsum quidem acceperat, sed non ejusmodi, quo posset dignitati suae satisfacere, (cupiebat enim Guillelmus moras nectendo effugere, quominus deserendae possessionis pareret mandato) Scipioni etiam tum ignoranti datas a Caesare litteras ad Guillelmum fuisse, ne dum quid eae continerent, mandavit, ut se Pragam usque sequeretur; Cremerum, qui unus erat ex Aulicis, ex ipso itinere Mantuam legavit, qui Ducem mandata exequi, omni abjecta cunctatione, curaret. Sic tandem Gazolum ex Guillelmi potestate detractum. Cujus rei certior factus Scipio gratias quidem egit Maximiliano, neque tamen sibi statim e Regia discedendum existimavit, veritus id, quod postea evenit, ne quid novi contra se adversarii molirentur. Redierat per eosdem fere dies Pyrrhus ex Gallia, non autem, qui una cum illo profectus fuerat, Alfonsus frater: is enim Septembri mense Turonis exitiali confectus morbo decesserat: [18] nec longe abfuerat, quin Pyrrhum suae migrationis haberet comitem: nam et ipse graviter, et periculose eodem tempore aegrotavit: attamen Dei beneficio servatus est. Jacturam hanc gravissime tulit Scipio, atque adeo universa familia: Alfonsus enim is erat, si vel animi virtutem, vel robur corporis spectes, a quo

quo tum in rebus bellicis, tum in civilibus maxima quaeque jure expectanda essent. Neque vero quisquam erat ex fratribus, qui agilitate, aut firmitate membrorum propius ad Carolum patrem accederet. Doluit casum et ipse Maximilianus, qui qualem de se egregius ille juvenis expectationem concitasset, optime noverat, diligebatque eum non mediocriter, uti Rodulfi maximi natu filii familiarem. Huic quippe Alfonsus inter honorarios ephebos fuerat, cum eoque in Hispaniam transmiserat: sed cum jam per aetatem non liceret diutius eo fungi munere, domum, ut moris est, se receperat, rediturus post aliquot menses in Hispaniam ad novum obsequii genus: verum aliter Deo visum. Scipio, audito Pyrrhi fratris in Italiam reditu, rogare illico eum per litteras coepit, ut vellet quamprimum se in Caesaris aulam conferre, ac negotiorum curam suscipere: illum enim, ut natu grandiorem, ut liberioris vitae generi addictum, ut prudentia, rerumque domesticarum usu insigniter praeditum, ad provinciam illam maxime aptum esse: se contra munus ibi exercere, quod neque litterarum studiis, in quibus educatus fuerat, neque ecclesiasticae vitae, quam jamdudum fuerat amplexatus, magnopere conveniret: plus satis jam officio suo se, atque adeo ipsi Deo defuisse, cum tot menses, abjectis

clericalibus vestimentis, profanum se hominem ostenderit : cupere vehementer, ut sibi tandem liceat ad consuetam vitae rationem, immo ad se ipsum redire. Pyrrhus, etsi non minus Scipionem diligebat, quam ab ipso diligebatur, cum tamen haud inutilis ad illum usque diem videretur sibi fratris opera, multorumque litteris, ac sermonibus didicisset, non parvam illum iniisse gratiam, tum a Caesare ipso, tum ab omnibus Regiae illius vel ministris, vel sectatoribus; amanter quidem respondit, sic tamen, ut cogeretur Scipio abjicere omnem spem in Italiam redeundi, non plane ad exitum perducto negotio: quae res eo magis ingrata illi accidit, quo se magis tempestive Romae futurum opinabatur, si de Sacri Senatus lectione aliquid Summus Pontifex statuisset. Neque vero omisit cogitationem hanc suam fratri subindicare; sed nihil profecit: eventus tamen ostendit, non temere Scipionem existimasse, uti suo loco dicemus. Interim, quoniam incidimus in mentionem mutati a Scipione habitus, non videtur praetermittendum, per quam occasionem id fecerit, ut inde pateat simul, quomodo ipse erga res ecclesiasticas eo tempore se habuerit. Quo igitur tempore profectus primum in Germaniam est, nondum is publicos disciplinarum interpretes audire desie-

rat : itaque quam tunc habebat consuetudinem , ut dictum est , profanis vestibus utendi , eam sibi retinere , dum profanum negotium , et apud homines plerumque vel a vera pietate dissentientes , vel certe in clerum non bene affectos tractandum sibi esset , non ipsi solum , sed aliis plerisque tolerabile visum est . Cur vero iterum idem fecerit , alia fuit causa nulla , nisi quod puduit ipsum , quadriennii tantum interjecto spatio , diversum a se ipso eorundem aspectui sese offerre ; praesertim cum in rebus ecclesiasticis non modo nullos ab eo tempore progressus , sed potius regressus fecisset . Admonitus enim ab Episcopo Mantuano , officii ejus esse , vel assiduam illi Ecclesiae praestare operam , seque divino cultui , et sacris addicere , vel sacerdotium dimittere ; jam inde ab suo Romam adventu , consentiente Summo Pontifice , abdicaverat se Archidiaconatu , ac post primae tonsurae , quae vocantur , initia nullum ad altiorem ordinem sacrum ascenderat : et libere quidem dimisit ille Sacerdotium Guillelmo Duci , qui jus habebat nuncupandi ; verum Hippolyti Cardinalis Ferrariensis opera factum est , ut et beneficium illud obtineret Julius Strozza patritius Mantuanus , qui erat eidem a poculis , et Scipioni dimidium fructuum annuorum , pensionis no-

mine, reservaretur. Hac autem pensione per se satis exigua ad alteram quandam etiam tenuiorem adjuncta, quarum utraque ducentorum septuaginta quinque numum aureorum summam non excedebat, continebatur quidquid in eam usque diem, ac per multos postea annos Scipio ex Ecclesiae reditibus est consequutus.

Pauci effluxerant menses, ex quo Guillelmus Dux de Gazoli possessione decesserat, cum Scipio nuntium a Pyrrho Fratre accepit, Fridericum patruum nullo recenti vitae periculo, sed Guillelmi tantum precibus adductum, eundem sibi testamento universae ditionis, non modo aliorum bonorum heredem instituisse. Dejectus scilicet Guillelmus priori spe hoc sibi subsidium comparavit, quo posset aliquando amissam possessionem recuperare. Hoc nuntio accepto, Scipio Caesarem continuo adit: factum exponit: rogat, ut imminenti periculo opportunum aliquod remedium adhibeat: id ni fiat, perturbatum iri omnia, et grave aliquod malum inde oriturum. Etenim scio, inquit, invictissime Caesar, nullam ex hoc facto juris accessionem Guillelmo fieri: cui enim non licuit pretio vendere, eundem quis dicat dono posse dare, cum hoc longe illo perniciosius sit? hoc ipsum tamen difficultates

nostras mirum in modum augebit, nisi ipse opportuno, ac celeri remedio occurras: remedium autem hoc fuerit, si quod, Friderico rebus humanis exempto, ferendum tibi esset judicium pro imperii tui munere, illud pro tua clementia hoc tempore repraesentes. Unum hoc beneficii loco abs te peto mihi concedi: quod vero ad consensum pertinet, nihil contendo, nisi illud prorsus decerni, quod leges jubent. Quae autem me moveat ratio, ut judicium praeverti cupiam, illa est: nam si sola innixus spe futuri contractus, non expectato Majestatis tuae consensu, ausus est Guillelmus arma in nos movere, quid faciat, mortuo Friderico, cum tabulas supremae eius voluntatis non diminutas, ut Jurisperitorum verbis utar, non vitiatas ostendere poterit? Ego vero tibi, Caesar, libere praedico, fore, id si fiat, ut vis vi repellatur: satis enim cuique videri debet, semel nos hanc perpessos esse injuriam, semelque ostendisse, et qua illum nos reverentia prosequamur, et qua fiducia ad augustissimum hoc tribunal confugiendum omnibus sit. Neque vero laboret quisquam, ut nobis persuadeat, viribus nos Guillelmo longe impares esse; hoc enim et ipsi optime novimus: at certum tamen est quodvis potius adire incommodum, ac discrimen, quam turpe

quippiam , aut gente nostra indignum committere : et fortasse non deerunt nobis amici, per quos ea geramus , quae per nos ipsi non possumus : itaque cavendum Guillelmo erit , ne quid aggrediatur, quod perficere in ipsius non sit potestate . Caesar enarrata dolenter audivit : ad petitionem ita respondit, ut polliceretur, facturum se omnia, quae vel jus ipsum, vel sui ratio muneris postularet. Consulto igitur Senatu, quid leges de ultima illa voluntate statuerent, ubi cognovit, in fratrum injuriam legatum illud factum fuisse, Scipionem autem non nisi aequa petere, illum paucis post diebus in hanc sententiam alloquutus est . Satis jam sibi exploratum esse, non posse Friderici testamentum, si qua juris ratio habeatur , ab se confirmari : decreto igitur aliquo se Fratrum causae consulturum, ne ullo tempore quidquam illis incommodi a Guillelmo possit inferri . Unum illud cupere se , ne parvi temporis mora Scipioni molesta sit : optare enim sibi spatium dari ad commodam aliquam ineundam rationem , qua cum levissima Guillelmi offensione id conficiatur . Nondum sibi excidisse memoria, quam ille moleste tulerit praeceptum de reddenda Gazoli possessione. Hanc lenitatem non sibi, sed Fratribus quaeri : ad Caesarem enim pertinere inter quos tanta esset san-

guinis conjunctio dare operam, ut ii non minus animo inter se benevolo essent, quam tuti ab mutuis injuriis. Ad haec Scipio; nulli perspectam magis esse quam Caesari suam in colenda Guillelmi existimatione modestiam: tanto sibi, quod jure posceret, gratius futurum, quanto id magis cum Ducis dignitate conjunctum fuerit. Interim sibi obticendum non esse, vereri se, ne, si res extrahatur, aliquid accidat, quod et benignam Caesaris voluntatem, et fratrum spem frustra habeat. Caesar, Scipione bene sperare jusso, totum sibi negotium perpendendum, ac definiendum sumpsit. Quoniam vero, pluribus transactis diebus, nihil super ea re decernebatur, ac mora moram excipiebat, Scipio tum apud Maximilianum ipsum, tum apud ministros causam suam agere non desinebat; instabat; urgebat; finem rogandi non faciebat. Cum proficeret nihil, rursus Caesarem adit: exponit; se optime intelligere, rem quotidie difficilius implicari, quod ratio non appareret, qua Guillelmo, et fratribus fieret satis; at viam reperisse se, quae nec fratribus incommoda, et Guillelmo longe honestissima ad existimationem esset. Jam Caesari compertum esse, modo legum majestas non nutet, non posse Ducem, invalido Friderici testamento, fratrum quidquam sibi de fratrum jure usur-

pare quod si ab incepto non abeat, eo venturum denique, ut legibus cogatur parere. At vero quanto honestius, et ad gloriam praeclarius id possit efficere, si non coactus legibus, sed sola animi magnitudine, ac liberalitate adductus suo quasi jure cedere videatur? Accedam igitur (inquit) vel ipse solus ad hominem, vel, si ita libuerit, una cum caeteris fratribus, eumque obnixe rogabo, ut, deposita omni praeteritae controversiae memoria, quod nos hactenus, Caesare, ac justitia vindice, nobis reddi depoposcimus, id velit ipse tanquam munificentiae suae donum nobis sponte, ac benigne elargiri: fore enim nos invicem paratos, non ea solum, de quibus modo disceptatum, sed et alia omnia, vitamque adeo ipsam, ubi res exigat, pro illius tuenda, atque amplificanda existimatione profundere. Tuum modo sit, Caesar, providere, ne frustra is a nobis labor suscipiatur. Placuit Caesari Scipionis sermo: sed nihil tamen actum est, aut quod desperaverit fore, ut a Guillelmo donum impetraretur, aut quod, cum illius voluntatem tentasset, abhorrentem plane ab ejusmodi conditione reperisset.

Interim illud accidit, quod tantopere verebatur Scipio; ut si minus vitati commodum, ac voluptatem, laudem certe praevisi damni consequeretur: dum enim

Pragae haec agitantur , Mantuae diem suum obiit Fridericus . Quod antequam eveniret , cum jam vitae ipsius nulla fere esset spes reliqua , misit Guillelmus nonnullos ex suis militibus , qui , dimisso Friderici praesidio, arcem Dosuli occuparent ; atque ipsius nomine custodirent . Hoc cognito Gazolani Pyrrhum illac forte venationis causa iter facientem adeunt : quid Dosuli actum sit narrant : idem sibi imminere ostendunt : rogant , ut velit eos in suam tutelam , fidemque recipere : nulli enim se mortalium libentius, quam ipsi , et fratribus parituros . Negat Pyrrhus licere sibi quidquam ejusmodi , superstite Friderico : curent ipsi , ut se liberos a Guillelmi servitio tandiu praestent , dum Fridericus e vita discedat ; ubi discesserit , nullo se periculo deterritum iri , quominus eorum , atque adeo suam ipsius ad extremum usque spiritum defensionem omni conatu complectatur . Quo promisso confirmati Gazolani Mantuanos milites , quos Guillelmus occupandae arcis gratia subinde miserat , ab oppidi ingressu arcuerunt ; atque ita non multo post , nuntiato Friderici obitu , Pyrrhus non Gazoli modo arcem obtinuit , sed totum oppidum operibus continuo , et munitionibus firmare , militeque , ac commeatu explere aggressus est . Utrumque indignissime ferens Guillelmus , tum

pedestres, tum equestres copias comparare, tormenta expedire, omnia denique moliri, quae ad inferendum bellum pertinent: interea vero cursorem quamociissime in aulam Caesaris cum litteris mittit, quibus significat, Pyrrhum ante Friderici obitum arcem Gazoli vi occupasse: nec mirum: ingenio enim illum esse admodum inquieto, ac turbulento, rixisque, ac controversiis excitandis apprime dedito; eum denique, qui nullius dicto audiens sit, omniaque animi impetu, non ratione agat: quocirca rogare vehementer, ab Caesare illi imperari, ne possessioni, quam ipse Guillelmus, tanquam heres a Friderico institutus, adire parat, obstare, aut quoquo modo impedimentum afferre audeat. Haec in Pyrrhum composita, ut, quocunque animum verteret, pessime sibi consuleret: nam si imperata faceret, cui dubium, quin Guillelmus nullo negotio possessionem adipisceretur, quam jure sibi nunquam obventuram sperasset? sin abnueret, tum ferox idem, atque impotens haberetur, nullaeque inde non attexi in illum calumniae apud Caesarem possent. His Caesar a Mantuano Oratore auditis, inconsulto Aulico consilio, (neque enim e legibus tunc agendum erat) sed, re cum secretiori tantum Senatu communicata, in eam statim venit sententiam; scribendum Pyrrho,

et, praevia nonnulla querimonia, ob occupatam (ut credebatur) nimis propere Gazoli arcem, injungendum ille esse, quandoquidem Guillelmus Dux heredem se Friderici asserat, a possessione oppidi illum ne arceat: in hoc, suum jus violari si putet, pareat in praesentia, deinde legibus de suo jure disceptet: se enim non nisi quod justum fuerit decreturum. In hanc sententiam datae sunt a Maximiliano litterae Pyrrho, ac Julio Caesari communes; statimque per eundem tabellarium in Italiam missae. Animadverterat quidem Scipio, Oratorem Mantuanum totum illum diem, quo tabellarius venit, huc, atque illuc concursasse, neque cum Caesare solum, sed cum praecipuis etiam Consiliariis serio, ac diligenter egisse; quamobrem suspicatus, aliquid contra se illum moliri, non destitit omni conatu investigare quid illud rei esset: nihil tamen deprehendit: res enim perpaucis erat nota: illi vero quidvis potius perpessi essent, quam eam ut Scipioni notam facerent; veriti fortasse, ne ille, ut miti erat ingenio, Pyrrho fratri obedientiam suaderet. Postero die venit et tabellarius a Pyrrho missus, a quo omnia, ut acta erant, Scipio cognovit. Tunc vero quid Mantuani Oratoris perpetua superioris diei concursatio voluisset sibi facile intellexit: nunquam tamen nisi

post multos dies, uti suo loco dicetur, quid super ea re decretum fuisset a Caesare, scire potuit. Cur autem Pyrrhi tabellarius serius, quam Guillelmi Pragam pervenerit, duae fuerunt causae: altera quod Germaniae propior Mantua est, quam Gazolum; Mantuae autem obiit Fridericus: altera quod Pyrrhus, cum audisset, Guillelmum Ducem militem conscribere, ut Gazolum invaderet, voluit ea de re certi aliquid Scipioni fratri, ac per eum Caesari significare. Lectis igitur litteris, statim Scipio ad Caesarem adit: quae Friderici mortem sint consequuta ostendit: quid ipse futurum praedixerit, si ante decretum promulgatum Fridericus ex humanis excessisset, quidque Caesar pollicitus pluries fuerit, in memoriam redigit: rogat denique, ut Guillelmum jubeat arma deponere, et a vi, quam minatur, abstinere: alioqui vereri se, ne eo armis deveniatur, unde facilis non sit regressus. Quoniam vero inter loquendum dixerat Scipio id, quod res erat; Guillelmum, vivente adhuc Friderico, Dosulum occupasse; Pyrrhum autem Gazolum esse ingressum, eodem jam vita functo: huic uni rei respondit Caesar; se longe aliter edoctum fuisse. Tum Scipio quid quid a se dictum esset scriptis, ac testibus planum se facturum promisit: quibus extremis verbis Caesar, etsi nihil res-

pondit, in eam tamen speciem os conformavit, unde facile intelligeres, falsi aliquid animo imbibisse, aut certe ita videri velle, ut quod praeceperat, id ratione aliqua praecepisse videretur. Post Caesarem alloquutus est Scipio Consiliarios omnes, quo objectorum falsitatem demonstraret: sed a nullo responsum certum retulit, ita ut in maxima rerum ignoratione complures transegerit dies: totum enim negotium eo vergebat, ut expectaretur quid a Pyrrho post acceptum mandatum actum esset. Res tandem hunc in modum patefacta est. Nam cum Pyrrhus, divino procul dubio instinctu, Caesareo paruisset mandato, seque statim una cum Julio Caesare fratre in viam mutatis ad celeritatem jumentis dedisset, tum ut factum purgaret suum, tum ut de alieno expostularet; accidit quodam die, superato jam Oeniponte, dum seminudus e lecto surgere, aut potius descendere aggreditur (sunt enim plerumque in ea regione lecti adeo a terra sublimes, ut ad eos binis, vel ternis gradibus ascendatur) ut e superiore gradu, prolabente vestigio, aerata ligula femori infixa maximum primo dolorem excitarit, deinde cum, spreto vulnere a cursu propterea non desisteret, ita coxam infecerit, ut se iterum in lectum dare coactus fuerit; quare factum est, ut quamvis iter Pyrrhus nunquam

intermisisset, cum tamen cogeretur curru vectus, atque inter duas plumeas culcitras decumbens sensim progredi, praemiserit ex suis quendam, qui Scipionem tum de litteris a Caesare acceptis, tum de iis, quae ab ipso per obedientiam acta essent, certiorem faceret. His Scipio auditis, ut par erat, dolore, atque indignatione aestuans Joan: Baptistam Veberum Vice-cancellarium, hominem inter omnes, qui Caesari erant a consiliis longe primarium, statim convenit, eumque post parcam, et frigidam salutationem in haec fere verba alloquitur. Quid hoc rei est, Vebere, quod de his, quae hic adversus me decernuntur, ex Italia prius, quam hinc certior fieri debeam? Siccine, cum hic non tam procuratorio, quam proprio nomine causam ipse agam, fratribus meis, me inscio, mittuntur mandata? quae porro illis sine meo, atque alterius fratris, qui hic sumus, consensu est in re, causaque communi auctoritas? Sed his omissis, cujusmodi tandem fuit mandatum istud vestrum? jubetis, Pyrrhum Gazoli possessione Guillelmo cedere: quam quaero ob causam? an quod heres a Friderico institutus sit? at quid de hoc hereditatis jure vos ipsi sentiatis, me optime scire nostis: an poenae loco delati criminis? nam dicunt, eandem Pyrrhum adiisse possessionem, nondum mor-

tuo Friderico. At nihil minus. Quod si ita juberi non decuit, qua nos lege ad obtemperandum adigi possumus? Dum haec, et alia id genus multa diceret Scipio, Veberus caput identidem perfricare, ut sui moris erat, cum illum alicujus rei aut taederet, aut (quod usu tunc veniebat) puderet. Tum, Scipione jam tacente, ex illo non semel sciscitari, an mandato paruisset Pyrrhus? Quam interrogationem cum ambiguis responsionibus diu elusisset Scipio, demum; libero te, inquit, omni solicitudine: par quidem erat, vel mandatum negligi, quod injuste a vobis in nos extorqueri passi estis, vel tandiu dissimulari, quoad nos Caesarem adiremus: nostra tamen in illum singulari observantia factum est, ut, nulla objecta mora, nulla interposita conditione, inauditi paruerimus: sed hac ipsa de re expostulatum veniunt Pyrrhus, et Julius Caesar; jamque hinc non longe absunt. Ego vero interim vobis denuntio; si postea quam compertum vobis fuerit, rem, quo nos dicimus modo, se habuisse, damno, atque injuriae in nos illatae prospicere neglexeritis, fore, ut condiscant plerique, et cum aliis ipsi nos, vestris posthac mandatis non obtemperare. Ad haec Veberus, vultu mirifice exhilarato, quasi tamen sibi imponi vereretur, semel, atque iterum quaerere instituit,

num ita se res haberet, ut exposuerat Scipio. Illo prorsus asseverante, ibi jam exclamans prae gaudio; beasti me, inquit Veberus, nihil melius, nihil commodius effici potuit. Haec audiens Scipio percepit illico, quae ad illum usque diem occulta sibi fuerant: quamobrem ad Veberum conversus; ah, inquit, Vebere, cur tantopere miraris? quid sibi vult hujusmodi exultatio? quid difficultas credendi? nisi, te quoque optime videre, quam non honestum id fuerit, quod jussistis. Quid si non paruissemus? dignine propterea eramus, qui non illa modo ditione, sed Caesaris etiam gratia dejiceremur? ergo offendiculum injecistis, in quod si impingeremus certa nobis pernicies immineret? Cui Veberus; missa in praesentia isthaec faciamus: hoc scito, Pyrrhum optime fecisse: quare accedat fidenti animo: nam isthac sua obsequendi facilitate consequuturum illum spero, ut Caesar res vestras paterno posthac complectatur affectu, illasque quam celerrime, et quam gratiosissime expediat: quod si non fecerit, neque bene, neque auctore me fecerit. Ab hac sermocinatione Scipio hilarior multo, quam venerat, discessit; eam potissimum ob causam, quod insperato videbatur sibi detexisse, quibus artibus grassati ea in re adversarii fuissent. Itaque maximas Deo agebat

gratias, quod Pyrrho in tam ancipiti consilio meliorem mentem dedisset. Cum vero ab eo, qui nuper venerat ex Italia, de belli progressu, exituque perconctaretur, quidve tandem egregii tot Guillelmo Duce coactae copiae perpetrassent? accepit; in conspectum quidem Gazoli venisse Mantuanos, nec tamen ausos oppugnationem aggredi, quod scirent, Pyrrhum, et milite satis instructum, et animo paratum esse omnia subire potius, quam oppidum illud non ad extremum usque defendere: semel tantum parum abfuisse, quin cohortes quaedam manus inter se consererent. Cum enim quodam die cognovisset Pyrrhus, tercentos circiter hostium pedites non e regione Gazoli, sed inde ad tria passuum millia Ollium trajicere, misit illico totidem ex suis, qui illos inde exturbarent. Horum adventu cognito, Mantuani statim se in fugam conjecerunt, intacta, quam paraverant, coena; qua nostri haud sine risu potiti sunt. Ita in irritum omnes conatus recidere. Quod procul dubio divina benignitate factum est, ut vere dici posset, tantos armorum apparatus, ac motus ne gutta quidem sanguinis constitisse. Interrogatus idem, quid fecerit Pyrrhus, lectis litteris de cedenda Guillelmo Gazoli possessione? respondit; diu quidem illum ancipitem fuisse, primo utrum, non expe-

ctato Scipionis nuntio, parendum illi esset; deinde quomodo id agere deberet: constituisse tandem absque cunctatione parere: sed ita tamen parere, ut omnem dedecoris labem evitaret: quare inde se recepisse, relicto, qui suas partes ageret, illo ipso, quem oppidi Praetorem constituerat; at hunc statim a Mantuani Ducis ministris e toto oppido ejectum fuisse. Ita Scipio de rebus procul gestis certior factus est. Paucis vero post diebus pervenerunt Pragam Pyrrhus, et Julius Caesar: sed Pyrrhus ingravescente in dies morbo diu decumbere coactus est; ac periculum suberat, non sine magno vitae discrimine, ne ob influentes largius humores vulnus computresceret, ni Chirurgus quidam, non tollendo vulnere, sed vulnus vulneri addendo, depellendi morbi viam aperuisset. Quod tamen per se agere Pyrrhus non potuit, egit per alios; brevique, tabulis publicis adhibitis, effecit, ut Caesar cum rem totam liquido notam haberet, tum vero, fratres ipsos, ne dum eorum negotium summa caritate, ac benignitate complecteretur. Illud tamen ad cumulandam eorum voluptatem defuit, quod nequiverunt a Caesare obtinere, ut in Gazoli saltem, si minus Dosuli, possessionem restituerentur: pollicitus ille quidem est non verbis solum, sed scriptis, fore, ut negotium summa celeritate absolveretur. In

cujus executionem decreti, primo loco jussi sunt fratres jura sua omnia simul promere: quod ab iis lubentissimo animo factum est: atque ita non multo post novo edicto idem facere jussus est Guillelmus intra quintum, et quadragesimum diem: eo exacto spatio, non obscure significabatur, velle Caesarem de tota re lege decernere.

Hoc rerum statu visum est Pyrrho expedire, ut duo ex fratribus in Italiam regrederentur; erat enim Caesar brevi Praga Spiram discessurus ad universi Imperii Comitia celebranda: quem eo sequi omnes neque utile, ob immoderatos sumptus, neque necessarium ad litis procurationem videbatur. Cum itaque in consultationem venisset, utri ex duobus natu grandioribus, una cum Ferdinando immorandum in Regia esset; quamvis Scipio, quae olim per litteras, eadem nunc coram agere non desineret; tamen non tam fratrum, quam ipsius Caesaris, omniumque Consiliariorum voluntati obsequendum illi fuit, qui unanimi consensu illum ut maneret cohortati sunt. Qua ipsa in re eo minus repugnantem se praebuit, quo sciebat, Romae occasionem illam rei bene gerendae, quam superioribus mensibus Pyrrho subindicaverat, elapsam jam esse. Quo autem fundamento niteretur spes illa, ex his, quae deinceps dicentur, facile ap-

parebit. Ita eodem fere tempore in Italiam rediere Pyrrhus, et Julius Caesar; Scipio vero, et Ferdinandus Caesarem ipsum Spiram sunt comitati. Haec ferme in Gazolana controversia ad eam usque diem acta sunt. Verum ne illa quidem praetermittenda, quae extra litis negotium Scipioni, dum Pragae degeret, acciderunt. Cum igitur quodam die in anteriori cubiculo, ubi paullo post coenaturus erat Caesar, Scipio cum aliis multis, uti solebat, versaretur, adhaerens illi Joannes Manriquius Hispanus, unus ex interioribus a Caesaris cubiculo; gratum Caesari, inquit, feceris, Scipio, si crastina die huc accesseris maturius, quam soles: cui Scipio; ita loqueris, ut non audeam interrogare, quae sit causa hujusmodi mandati: hoc scito, me prima luce affuturum. Tum ille; sic, inquit, facito: audies enim aliquid novi. Postera igitur illucescente die, Scipio ingressus est aulam, quo parvo temporis intervallo convenerunt omnes fere, quibus ad cubiculum interiori proximum fas erat accedere, Oratores, Consiliarii, aliique Principes viri. Quibus coactis, ac demum ad Caesarem ingredi jussis, stans ille, atque abaco innitens, chartamque scriptam manu tenens Zasio illi, quem pestilentiae metu correptum diximus paullo post diem suum obiisse, annuit ut diceret. Ille vero Latino, atque ele-

ganti sermone nonnulla praefatus, quae tum ad eorum, quae dicenda erant, intelligentiam, tum ad Caesaris indicandam voluntatem ab eo ipso, quod acturus erat, quam maxime abhorrentem pertinerent, propius ad Maximilianum accessit, et, charta ab eo reverenter accepta, quae in ea scripta erant, clara voce recitavit. Ea fuerunt hujusmodi.

„ Cum ad nos praeteritis mensibus, nobis nihil mi-
„ nus expectantibus, per Illustrem Florentiae Ducem,
„ Principem, et Affinem nostrum carissimum, inter
„ caetera perscriberetur, se a Sanctissimo Domino Pon-
„ tifice in Magnum Etruriae Ducem creatum; nul-
„ lum tamen, nec Breve, nec Bulla Suae Beatitudinis
„ transmitteretur, utique non satis certi esse potui-
„ mus de iis, quae in ea re a Sanctitate Sua acta fuis-
„ sent. Quare Dilectioni suae aliud rescribere non
„ voluimus, quam quod gaudebamus de iis, quae ad
„ Dilectionis suae honorem, et dignitatem pertine-
„ rent. Quia vero facile animadvertimus, ea omnia,
„ quae Sanctitas Sua de Etruria Sac: Rom: Imperio su-
„ bjecta Provincia disponeret, qualiacumque ea es-
„ sent, talia tamen fore, quae sine gravi nostro, et
„ Imperialis nostrae jurisdictionis, atque adeo suc-
„ cessorum nostrorum Romanorum Imperatorum, et
„ Regum praejudicio fieri non possent, etiam in

„ ipsa rei incertitudine maturius deliberandum duxi-
„ mus, maxime cum interea variis rumoribus ad nos
„ perlatum esset, Sanctitatem Suam non contentam
„ Bulla ad Florentiae Ducem super praedicto Magni
„ Ducis titulo transmissa, etiam id animo agitare, ut
„ ipsi Duci Romam venienti regium diadema, et co-
„ ronam quandam imponeret. Et quamvis talibus ru-
„ moribus minus certam fidem adhiberemus, sicut
„ merito id plane credere non debebamus, propter
„ ea, quae interim nobis Dilectio Sua litteris ad nos
„ datis significaverat; tamen pro ea, quae nos tenet,
„ solicitudine intermittere noluimus, quin Oratori no-
„ stro apud Sanctitatem Suam residenti Magnifico
„ Prospero Comiti Archi committeremus, destina-
„ tis ad ipsum specialibus nostris Caesareis manda-
„ tis, ut quam primum cognoverit, vel coronae ali-
„ cujus impositionem, vel alium quempiam sole-
„ mnem actum in ipsa civitate Romana eo in ne-
„ gotio institui, statim Sanctitatem Suam conveni-
„ ret, eidemque nostro nomine, secreto, demonstra-
„ ret; Nos nostrae erga Electores, aliosque Princi-
„ pes, Ordines, et Status Imperii, obligationis,
„ adeoque Caesarei nostri muneris ratione, (etsi in-
„ viti admodum, et summa cum animi molestia facere-
„ mus, quod Sanctitati Suae displicere arbitraremur,)

„ illa nequaquam pati, nec quod silentio praeterean-
„ tur ferre posse. Quapropter Nos Sanctitatem Suam
„ enixe, summoque studio rogatam velle, ut rem hanc
„ altius considerandam susciperet, et quousque San-
„ ctitatem ejus progredi conveniat perpendere; nec
„ causam praebere vellet nobis per Oratorem nostrum
„ publicas protestationes interponendi, et vel hoc pa-
„ cto jura Imperii tuendi: cum alias timendum foret,
„ ne ex illis varia sequerentur, quae nec ad Sanctita-
„ tis Suae propositum juvandum, nec ad ipsius Du-
„ cis dignitatem promovendam usque adeo opportu-
„ na essent futura: et quod ipse Orator mandatum
„ haberet jam tunc apud Sanctitatis Suae personam
„ adversus ea, quae in nostrum, et Sac: Rom: Im-
„ perii praejudicium tenderent, protestandi, cum re-
„ servatione eandem protestationem postmodum, ubi
„ Sanctitas Sua nihilominus in priori sententia per-
„ sisteret, publice etiam interponendi, sicuti in eum
„ casum publicam protestationem nostro nomine
„ faciendi, ipsi expresse, et specialiter injunximus,
„ et mandavimus. Nunc autem ex litteris praefati
„ Oratoris nostri ad Nos die v. hujus mensis Martii
„ datis plane edocti sumus, se aliquibus ante diebus,
„ cum jam Florentiae Dux Romam venisset, perce-
„ pisse non solum de publico aliquo actu, sed etiam

„ de coronando ipso Duce tractari : et propterea San-
„ ctitati Suae se summa cum reverentia , humilitate,
„ et modestia , ea omnia, quae a nobis ei commissa
„ erant , exposuisse . Nihil tamen ea etiam pluribus
„ vicibus repetita , nec rogando , nec persuadendo,
„ nec protestando efficere potuisse : adeo ut, cum jam
„ dies coronationis destinatus esset , et hora ejus
„ actui instaret , invitus eo descenderit, etiam pu-
„ blicam,ut jussus erat, nostro nomine protestationem
„ facere : nempe, quod iis , quae Sanctitas Sua circa
„ saepedicti Ducis Florentiae coronationem actura es-
„ set, non consentiat; immo quoscumque actus, quos
„ circa erectionem Magni Ducatus Etruriae Sanctitas
„ Sua fecisset, faceret, et factura esset, tam ratione
„ praejudicii nostri, et Sac:Rom:Imperii, quam ex aliis
„ quibuscumque juribus, nullos, et invalidos dicat;
„ reservato nobis ulterius , si ita nobis videatur ,
„ protestandi jure . Significavit etiam nobis idem
„ noster Orator,paucis horis postea Sanctitatem Suam,
„ pluribus adhibitis solemnitatibus, non solum co-
„ ronam capiti Ducis Florentiae imposuisse, verum
„ etiam sceptrum in manus ejus tradidisse . Quod
„ si haec , ut non dubitamus , ita se habent , non
„ possumus non illa per quam moleste ferre , ut quae
„ nobis, et Sac: Rom: Imperio detrahere, jurisdictio-

„ nem noſtram labefactare , jura noſtra , et Sacri
„ Imperii auferre , atque adeo dignitatem , et admini-
„ ſtrationem noſtram Imperialem in dubium vocare
„ manifeſtiſſime deprehendantur. Ideoque in primis,
„ et ante omnia, ſingula ea, quae ad impediendam prae-
„ fatam inaugurationem , et coronationem ab Oratore
„ noſtro hactenus facta, acta, geſta, et proteſtata fue-
„ runt, rata, grata, et accepta habemus; eaque omnia
„ approbamus; et quod ex ſpeciali noſtro mandato
„ proceſſerint declaramus. Ulterius etiam nunc, ſta-
„ tim ubi de his ab Oratore noſtro certiores facti ſu-
„ mus, proteſtantes, et dicentes, quod quamvis nobis,
„ praeter actus publicos celebratos, et quae ab Ora-
„ tore noſtro perſcripta ſunt de tenore Bullae, et con-
„ ceſſionis a Sanctitate Sua factae, nihil certi conſtat;
„ ut quae Bulla Oratori noſtro, etiam ſolicite petenti
„ ad perlegendum ſaltem, fuit denegata; nihilominus
„ declaramus, quod ea omnia, et ſingula, quae a San-
„ ctitate Sua circa praetenſam erectionem Magni Du-
„ catus Etruriae factam, incoronationem, ſceptri-
„ que traditionem acta, geſtaque fuerunt, et omnes
„ omnino alii actus in eo negotio celebrati ſint nulli,
„ invalidi, et inutiles; et quod nobis, et Sac: Rom:
„ Imperio, noſtriſque ſucceſſoribus Romanorum Im-
„ peratoribus, et Regibus, omnis noſtra juriſdictio,

„ dignitas, et praeeminentia, atque adeo omnia no-
„ stra jura debeant esse salva, integra, et illaesa:
„ cassantes, annihilantes, et tollentes; ac cassa, irrita,
„ et annihilata declarantes omnia, et singula, quae in
„ nostrum, et Sac: Rom: Imperii, successorumque no-
„ strorum Romanorum Imperatorum, et Regum prae-
„ judicium, quomodocumque, directe, vel indirecte
„ vergere, vel juribus nostris, et illorum quidquam
„ detrahere possent „.

Haec Caesareae contestationis formula: et Scipio, qui, ut homo ecclesiasticus, et Romanae sectator curiae, spectator potius esse debuerat Cosmi coronationis, actus omnino oppositi, praeter voluntatem, et expectationem, testis fuit. Quem vero finem habuerit inter hujusmodi Principes orta dissensio, licet plerisque non ignotum sit, alienumque videatur ab operis argumento, attingam tamen et ipse, ut hinc appareat, tum quam magnas animorum mutationes ferat tempus, tum quam multae Principibus viris pateant rationes aliorum Principum animos sibi conciliandi, deque ipsis bene merendi. Idem ipse Maximilianus paucis post annis, Cosmo jam vita functo, Franciscum filium, sive ductus benevolentia, quod ipsius Sororis esset vir, sive obsequiis delinitus, sive, quod, praeter haec, satis consultum videretur Caesareae di-

gnitati, cum quae antea Summo Pontifici, eadem sibi accepta essent referenda, non iisdem modo, sed longe majoribus honestavit privilegiis: quippe eum in Magnum Etruriae Ducem ita extulit, ut ipsius ordinem ad Regiam potestatem proxime accedere, aliorumque Ducum ordine superiorem esse apertissime declaraverit. [19] Quam declarationem illud statim consequutum est, ut ipsius Magni Ducis Oratori locus inter Regios Oratores, infimus tamen, assignatus fuerit. Quae res inferiorum Ducum, Italicorum praesertim, animos exulceravit. Sed ira in primis exarsit Emanuel Philibertus Sabaudiae Dux, ut qui a Pio Pontifice in ipsa magni Ducatus institutione nominatim ita exceptus fuisset, ut de ejus dignitate nihil idcirco detractum esse videretur. Inter primarios Aulae Caesareae Proceres tum nobilitate, tum officio valde enitebat Nicolaus Popnamius Praetoriae Cohortis Praefectus, atque hereditario jure, Imperii, ut ajunt, Marescallus, cujus munus est, absente Saxoniae Duce, qui dicitur Sac:Rom: Imperii Archimarescallus, evaginatum gladium ante Caesarem gestare. Hic morbo in ea regione satis communi laborabat, nimirum Lutherana haeresi: illud vero non omnino commune illi erat cum caeteris suae sectae hominibus, quod nullis instructus disciplinis, sed militari tantum virtute

ornatus, de rebus ad fidem pertinentibus, tam audacter, tam copiose, tam acriter disserebat, ut a suorum plerisque tanquam insignis aliquis Ecclesiae Doctor suspiceretur, ac coleretur. In iis erat quidam nobilis et ipse Germanus, cognomine Oborterus, Caesaris familiaris, et abaci custos, qui nunquam ab ejus latere discedebat: itaque, pravis illius opinionibus imbutus, eadem prorsus cum illo sentiebat; neque tamen, ut ille, sententias effutiebat, quacunque data opportunitate; sed de sua salute mire solicitus avide hauriebat quid quid alii, et praesertim Popnamius, de fide, ac religione loquerentur. Accidit quodam die, cum Caesar esset in venatione prope vicum, qui Bohemica lingua Brandais vocatur, ad ripam Albis insignis fluvii situm, distantem Praga duobus tantum Germanicis milliaribus, ut omnes qui aderant, quodam in loco consisterent, expectantes, quam mox ferae vicino e saltu exsilirent. Cum vero, ut fit, sex vel octo simul nobiles viri, partim ex vera nostra, partim ex falsa illa religione, equo sustinuissent; et, facto circulo, sermones inter se serere coepissent, ecce tibi Popnamius ille omnium oculos, atque aures in se convertit: nam, quasi conscenso suggestu, concionari de rebus divinis aggressus est. Aberat initio, non longe tamen, ab eo coe-

tu Scipio: sed cum paullo post sacra misceri eloquia comperisset, non antea, equo admisso, propior factus est, quam ex impurissimo illo ore falsum omnino, ac perversum audivit dogma: quo ille prolato, ut voluntatem aeque, ac mentem depravatam ostenderet, tam acri, ac vehementi oratione invehi coepit adversus praecipuos Ecclesiae Sanctae Antistites, ut Summum ipsum Pontificem non alio quam Antichristi, aut Diaboli nomine dignaretur: reliquos autem inferiores Episcopos sycophantas, ac nebulones per maximum contemptum appellaret. Peroravit tandem concionator egregius: et, quod sine summa indignatione dici non potest, nullus fuit ex iis, qui aderant, catholicis, quin risu, et applausu perorantem exciperet, ne dum illius audaciam, et impudentiam vultu, verbisve retunderet. Id animadvertens, atque, ut aequum erat, indignissime ferens Scipio, quamvis ut diximus, ex illorum coetu non esset, non potuit tamen se continere, quin in medium prosiliens in haec fere erumperet verba. Ah Popnami, quam aperte indicasti, iniquam te fovere causam, quando rem plenam mendacii effatus, cum unde probares non haberes, ad maledicta te contulisti! quod quam dignum sit nobili viro, atque honorato, aliorum sit judicium. Id ne vero sancta tua isthaec jubet

religio, ut in homines divino cultui mancipatos non nisi probra, ac convicia ingeras? Sed haec omitto in praesentia: venio ad illud, quod primo loco dixisti, ne quis eorum, qui adsunt, tuo deceptus sermone in pravum sensum abducatur. Hic vero dictum illius ita refellit, ut nullus fere, ne apud ipsos quidem haereticos,. remaneret dubitandi locus. At Popnamius, cum semel, atque iterum pauca quaedam ad suae pravitatis defensionem in medium attulisset, convictus tandem novis responsionibus siluit: sed ne videretur eam ob causam loqui desiisse, et ita suae existimationis jacturam faceret, caput quassans, quasi irrideret, cachinnum sustulit. Tum Scipio justa incensus ira; non est, inquit, cur rideas, ego enim te, et quotquot tecum sentiunt non modo risu excipiendos, sed pessimis etiam modis accipiendos puto: quod si rationibus acquiescere nolueris, paratus sum eo, quo cingor, gladio ad extremum usque spiritum veritatem, quam fide teneo, defendere. His Popnamius auditis, omnino obmutuit. Caeteri admiratione obstupefacti Scipionem intueri, quasi magno se exposuisset periculo, qui talem virum, tali in loco, non longe ab ipso Caesare verbis, atque adeo armis lacessisset. Caeterum nihil inde mali sequutum est; immo hoc bonum, quod, peracta jam venatione,

cum omnes Pragam repeterent, Oborterus ille, quem diximus, assiduum fuisse Popnamii asseclam, relicto in praesentia fidei Magistro, soli Scipioni dedit se itineris socium, magnis ab eo precibus contendens, ne gravaretur, quae antea Popnamio dixerat, eadem ipsa sibi aliquanto fusius explicare. Causam vero postulati dixit esse; quod nihil tale ipse unquam audivisset. Tunc Scipio; libentissime faciam quod petis. Sed quid mirum, (ait) nova haec auribus tuis accidere, cum caeteris omnibus fere auditum praecludas, praeterquam Popnamio isti tuo, qui de Christianis dogmatibus perverse admodum sentit? Quamobrem rogo te, Obortere, audias interdum et alios praeter ipsum: quod si feceris, qua decet humilitate, et omni alio exutus, praeterquam salutis adipiscendae, studio, non dubito, quin Deus pro sua misericordia daturus sit tibi, ut e tenebris mendaciorum emersus, lucem veritatis aspicias. Sub haec dicta rem, de qua fuerat disputatio, accurate, ac diligenter illi declarat; nonnullaque praeterea addit, quibus ille mirifice recreari visus est. Dicebat enim, in iis, quae a Scipione allata in medium fuerant, animum suum, tanquam e mediis eductum fluctibus, in tranquillo conquiescere; remque aliter se prorsus habere non posse. Ab eo die Scipio usus est Obor-

tero valde familiariter, delectatus videlicet hominis ingenuitate, et summa, quam adhibebat, cura in iis addiscendis, quae ad animi salutem pertinerent; cum antea illius consuetudinem vitasset; propterea quod jurasse illum in verba Popnamii arbitraretur. Neque vero fefellit Scipionem spes, quam de illius futura conversione conceperat. Siquidem paucis post annis, cum Scipio jam pridem in Italiam rediisset, audivit, illum, abjectis, ac repudiatis erroribus, Ecclesiae Sanctae conciliatum e vita migrasse. Per id tempus Maximilianus duas natu majores filias Annam, et Margaritam, illam quidem Philippo II. Hispaniarum, hanc vero Carolo IX. Gallorum Regi spoponderat. Quare cum, saeviente adhuc hieme, ad eum, sive officii, ut putabatur, sive negotiorum causa, ut verisimilius est, convenissent Augustus Saxoniae, et Albertus Bavariae, Duces, praeter lautissimum, et vere regium, quo eos excepit, hospitium, (dicebatur enim singulis diebus quatuor talerorum millia in eorum victum impendere) nonnulla, quanquam Quadragesimali tempore, edidit spectacula, et in his equestrem hastarum ludum, in quibus ipsemet Caesar, et Saxo, quantum ea in re uterque excelleret, ostenderunt. Sed praeter haec, in quibus nihil inerat discriminis, hastis adversis libere inter alios concertatum est, et

pugnae etiam pedestris simulacrum exhibitum, in quo Ferdinandus Scipionis frater palmam omnium consensu tulit. Paucis vero post mensibus, ante tamen quam Spiram iretur, Carolus Austriae Archidux Pragam venit, et Philippi Regis nomine, anulo Annae dato, rituque Ecclesiae in omnibus servato, sponsalia celebravit. Eodem munere Spirae inter ipsa Comitia functus est Ferdinandus Archidux pro Carolo Rege, cui, ut dicebamus, desponsa Margarita fuerat: ex quo tandem loco ad suum utraque virum honestissimo comitatu, dimittente Caesare, profectae sunt. Et Anna quidem cum Alberto, et Winceslao fratribus natu minimis per Rhenum secundo flumine in Belgium delata, ibique Ferdinando Toleto Albano Duci, Philippi Vicario in ea regione commissa est; Margarita vero aliquanto post terrestri itinere in Galliam recta contendit. Sed ad institutam rerum seriem redeamus. Jam advenerant Kalendae Juniae, qui dies Spirensi profectioni fuerat constitutus, cum Caesar, uxore, filiis, et universa cohorte Regia comitatus, iter ingressus est. In eo itinere Maximilianus urbes aliquot ex iis, quae Germano more liberae dicuntur, solemni apparatu iniit. Vetus enim provinciae consuetudo est, ut Imperatores creati, primo in liberam quamque urbem aditu,

non nisi magna pompa ingrediantur. Caeterum uti in tota illa via, quae e Bohemico Regno Spiram ducit, nulla reperitur major urbs, aut rebus omnibus instructior, quam quae olim Segodunum, nunc Nuremberga appellatur; ita nusquam ornatu majore, aut solemniore apparatu exceptus est Caesar. Sita est Nuremberga, quasi in totius Germaniae umbilico, et quamvis ampla undequaque excurrat planities, intra tamen ipsius urbis ambitum ingens e silice tumulus exurgit, quo in tumulo extructa est arx, ad cujus egregiam munitionem nihil omnino potest, praeter amplitudinem, desiderari. Porro Civitas haec, frequentissimum fere totius Germaniae emporium, administratur more Reipublicae, utiturque, magnam partem, Venetorum legibus, a quibus jam pridem petitas per legatos fama est, quemadmodum olim a Romanis factum constat, cum Decemviri in Graeciam missi sunt. Imperatorem vocant non Dominum, sed Reipublicae Patrem. Ex ea facillime educi possunt ad quatuordecim militum millia armis apprime instructa. Magnitudine, atque aedificiorum elegantia certat cum Augusta Vindelicorum, atque Argentorato. Quod nisi miserando errore involuta, a Christiana religione penitus descivissset, nihil illi ad felicitatem deesse videretur. Quid vero credant, ignorant pror-

sus : quamvis enim Lutheri superstitionem potissimum profiteantur, novam tamen sibi quotidie cudunt fidem. Ita dixit Scipioni ipsius hospes, vir neque ineptus, neque indoctus. Nam interrogatus primo de Reipublicae administratione, miris laudibus in caelum extulit eorum prudentiam, penes quos summi imperii procuratio est: sed interrogatus tandem de fide, et religione; in hoc uno, respondit, male nobiscum agitur: eo enim res deducta est, ut jam nobis ipsis non liqueat, quid credere debeamus; quando novae nobis credendi formulae a Magistratibus quotidie fere praecipiuntur: aptant scilicet novo, atque utinam ne nimis recepto more, ad profanas Civitatis leges religionem. Quanto igitur ex hac Urbe Scipio post tridui moram tristis, ac moerens discessit, tanto ex alia, quae est in Bohemia, paucis ante diebus hilaris, gaudensque discesserat: in ea enim, praeter spem, omnes, ad unum, reperit Catholicae fidei propugnatores acerrimos. Urbi nomen est Pilzen: quae angustis quidem finibus circumscribitur, sed, praeter Christianae religionis sinceritatem, singulari in Bohemiae Regem fide semper enituit. In ea si quis diabolico instinctu deprehenditur ad hereticorum partes propendere, jubetur statim, venditis rebus omnibus, solum vertere: quo praecipue reme-

dio fit, ut integra adhuc, atque incorrupta in ea, quam a majoribus accepit, religione permaneat. Post viginti circiter dierum iter Spiram ventum est: quo antequam perveniret Scipio, cognovit Franciscum Gonzagam Novellariae Comitem missum a Guillelmo Duce, qui omni ope contenderet apud Caesarem, ut negotium Gazolanum alicui inferiori Judici in Italia delegaret. Jussus quippe Guillelmus, ut diximus, omnia jura sua in medium afferre, cum quid amplius ostenderet non haberet, ad hoc se recepit perfugium, ut quae causa jam a calce non longe aberat, eam denuo ad carceres maximo fratrum, ut qui extra ditionem essent, detrimento revocaret. Utebatur autem ad hoc suadendum eo argumento Guillelmus; in pace Constantiae sub Friderico Imperatore olim inita ita convenisse, ne quis Italus cogeretur invitus extra Italiam judicio contendere. Quod igitur privatis hominibus denegari juste non poterat, id sibi primario, ac principi viro multo minus denegandum esse. Caesar, etsi postulati iniquitatem probe noverat, cupiens tamen Guillelmi, qui per id tempus nonnullis eum sibi officiis devinxerat, desiderio satisfacere; ex altera vero parte memor, se haud semel Scipioni pollicitum, permissurum se nunquam, ut negotium illud extra Aulam suam aman-

daretur, medium amplexus est consilium, nimirum ut id Scipionis ipsius voluntate faciendum curaret. Accersito igitur Vebero, quid fieri vellet ostendit. Is sine mora Scipionem Caesaris nomine convenit: longaque, ac vehementi oratione conatur ei persuadere, ut Guillelmi petitioni assentiri animum inducat: id enim tum ipsi Caesari pergratum, tum ad benevolentiam inter cognatos redintegrandam longe accomodatissimum fore. Scipio inopinata re perculsus parum abfuit, quin pro sua in Caesarem observantia manus statim daret: ut primum tamen se collegit, matureque quid inde sibi, et fratribus incommodi necessario subeundum esset, consideravit; negandum sibi omnino illud statuit, quo dato, nullum unquam coepta lis habitura esset exitum. Quare praesenti animo ad Veberum conversus in hunc fere modum illi respondit. Gratias Caesari habeo immortales, quod dignetur ea in re consensum a me petere, quem exigere ipse a me suo jure potest: quoniam vero placet hoc me honore afficere, ut quid ego sentiam possim libere proferre, dicam paucis quidquid mihi dictat ratio. Sic igitur statuo, aliam nullam hujus postulati esse causam posse, quam protrahendae litis cupiditatem: liquido enim constat, si negotium hoc alicui sive Principi, sive Reip. sive Sena-

tui, aut Doctorum Collegio in Italia demandetur, praeter quam quod inanis recidet labor omnis ad hunc usque diem susceptus, (repetenda enim necessario erunt quaecumque hactenus acta sunt) novam, et quidem longe graviorem, ac difficiliorem litis inchoandae, ac prosequendae ineundam nobis esse rationem intelligo: nam de multis cogemur disputationem texere, quae aut sunt admodum clara, aut ad rem minime faciunt. Praeterea quis non videat, quam iniqua conditione agendum nobis sit? reus, ut ajunt, est Guillelmus, reorum autem est fugere: qui vero poterimus nos opibus, et auctoritate multo illo inferiores ad judicium invitum trahere, cum praesertim, quicumque tandem futurus sit Judex, ab eo staturus haud dubie sit? nam siquidem princeps vir fuerit, is illi necessario erit, aut sanguine, aut certe studiis conjunctus: si Doctorum Collegium, cum hujusmodi homines plerumque neque honestissimo loco nati, nec divitiis maxime affluentes sint, quis neget, illorum judicium a viro potente posse facile depravari? Ergo inter alia hoc mihi incommodum necessario subeundum esset; quod, cum eam ob causam cogerer suspiciosus esse in plurimos, plurimos item mihi infestos redderem. Venio nunc ad ea, quae de pace Constantiae Mantuani Oratores dicunt: quibus sic

respondeo; sole clarius esse, beneficium illud ad eos tantummodo pertinere, qui vel pressi inopia, vel proprio Judici non omnino fidentes, graventur iter adeo longinquum, et anceps suscipere: quam commode autem duo haec in Mantuanum Ducem conveniant; incipiamus. Et quidem, quod ad primum attinet, inter magnos Principes non minimus ille est, nec minimis pollens divitiis: quae vero agit in hac Regia, ea non ipse per se, sed per Oratores, qui, vel hac causa sublata, assidui apud Caesarem forent, agit: ergo nulli fere sunt hanc ob causam illius sumptus, et si qui sunt, mei potius dicendi sunt: ille enim de meo tribus, ad minimum, aureorum millibus annuis potitur. Quod vero attinet ad secundum, ridiculum sit, si quis dicat, habere eum, unde conqueratur, Judicem sibi parum favere: ea enim in hoc negotio a Caesare consequutus est commoda, quae ab indulgentissimo parente vix speranda essent. Quod si alterutri parti, mihi quidem certe liceret utramque ob causam id curare: nam hic, et plura insumo, quam possideo, et in rebus dubiis me nunquam fore superiorem intelligo. Absit tamen hoc a me, ut ullo unquam tempore mea sponte declinem ab hoc foro: quandoquidem nec me sumptus terrent, et Caesarem ea esse animi aequitate certo scio, ut quidvis potius

expectandum ab eo sit, quam judicium legibus contrarium. Haec igitur cum ita sint, nullaque, ne in speciem quidem, honesta afferri possit a Mantuanis Oratoribus petitionis ejusmodi ratio, quo pacto oblatam conditionem ipse accipiam non video: id tamen si Caesar jusserit, parebo alacriter, ut soleo. His a Scipione dictis non acquievit Veberus: immo acrius urgere eum coepit, quo Caesaris voluntati obsequeretur: quippe obtemperanti certam gratiam, tergiversanti, ac repugnanti haud dubiam Caesaris indignationem instare: quod cum in aliis in rebus, tum praesertim in ea, quae prae manibus erat, quanti momenti esset futurum, neminem non facile intelligere. At Scipio nihil aut minis perterrefactus, aut blanditiis irretitus, perstitit in sententia; ac Vebero; jure, inquit, mihi succensere non potest Caesar: neque enim negavi, obtemperaturum me ipsius mandato, sed negavi, illud mihi probari, quod vere non probatur. Est potius, cur Guillelmo succenseat, qui, tanquam oblitus tot beneficiorum a Caesare acceptorum, non secus effugit ipsius tribunal, ac si iniquum, infestumve expertus esset. Quid plura? si id aequum judicat Caesar, jubeat; ego statim obediam: sed falleris, Vebere, si, sponte putas me huic rei assensurum unquam: nam si conqueren-

dum mihi est, malo de vobis, quam de me ipso conqueri. Haec audiens Veberus; ergo ne, inquit, stat sententia, injussum nolle te litis delegationi assentiri? Stat omnino, respondit Scipio. Tunc ille; hactenus, Scipio, tecum egi uti Caesaris minister: arbitrorque, ea omnia me dixisse, quae ad consensum tuum eliciendum aptissima videbantur: nunc cum ab ea re alienum te prorsus videam, loquar tecum, uti Joan: Baptista Veberus amicus tuus. Videris mihi, Scipio, optime sentire, nec quisquam te jure potest reprehendere. Sed obsecro te, alloquaris tute Caesarem, ne videar ipse minus efficaci sermone tecum usus fuisse. Cui ille; jam istud ipsum animo volvebam; quod eo faciam libentius, quo tibi etiam probatur. Quod vero tu sensui meo subscripseris: gratissimum illud quidem mihi est: ut enim a temeritate, atque irreverentia erga Caesarem longissime absum, ita a suspicione abesse quam maxime cupio.

Digressus igitur a Vebero Scipio petiit a Caesare privatim audiri: quod cum obtinuisset, in eandem omnino, qua Veberum, sententiam est Caesarem alloquutus. Cui ille perbenigne, ut solebat, hoc tantum respondit; optasse quidem se, ut, ipso, si fieri potuisset, consentiente, Guillelmus Dux suo hoc potiretur desiderio; qui quidem eo se adeo tene-

ri ostenderat, ut, non impetrata hujusmodi delegatione, videretur, vivere diutius non posse: non tamen propositum sibi fuisse aliquid ab ipso Scipione invito extorquere: proinde, quando inter ipsos non conveniebat, sciret, se nihil ea de re decreturum, nisi quod aequum, justumque foret. Scipio hac responsione vehementer laetatus gratias egit, nihilque praeterea postulare se dixit. Ita res ad Senatum delata: qui quidem paucissimis post diebus secundum Scipionem judicavit. Ea re cognita Franciscus Comes, cum omnino praeter ipsius expectationem accidisset, singulos convenire Consiliarios, questibus, immo gemitibus, et lamentationibus omnia complere: supplicem se tandem ad Caesaris pedes abjicere, rogans, atque obsecrans, ne se cum hoc responso ad Guillelmum dimitteret. His, atque aliis hominis servilem in morem se ad omnes preces demittentis artibus affectum est, ut Senatus Consultum, quod propediem edendum fuerat, non ante promulgaretur, quam ea de re certior factus Guillelmus, quid agendum a suis esset, silendum ne, an vehementius insistendum, significaret. At ille, cum nullam, praeter hanc, sibi spem reliquam, omniaque a nimia Caesaris indulgentia sperare se posse intelligeret, ita respondit, ut Caesar, sive majore, quam

antea, incensus Guillelmi cupiditate, sive, quod credibilius est, non tam illius fatigationibus, quam propria facilitate victus, ultimum sibi tentandum remedium, extremasque (ut dicitur) potentiae vires adhibendas constituerit. Itaque, Scipioni aliquando, dum ipse praeteriret, caput ei, ac poplitem flectenti manu super humerum imposita; adito ad me, inquit, vesperi: est enim, quod tecum agam. Quod cum Scipio fecisset, Caesar compluribus, iisque ornatissimis, in quo plurimum pollebat, et quam maxime efficacibus verbis, si minus eum aperte rogavit, cohortatus certe est, ut liceret sibi tandem ipsius voluntate negotium Gazolanum alicui inferiori in Italia demandare: id enim sibi maxime gratum futurum; nec fore, ut eum aliquando facti poeniteret. Quoniam vero meminerat, a Scipione se inter alia superioribus diebus audivisse, nullum sibi fere in Italia suspectum non esse, quo hanc difficultatem vitaret, illud unum jam dictis a Vebero addidit; daturum se illi Judicem alterum ex suis Oratoribus, uter illi magis libuisset, vel qui Romae, vel qui Venetiis ageret; sic futurum, ut nullius ille Principis, alteriusve cujuspiam odium in se concitaret. Scipio, dum Caesar loqueretur, haec secum; satis jam feci officio meo, cum semel recusaverim: quis vero angusti

nunc me, aut imbecillis animi jure arguat, quod petitis acquiescam, cum is, cui maxime in terris teneor parere, id se omnino velle ostendat? nonne praestat, libente me, quam invito, negotium committi? Itaque, perorante Caesare jam inibi erat, ut annueret; cum repente nova animum pepulit cogitatio. Quid agis, Scipio? ergo tu te ipse in hanc foveam conjicies? numquid forte arbitraris, id si fieri posset, salva aequitate, acturos de eo tecum fuisse? nihil minus. Vide igitur, ne, praeter damnum, quo afficiere, illud etiam dedecoris subeas, ut dicant omnes, non aliorum, sed tua culpa factum esse, ut hinc ablegeris. Ergo forti animo esto; et ne quid dicas, cujus te brevi capiat poenitentia. Ita oppositam continuo amplexus sententiam tacenti jam Caesari respondit; nihil sibi esse antiquius, quam ut ipsi omnibus in rebus, quantum in se esset, obsequeretur. Quapropter, quod in sua erat potestate, libenter se ipsius auctoritati tribuere, hoc est voluntatem, qua non id solum, de qua nunc agebatur, sed quidvis aliud, quod ipsi quoquo modo gratum esset futurum, efficere erat paratus: in mentem vero, ac ratiocinandi vim non id potestatis habere se, ut quodcumque luberet, seu verum esset, seu falsum, id amplecti, ac probare posset. Cum igitur rationes omnes osten-

dant, eam rem neque honestatis, neque utilitatis quidquam in se continere, nescire se, si modo ingenue sit, ac liberaliter loquendum, quo pacto induci possit, ut eam sibi placere affirmet. Hic vero multa de hujusmodi rationibus disseruit, quae ex iis, quae supra commemoravimus, percipi facile possunt; deinde subdidit in haec fere verba. Dixi hactenus, quae ad rem meam facere videbantur; dicam nunc, quae videntur mihi ad honorem, et dignitatem tuam pertinere: quod quamvis mei muneris non sit; non tamen silendum arbitror, tum, ut clientis egregie fidelis officio defungar, tum vero, ut ne unquam dolendum mihi sit, a nemine te de iis, quae a me dicentur, admonitum. Sic igitur opinor, non minimum existimationi Majestatis tuae detractum iri, si nimia ipsius lenitate fiat, ut Mantuanus Dux potiatur optatis. Neque enim quisquam est, qui dubitet, quin injustam ille foveat causam: praeterea tali exemplo illud necessario eveniet, ut alii praepotentes, ac principes viri, quae Guillelmus violenter in nos commisit, eadem sibi arbitrentur licere, quos tibi coercere non facile sit: neque enim aequi Judicis est, ubi par sit culpa, in alios quidem animadvertere, alios vero omni prorsus poena solutos velle. Quid enim si ipsemet in alium quempiam

tenuioris fortunae injuriosus coner esse, ac, delato crimine, ego statim abjiciam? cur id mihi adversus alios non permittatur, quod aliis adversus me? Ergo aut quod sacrosanctis legibus vetitum est, alio in alios tibi jure utendum putabis; aut omnia relinquenda illorum arbitrio, qui, cum plurimum ipsi possint, inferiores aliquid posse non aequo animo patiuntur. Quod vero dixisti; daturum te nobis litis Judicem alterum ex tuis Oratoribus in Italia degentibus, gratissimum illud quidem mihi, si modo ullus, praeter te, Judex sit accipiendus. Cum enim Oratores illi et nobiles viri sint, et abs te ad res maximas obeundas delecti, exploratum mihi est, nihil ab ipsis, quod justitiae, et aequitati adversetur, expectari, aut proficisci posse. Veruntamen (liceat mihi bona tua venia, quod sentio, libere loqui) quae mihi spes esse potest, fore, ut tuus Orator, quisquis ille fuerit, hoc unquam conficiat negotium, cum ipse, qui cunctos mortales saeculari potestate antecellis, ne Guillelmo Duci incommodes, idem jam paene absolutum conficere vel non audeas, vel certe puncteris? Haec sunt, quae animum delegationi ejusmodi assentiri non sinunt. Quoniam tamen summa mea erga te observantia exigit, ut ne quid praetermittam, quod controversiam hanc ex tua sententia dirimere facilius

possit, praeter id, quod initio dixi, me prompto animo, ac sine ulla cunctatione pariturum mandato, proponam conditionem, quae si accipiatur, non ita gravate in Guillelmi sententiam ipse concedam. Duo sunt, invictissime Caesar, quae ex hujusmodi delegatione ego, et fratres mei accepturi sumus incommoda; alterum, quod rei ad exitum tot difficultatibus jam perductae repetenda nobis erunt initia, proinde ac si nihil ad hunc diem actum esset; alterum, quod patris solo expulsi, et vectigalibus nostrae ditionis privati cogemur actorum partes suscipere: quae res quanti referat, praesertim cum negotium nobis sit cum longe potentiore, nemo est qui nesciat. Ex his duobus gravissimis incommodis, ut tibi obsequar, alterum subire non detrectabo; ut nimirum de integro litem aggrediar: quod vero ad bonorum possessionem attinet, in eam peto, ut nos immittamur, quando nullo nostro vitio ea fuimus spoliati; vel certe, si id non placet, restituatur res in eum, quo erat, locum, cum Fridericus patruus excessit e vita; quo tempore Dosuli Mantuanus Dux, nos Gazoli potiebamur. Sic enim accidet, ut aeque illius, ac nostra intersit, litem confici; quod nobis praecipue est in optatis. His dictis, interquievit Scipio, ut responsioni locum daret. Sed cum Caesar cogitabun-

dus nihil responderet, ita subjecit. Aequa mihi videbar postulare: quod si tibi non eadem est sententia, proponam conditionem alteram, quae nullo modo repudiari possit. Nec nobis, nec Guillelmo permitte; sed avocato ipse ad te utriusque oppidi possessionem, quam is deinde recipiat, secundum quem lata a Judice fuerit sententia. Caesar hilari quidem omnia, ac placido vultu excepit, pluraque respondit, quibus nullam non modo irati animi, sed ne tristioris quidem, ob negatum consensum, significationem dedit: quaecumque tamen vel ad suam existimationem, vel ad justam dicentis querimoniam, vel denique ad conditiones propositas pertinebant, cuncta silentio, ac dissimulatione transmisit. Hunc in modum altero, et quidem primo longe graviore, periculo perfunctus est Scipio: nihil tamen illi, aut postulati aequitas profuit, aut animi praesentia, et constantia. Cum enim aliquot post diebus (quod mirandum sit) per eundem Veberum Caesar hunc ipsum consensum a Scipione tertium jam elicere conatus esset; idemque, quod primo, et secundo, retulisset responsum, decretum tandem editum in hanc sententiam. Cum Guillelmus Dux ex una parte summa contentione petat, causam hanc alicui inferiori Judici cognoscendam in Italia delegari; ex altera vero par-

te Scipio suo, et fratrum nomine eandem minime delegandam esse dicat, jubere Caesarém, utramque partem suas tabulas, et rationes in medium afferre, ut quid tandem sit juris ex legibus decerni possit. Hoc perlecto decreto, Scipio non diutius sibi cunctandum ratus adivit Caesarem, eumque paucis ita est alloquutus. Hactenus unica me lis jamdudum solicitum habuit: a qua nihil non feci, ut me quam citissime exsolverem: nunc in duas me conjecit lites decretum Majestatis tuae; quod perinde accipio, ac si jussus sim translationi Judicis assentiri. Acquiesco igitur mandato, meque ad iter quam celerrime accingam: absit enim, ut ea de re judicio contendam, a qua si post longam diceptationem excidero, eundum mihi sit in Italiam, temporis, et (quod longe gravius est) gratiae tuae non parva facta jactura; si vero ex voto res cedat, nihil tamen mihi, praeter id, quod abs te concessum jam pridem fuerat, accessurum sit. Sic tandem Guillelmus post quadrimestrem altercationem voti compos est factus. Cum vero ageretur, utri potissimum ex duobus Caesaris Oratoribus comittenda esset hujusmodi causae cognitio, jussit Caesar, ejus rei optionem Scipioni dari; qui Romanum Oratorem Prosperum Archi Comitem, spectatae virtutis virum, delegit. Dato igitur super ea re diplomate, Scipio

mense Octobri in Italiam, nondum peracto Conventu, revertitur. Is cum a Caesare missionem peteret, seque illi, et fratres suos, ut fit, humiliter commendaret, Caesar contra eum incredibili humanitate complexus gratiam, ac patrocinium suum quam liberalissime polliceretur, arrepta dicendi occasione Scipio; quando, inquit, haud aequum est a munificentissimo Principe vacuum discedere, illud magni mihi muneris loco abs te dari humiliter peto, libere uti dicas, an in omni hac causa, qua magno meo infortunio cum Guillelmo Duce contendere sum coactus, aut re, aut verbo eos unquam fines excesserim, quibus continere se eum decuit, qui Principem illum, secundum te, plurimi semper fecit. Ad haec Caesar religiose affirmare; summam se animi moderationem, singularemque patientiam semper in Scipione admiratum, ejusque rei, quandocumque opus esset, se testem futurum locupletissimum. Quod responsum, ut Scipioni maxime gratum fuit, ita ingentibus agendis gratiis satis ostendit, quanti Caesaris Judicium sibi faciendum putaret.

Ab eo colloquio cum in Italiam pervenisset Scipio, paucos dies in oppido S. Martino moratus est: quo ex loco litteras ad Hieronymum Guerrerium, tunc Guillelmi Ducis cubiculo praefectum, dedit,

quibus adventum suum ex Germania significavit, desideriumque, quo tenebatur, Guillelmum, pro sua in eum reverentia, antequam Romam peteret, invisendi: rogare, ut hujusmodi suam voluntatem Guillelmo aperiret, a quo si cognovisset, bona illius venia fieri id posse, Mantuam se continuo advolaturum; sin minus, suum se iter prosequuturum, secumque, quocumque se contulisset, delaturum eandem, quo illum semper coluit, observantiam, atque studium. Respondit Hieronymus; se mandata Guillelmo exposuisse, eumque reperisse non alieno a Scipione animo: quoniam tamen variis ille tunc distineretur occupationibus, nihil certi potuisse expiscari; sed jussum tantum fuisse octavo, decimove post die iterum ea de re illum admonere; tunc enim dicturum Guillelmum, utrum Scipioni Mantuam esset proficiscendum, nec ne. Ex hoc responso facile intellexit Scipio et non facillimum sibi datum iri ad Guillelmum aditum, et id maxime proferendo tempore quaeri, ut Romanae ipsius profectioni mora objiceretur. Quare altera ad eundem Hieronymum conscripta epistola, qua ipsum rogabat, ut suis verbis Guillelmum reverenter salutaret: neque enim esse, cur molestiam illi denuo exhiberet, aut impeditum a gravioribus revocaret, intermissum iter repetiit, et

Romam adulto iam mense Novembri incolumis pervenit. Ibi Prosperum Archi Comitem conveniens Caesaris exhibuit diploma, rogavitque, ut ea de re admonito privatim Guillelmo, ne ipse cogeretur invitus eum more litigantium in judicium vocare, aliquem primo quoque tempore Romam cum idoneo mandato mittendum curaret. Et quidem Prosper suas implevit partes; nec Guillelmus in praesentia visus est imperium detrectare. Misit enim, qui suo nomine litem administraret, Aurelium Zibramontium Mantuanum, Juriconsultum, qui ibi erat a consiliis. Is eo fideliorem, ac diligentiorem Domino suo operam se navaturum arbitratus, quo majoribus negotium, de quo agebatur, irretiret impedimentis, illud statim in dubitationem revocavit, quae esset vera di-
1571 plomatis interpretatio, petitorio ne tantum nomine, an possessorio quoque facultatem fratribus concederet adversus Ducem agendi. Qua de re coactus est Scipio longissimam texere disputationem. Cum vero nihil diligentia promoveret, multoque longius, quam optabat, ejus controversiae finem proferri videret; constituit tandem, ut minor fieret temporis jactura, ad Caesarem litteras dare, ab eoque petere, ut ipsemet suorum verborum interpres esse vellet. Quod cum ille consueta humanitate, secundum

fratrum voluntatem praestitisset, alia ab adversariis inducta machina est, qua causae cursum retardarent. Cum enim novum a Guillelmo exquireretur mandatum, misit ille quidem non multo post, quod petebatur; sed ejusmodi, ut a peritis omnibus sine ulla controversia habitum sit cavillosum, ac minime sufficiens: neque enim in Judicem a se petitum consentiebat, quae res illud primum incommodi attulit, quod, re ipsa, de qua potissimum agi oportuit, quasi jam praetermissa, ad inutiles concertationes ventum est: et Scipio, cum tres honesto loco homines ab Gazolo oppido, non sine magna sua impensa, illorumque periculo bis Romam evocasset, qui res Gazoli gestas, et fratrum jura suo testimonio declararent, obtinere nunquam potuit, ut illorum dicta in publicas tabulas referrentur. Tum vero ab hoc eodem fonte gravissimae, quae deinde exortae sunt, turbae initium duxere. Dum haec in lite geruntur, cognoscit haud contemnendis auctoribus Scipio, Pium Pontificem animo erga se non mediocriter propendere. Cujus rei dum fundamenta ipse, causasque perquirit, liquido comperit, jam inde ab extrema, quam Pius habuerat, Cardinalium creatione Ludovicum Ducem Nïvernensem per Camillum Voltam nobilem Bononiensem, Procurato-

rem suum, graviter apud Pontificem conquestum fuisse, quod in tam numerosa lectione (sexdecim enim ad Cardinalatum simul evecti fuerant) nulla ab ipso habita esset ratio Gonzagae familiae, cum tamen eadem opibus, ac nobilitate paucis; observantia animi, ac reverentia erga Apostolicam Sedem nulli prorsus concederet. Ad haec autem Pium nihil aliud respondisse, nisi; notam satis sibi esse illius gentis praestantiam, et merita; neque se unquam dubitasse, quin illa quovis praeclarissimo ornamento dignissima esset, ipsoque potissimum Cardinalatu, qui honos, si ulli unquam familiae familiaris dici potuit, Gonzagae in primis dicendus, ut quae unum fere semper, saepe duos, quandoque ex illo ordine tres simul habuerit: nec magno unquam sine Reip. commodo, cui se quoque multo ante consulturum fuisse, nisi Mantuanus Dux, cui gratificari in ea re cupiebat, ad Joan: Vincentium animum adjecisset: quod si aptior aliquis commendaretur, tunc ostensusurum se, quam benevola in universam illam familiam voluntate esset. Multa vero hic a Camillo dicta, quo Pontificem ad Joan:Vincentium ornandum permoveret; sed cum se frustra laborare intelligeret (haerebat quippe Pontificis animo, Joan: Vincentii patrem Ferdinandum, cum Insubrum Provinciae praesideret,

sibi aliquando haereticae tunc pravitatis Inquisitori, et gravem quandam causam tractanti, non admodum sua auctoritate favisse: ex qua parum piae voluntatis significatione vir religiosissimus non nihil etiam criminis transmissum putabat in posteros) dixisse tandem; si certum, ac constitutum erat Sanctitati Vestrae Joan: Vincentium in Senatum non adsciscere, licuisset certe Scipionem, alterum ex eadem gente, cohonestare: is enim, et multis abhinc annis militiae ecclesiasticae adscriptus est, et litteris diu operam dedit: quinam vero sint ipsius mores jam toti curiae satis notum esse arbitror, ubi ipse integrum biennium, et eo amplius vixit. Quo audito, Pius; de Scipione, inquit, nemo nobiscum egit; neque nos, quod vehementer factum optassemus, illius tunc recordati sumus: diu enim est, cum illum non vidimus: vos vero negligentes, qui, cum minime opus fuit, de illo conticuistis; quod si loquuti essetis, fortasse non esset, cur nunc conquereremini: at tu jube verbis nostris Nivernensem Ducem bono animo esse: nam, quod hactenus factum non est, aliquando forte, Deo annuente, fiet. Ex his potest facile perspici id, quod superius dictum est, quanti retulisset si adlectionis tempore ab Vrbe non abfuisset Scipio. Et quidem haec omnia ille longe antea praevi-

videre visus est; nec tamen voluit fratrum voluntati obsistere, jubentium apud Cesarem eum morari; tum ne privatum videretur communi commodo anteferre; tum vel maxime, ne quid a se proficisceretur, quod Joan: Vincentio ad Cardinalatum nitenti obesse quoquomodo posset. Hoc autem animo Scipionem semper fuisse, illud certissimo esse potest argumento, quod cum variis rationibus is, qui apud Caesarem agebat tunc Nuntium Apostolicum, Raphael Billia Mediolanensis conatus saepe fuisset illi persuadere, ut ad adipiscendum Cardinalatum Caesare deprecatore apud Summum Pontificem uti vellet; sperare se, fore tum ut Caesar, pro sua in eum animi prospensione, patrocinium libenter susciperet, tum ut Pontifex hujusmodi officio, atque suffragatione permoveretur, nunquam adducere illum potuit, ut ipsius consilio acquiesceret. Dicebat enim neque ita se affectum esse, ut ecclesiasticum, eumque adeo insignem honoris gradum humanis tantum studiis sibi expetendum duceret; neque illud, quod sciebat, se esse odio Mantuano Duci, tanti unquam apud se momenti fuisse, ut in ultionis desiderium exardesceret: idque eo minus, quod nulla sibi esset cum Joan: Vincentio simultatis, aut malevolentiae causa, qua ipse permotus Caesaris favo-

rem jamdudum Guillelmi rogatu Joan: Vincentio exhibitum intervertere conaretur. Ad haec Billia; cave fallaris, ajebat, Scipio. Verum illud quidem est, Caesarem aliquoties ad Pontificem de Joan: Vincentio scripsisse; at non aliter, quam rogatum rogasse; atque ita demum scripsisse, ac si nihil, aut certe parum omnino ad se res pertineret: cujus illud clarissimum est indicium, quod ea de re nullum unquam mecum habuit verbum: et ratio non obscura: novit enim Caesar, tantum sibi usui futuram Joan: Vincentii operam, quantum Guillelmo placuerit. Quod si te suo patrocinio ad illud honoris fastigium elatum videret, sciret utique, pro ea, quam ipsi debes, fide, cum tute in illius ditione sis, omnia tua semper illi fore parata. At haec quidem audita etsi efficiebant, ut Scipio suum in Urbem reditum vehementius optaret; nunquam tamen efficere potuerunt, ut ipse aliquid pro se in alterius damnum exposceret. Sed revertamur unde divertimus.

Ejus, quod diximus, occasione colloquii cum Pius Pontifex ad Scipionem ornandum magis, ac magis in dies inflammaretur, ne quid praetermitteret, quod ad diligentiam vero Pastore dignam pertinere videretur, per nonnullos ex suis aulicis, quibuscum Scipioni nulla fere intercedebat familiaritas, aut consuetudo, dis-

simulanter non minus, quam diligenter in illius vitam, ac mores inquirit. Cum vero ipsum vulgo non male audire cognovisset, in illam devenit sententiam, ut eum proxima ordinatione omnino in Cardinalium Collegium cooptare statueret. Neque vero Pium fugiebat, tunc minime diligi Scipionem a Guillelmo Duce: nihil tamen ea re movebatur; quin potius videbatur sibi perbelle officiorum molestias posse evadere, cum eodem tempore et Gonzagae familiae in universum, et suae ipsius conscentiae illo evehendo satisfaceret. Ejus rei conscii tres tantum erant, Hieronymus Rusticuccius Cardinalis, Matthaeus Raparius Cremonensis, qui erat Pio a poculis, et Bernardinus Georgius Fanensis, pincerna et ipse Hieronymi Cardinalis, gratiaque apud ipsum in primis florens. Ad hos vero nonnullis post mensibus additus est quartus, Ventura Maffeus Bergomas, utriusque signaturae Referendarius, vir jurisprudentiae studiis, ac morum suavitate insignis. Nam cum Scipio illi esset arctissimo amicitiae vinculo a primo illo tempore, quo utrique simul Patavii studiorum causa agebant, obstrictus, eoque quotidie familiarissime uteretur, visus est sibi, non posse illum diutius, vetere salva necessitudine, hujusmodi rem celare. Qua audita; admirari se ille vehementer ostendit, quod Sci-

pioni magna in prosperitate agenti tam certa summi honoris spes objiceretur; multo vero vehementius, quod cum singulis fere diebus una essent, nulla in illius vultu, verbis, actionibus tantae spei vestigia deprehendisset. Quamobrem (ait) et te pluris, et me ipsum multo minoris facio, quam antea: te, qui animo sis adeo composito, ut haec valeas dissimulare; me qui in te talis spei signa (quod fieri nunquam posse arbitrabar) agnoscere non valuerim. Haec autem dicta sint, quo pateat, primum quam paucis nota fuerit Pontificis erga Scipionem voluntas, tum vel maxime, qua aequitate animi Scipio, secundum hunc humanae felicitatis eventum exceperit. Neque vero inanis eventus minorem in illo constantiam ostendit. In maximo igitur eorum numero, qui rem ignorabant, erat et Hippolytus ipse Cardinalis Ferrariensis,apud quem, uti supra docuimus, degebat Scipio; quem consulto celaverat, non quod de ejus fide, aut benevolentia dubitaret,quem et sui amantissimum, et tenacem suopte ingenio arcanorum custodem expertus semper fuerat; sed timuit Pontificis indignationem, a quo sciebat Hippolytum inter caros, ac consiliorum participes haudquaquam haberi: immo et eandem ob causam a primis reditus sui e Germania diebus coepit paullatim, si minus a consuetudine,

(erat enim quotidie cum illo) a contubernio certe illius se eripere. Qua in re quemadmodum, ut id fieret Hippolyti voluntate, nonulla arte usus est Scipio; ita diu repugnando ne id fieret, claram dedit Hippolytus amoris in Scipionem sui significationem. Caeterum omnes hi apparatus, omniaque consilia ad nihilum tandem reciderunt. Nam quo mense communi hominum sententia habenda erat ordinatio, eo ipso mense, hoc est Kalendis Maii anni septuagesimi se-
1572 cundi supra millesimum, et quingentesimum, Pius maximo moerore omnium bonorum decessit; cum paullo ante Gallica, et Hispanica Legatione revertisset F. Michael Cardinalis Alexandrinus Pii sororis filia genitus, qui graviter illi jam affecto, non tamen in extremo adhuc vitae discrimine constituto, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in viaticum sua manu porrexit. Atqui non Scipioni tantum incommode accidit Pii Pontificis obitus; sed (quod fuit longe gravius) universae christianae Reipublicae. Quemadmodum enim ipsius maxime virtute, et patientia nobilissimum foedus inter ipsum Pontificem, Philippum Regem, et Senatum Venetum, adversus Turcas pactum, atque initum fuerat; ita ejusdem decessu soluta illico sunt Christianorum Principum vincula, et induciarum obtentu pax inter Venetos, et Sely-

mum Turcarum Imperatorem confecta: ut liceat conjicere, insignem illam navalis pugnae victoriam, quam nostri superiore anno ad Echinadas Joannis Austriaci ductu ex Turcis retulerant, nulli rei praeter quam piis beati senis orationibus, jejuniis, eleemosynis, lacrimis concessam a Deo fuisse: ex ea enim illud tantum commodi consequutum est, ut Pontifex gaudii, ac feliciorum eventuum spei plenus ex hac vita migraverit.

Pio V. eodem ipso die, quo Cardinales ingressi sunt Conclave, suffectus est Gregorius ejus nominis XIII. Bononiensis, Ugo Cardinalis Boncompagnus antea dictus, vir juris peritissimus, quique in omni vita recti amans, scelerumque inimicus, nec tamen in Pontificatu severus eorum vindex habitus est. Ad hujus pedes officii, et gratulationis ergo nonnulli ex Italicis Principibus accedere venerabundi constituerunt: in quibus Guillelmus Mantuae Dux, sperans nimirum hac suae in novum Pontificem voluntatis ostentatione tria se ab illo facile impetraturum, quae sibi vehementer erant in optatis; primum ut Joan. Vincentius Baroli Prior, patruelis suus, primo quoque tempore, ac si fieri posset, dum ipse Romae ageret, Cardinalatus honore, atque insignibus ornaretur; alterum, ut sibi locus in Sacello Pontificio decerneretur

supra postremum Presbyterum Cardinalem : quem locum dicebat sibi olim attributum a Pio IIII. Pontifice . Et quidem ita se habuerat res ; quamvis plerique contenderent, propterea id factum fuisse , quod nullus tunc forte aderat Cardinalis Diaconus , cui ille praeferretur ; tertium erat , ut Mantuae Ducibus jus daretur nominandi in perpetuum ad ejusdem Civitatis Ecclesiam : quae res ope Francisci Gonzagae Cardinalis ab eodem Pio jam pridem concessa , a Pio Successore initio sui Pontificatus revocata omnino fuerat , ac rescissa . Tribus igitur hisce quasi stimulis incitatus Guillelmus mense Octobri ejusdem anni Romanum iter est ingressus . Quod simul ac cognovit Scipio, non Hippolytum modo , et Aloisium Estenses , Cardinales , sed ipsum Pontificem adivit suppliciter rogans , ut propediem affuturo Duci dignarentur suadere ; pateretur tandem tam diuturnae controversiae finem aliquem imponi ; id quidem Scipionem maxime optare , ne cogatur diutius ingratissimum exercere munus ; quod si id minus succedat , patiatur saltem sibi Dux persuaderi , Scipionem ea , qua decet , reverentia ipsum colere , atque observare , nihilque magis cupere , quam in ipsius gratiam , ac benevolentiam, a qua nulla sua culpa decidisset , tandem aliquando restitui . Promisit Pon-

tifex, non modo alii, serio se, ac diligenter ea de re cum Guillelmo acturum. Interea, cum jam ille ad Urbem appropinquaret, veritus Scipio, ne, si obviam ire cunctaretur, vel contumacis animi, vel elati argueretur; rursumque, si iret, inconsulto Duce, aut ipsius animum offenderet, aut duriter, inhumaneque acciperetur, misit ex suis quendam per dispositos equos cum litteris ad Fridericum Gazoli Comitem, quem, Pyrrhi fratris amicissimum, in eo itinere Guillelmum assectari cognoverat, ut de Ducis voluntate aliquid conaretur explorare. At ille rem tentare non ausus, hominem ab se vacuum dimisit. Quare eundem Scipio cum iisdem mandatis ad Fridericum Cataneum, intimum Guillelmi familiarem, destinavit: qui ita rescripsit, ut diceret; facultatem sibi Ducis alloquendi fuisse nullam: itaque rem ipsius arbitrio relinqui. Quod responsum ita interpretatus Scipio, ut Guillelmus neque illius obviam itioni assentiri, neque eandem aperte vellet negare; ne aut praetermissi officii culpam, aut obiti noxam in se transferret, (sciebat enim, illum non modo litteras legisse, sed longam super iis consultationem habuisse) adventanti occurrere omnino statuit; ita tamen, ut ab se omnem dedecoris notam, quam longissime fieri posset, amoveret. Accessit igitur ad al-

terum ab Urbe lapidem, sed non antequam plerique dignioris ordinis praecessissent. Quo factum est, ut descendendi ex equo, propiusque ad illum accedendi, in quo totum versabatur periculum, occasionem commodissime vitaverit. Neque vero unum hoc reverentiae genus in eum praestitit, sed multa praeterea: nam quotidie in aedibus Joan: Vincentii ad Sanctae Mariae de Anima, ubi ipse hospitatus est, conspici voluit: et quoties egrediendum illi publice fuit, toties illum comitatus est, dummodo tot adessent vel Episcopi, vel alii, quos sibi praeferri oporteret, quot sufficerent ad explendam rhedam, qua ipse Dux vehebatur; quod fere semper accidit. Verum neque obsequiis, neque precibus, quas maximas per Theodorum Sancto-georgium Comitem intimum illi, et in primis gratiosum adhibuit, impetrare a Guillelmo unquam potuit, ut se ad privatum admitteret colloquium, quamvis, hominis ingenii gnarus, nullum se verbum ultro de lite facturum sanctissime polliceretur.

Jam inde a principio Guillelmi ad Urbem adventus consultores litis, et is praesertim, cui omnium fratrum nomine causae administrandae demandata erat cura, Petrus Bassanus Mutinensis Jurisconsultus coeperant Scipionem urgere, ne oblatam sibi occasio-

nem amitteret Guillelmi ad id compellendi, a quo satis alienum ad eam usque diem animum ostenderat, ut per legitimum mandatum in Judicem tandem ab se petitum consentiret; id vero nulla alia ratione fieri posse ajebant, quam libello per justitiae ministrum (cursores vulgo appellantur) porrecto, quo ipse Dux in jus vocaretur. Horum consilio nequaquam assentiens Scipio, tum quod sciret, magna inde incommoda sibi esse extimescenda, tum quod nollet ea gloria, et voluptate privari, quam ad illum diem perceperat ex perpetua, et constanti sua in Guillelmum reverentia, varias proposuit rationes, quibus idem, quamvis non eodem modo, fieri posse videbatur. Earum duae praecipuae erant; altera, ut ipse Prosper Orator ea de re cum Guillelmo coram ageret; fortasse non tam viri auctoritate, quam dignitate loci permotum Ducem illud facturum, quod eo usque detrectasset; altera, ut, si modo in jus esset vocandus, Mantuae id potius, quam Romae in totius orbis theatro, fieret. Sed utramque propositionem facile refellebant Advocati: et alterum quidem, quod Prosper nimiae erga Ducem indulgentiae suspicionem non effugerat, quod aliquando in causa secundum fratres decretum fuerat ex Julii Oradini sententia, quem sibi Prosper consultorem adhibue-

rat, viri inter Apostolici Palatii causarum Auditores primarii, id ipse precibus, et lacrimis Aurelii Zibramontii victus in tabulas referri non permisit; alteram vero, quod recenti memoria plerique recordabantur, alium ejusmodi ministrum, cum non dissimilis rei causa in Mantuanam ditionem accessisset, a nobili quodam ejus urbis viro (incertum an jubente Guillelmo) fuste ita caesum fuisse, ut nullam tuti in eam regionem ingressus suae sortis hominibus spem reliquerit. Haec cum vera essent, facilem quidem sibi conciliabant fidem: neque iis tamen adhuc assentiri poterat Scipio; illud maxime expectans, ut quid a Pontifice cum Guillelmo actum esset cognosceret: quod quidem sero admodum factum est, hoc est biduo tantum ante constitutum, quamvis postea dilatum, ipsius Guillelmi discessum. Cum igitur aliquando Pontificem ex Palatio, ubi haereticae pravitatis rei asservantur, redeuntem Scipio adiisset, tale ab eo retulit responsum; mirari vehementer Guillelmum Ducem, quod Scipio ullam de concordia mentionem faciat, qui idem, cum alias Prosperi Comitis opera res in tractationem venisset, jamque videretur non longe abesse a fine, mutata repente sententia, dixerit; nullam se negotii componendi facultatem a fratribus habere:

quibus verbis factum esse, ut tractatio illa omnis irrita, ac vacua reciderit: quare semel se ab illo non obscure deceptum nolle iterum decipi. Graviter admodum eam responsionem tulit Scipio, non quod sperasset, Pontificis verbis aliquid se profecturum; sed doluit in eo se accusari, in quo, si qua alia in re, videbatur sibi rectae mentis, atque animi ingenui laudem promeruisse. Nam quo primum die Prosper Orator coepit cum ipso de concordia agere, dixerat illi Scipio; scito, Prosper, nunquam mihi a fratribus meis hanc datam fuisse facultatem, ut, ipsis inconsultis, liceret mihi de litis hujus compositione transigere: at hoc insuper scito, si offeratur, me illam rejecturum. Etenim facile omnes intelligunt, longe majori mihi, quam fratribus meis commodo futuram esse hujusmodi concordiam, tum quod maxime me id molestia, ac periculo exsolveret, (quis enim non videt, totam hanc in me unum cudi fabam?) tum quod homini ecclesiastico, qualis ego sum, nulla prolis, aut posteritatis habenda est ratio: ac proinde cupio longissime ab ea suspicione abesse, ut si quid a me forte agatur, quod non omnino e re communi censeri possit, id actum a me existimetur privatae utilitatis gratia; praesertim cum non sint defuturi, qui dicant, non tam praesenti commodo ad-

ductum me fuisse, quam spe, quae aliqua fortasse occulta promissione nitatur, fore, ut Guillelmus me deinceps vel ornandum, vel locupletandum suscipiat. Quamobrem ne mecum agas, Orator, tanquam cum eo, qui solus possit negotium hoc ad exitum perducere: age vero tanquam cum eo, qui, ut libentissime audit, ita curabit diligentissime quaecumque ad tollendas has nostras controversias pertinere videbuntur. Nec satis habuit Scipio haec saepius Prospero dixisse: nam eadem omnino scripsit Hippolyto Capilupo Episcopo, qui et ipse quandoque hac de re agere consueverat, cui illud etiam addidit; ne quis vero putet, me ideo hanc detrectare facultatem, quod animo sim a concordia alieno, hisce litteris mea manu scriptis meam obstringo fidem, si quando fratres mei animum induxerint Guillelmo liberum duorum oppidorum dominium linquere vel sine ulla prorsus compensatione, ratum illud, ac firmum me quoque habiturum: nihilque aut dicturum, aut facturum, quod ipsius Ducis voluntati adversari ullo modo possit. Extabat autem chirographum penes ipsum Hippolytum, quo non difficulter apud caeteros Scipio accusationem diluit: cum Pontifice vero, cum illud tunc prae manibus non haberet, multa illi fuerunt dicenda, antequam posset eum a semel

concepta opinione revocare. Cumque interim Pontifex lento gradu ad secretiora paullatim pervenisset cubicula, alii quidem ad illius pedes provoluti, ejusdem oculos, atque auditum in se averterunt: quo factum est, ut Scipio quod ultimo loco dicendum proposuerat, id explicare nequiverit: decreverat quippe ea, quae sibi nuper ab Advocatis in litis negotio agenda proponebantur, narrare, Pontificisque ea in re voluntatem inspicere: quod si fecisset, multis se liberasset incommodis; sed uti aliorum importunitate tunc non potuit, ita postea ob eam tantum rem Pontificem iterum adire minime necessarium duxit, ut qui nullius periculi a consultoribus admonitus fuerat.

Domum igitur reversus consultores accersit: concordiae desperationem narrat: quid facto opus sit, interrogat. Illi de libello porrigendo agere pergunt; unicum illud esse afflictis rebus remedium affirmant, quo nisi utatur, nullum unquam sperari posse progressum in causa. His verbis Scipio mirum in modum vexatus, atque exagitatus institit denuo eos rogare, ut saniora simul, ac mansuetiora proponerent: tandem negantibus illis fieri aliter posse, idque Scipionis jussu ni fiat, fore, ut merito de illo fratres conquerantur, exclamavit Scipio. Si cui necessario de me conquerendum est, praestat, Ducem, quam fra-

tres conqueri; ab illo enim utilitatis tantum, ab his honoris, atque existimationis jactura est timenda. Agite ergo vos quod communi causae expediri arbitramini: nam, quod ad me attinet, nullius hac in re consilii sum vobis auctor. Data facultate, Petrus Procurator per M. Aurelium fratris filium, qui et ipse liti operam dabat, quendam adit e cursoribus; quid fieri velit ostendit. Is postera luce, qua exacta, Dux Roma abiturus dicebatur, cum, sacro audito, Guillelmus domum e proximo Templo reverteretur, in ipsa inferiori aula fit illi obvius, libellumque baculo de more sublato porrigit. Assectabantur Guillelmum nonnulli Antistites, aliique proceres: ad quos ipse incredibilem animi perturbationem praeseferens vertit se, et dixit; hoccine mihi a Scipione? quid vobis videtur? Tunc unus ex Episcopis Hippolytus Capilupus tum Scipionis amantissimus, tum summa integritate, ac modestia vir; nihil novi, inquit, aut inusitati: nam ita solent cujuslibet generis homines in hac civitate, ac foro ab adversariis suis in jus vocari: atque inter alios Carolus V. Imperator hoc eodem modo a quodam Hispano suae dictioni subjecto olim ter fuit vocatus: qua ex re tantum abest, ut maximus illi Princeps dolorem, aut indignationem conceperit, ut insuper ipsum Cursorem tercentis

aureis nummis donaverit. Et in eam quidem sententiam post Hippolytum seniores, ac prudentiores caeteri loquuti sunt. At Guillelmus eorum contempto consilio, quasi alter Roboam, ad eos, qui aderant, non tam aetate juniores, quam sapientia consulendos se vertit: quibus iniquiora, sed gratiosa suadentibus, misit paucis post horis duos ex suis consiliariis Aurelium Zibramontium, et Laelium Montaltium ad Pontificem, qui illo ipso die prima luce Ostiam profectus fuerat, rogatum, ut ne tantum facinus impunitum relinqueret. Id quo facilius impetraret, eo praecipue est usus argumento; quod nisi ipse Pontifex tam dure, atque inclementer erga illum se gessisset, haudquaquam Scipio ausus esset tanta illum contumelia afficere. Quod quidem propterea dicebat, quia ex tribus illis postulatis, quae supra commemoravimus, nullum omnino valuerat a Pontifice extorquere. Gregorius, re a disertissimis, iisque acerbissimis accusatoribus audita, ne Guillelmum ab se prorsus alienatum dimitteret, id continuo coepit consilii, ut juberet, Scipionem quidem in carcerem trudi, Cursorem vero tribus funis ductibus mulctari. Igitur, datis in eam sententiam ad Alexandrum Riarium Camerae Apostolicae Auditorem codicillis, qui de multa nocte illi sunt redditi, ille summo mane

nullo septus aut viatore, aut causarum Judice, (erat is dies festus S. Martino dicatus) Scipionem convenit, utque illi erat benevolentia conjunctissimus, dolenter admodum, quae sibi imperata a Pontifice essent, exponit. Scipio nuntium, quamvis inopinatum, praesenti, ac forti animo excepit, illudque tantum respondit; non esse, cur Summo Pontifici rationem de se ipse reddere detrectaret: illud quidem dolere se, dedecus sibi, atque ignominiam ab eo parari, a quo honores potius, et commoda expectanda fuerant. Cum vero procedente sermone interrogatus Riarius dixisset, carcerem, in quo Scipio Pontificis jussu esset custodiendus, illum esse, qui vulgo dicitur Turris Nonae, ignobilem illum quidem, et nimis communem cujuscumque hominum generi; tunc ille; in hoc uno videor mihi a Pontifice injuria affici: neque enim aut ego is sum, qui cum infima plebe connumerari debeam, aut crimen, cujus arguor, adeo grave est, ut loci sordibus puniendum sit. Sed desino id mirari: nam cum Pontifex in reliquis parum, aut nihil Guillelmo satisfecerit, in hoc, ut video, supra quam deceat, et quam ipse velim, fatisfaciet. Cui Riarius; mihi quoque te indignus videtur locus: quare si quid potes, te adjuva. Ego quamdiu opus fuerit expectabo. Igitur Scipio, permittente Riario,

prius per chirographum egit cum Philippo Cardinali S. Sixti, Pontificis fratris filio, qui Romae manserat, deinde per litteras cum Joanne Morono Cardinali Sacri Collegii Decano, qui hospitio (erat enim Episcopus Ostiensis) Pontificem exceperat, ut in hoc tantum mutari sententiam suam Gregorius pateretur, quod illius, quem diximus, loco carceris juberet, Scipionem in Arce S. Angeli custodiri. Sed utraque ille frustratus est spe. Nam Philippus, etsi casum quidem aegre tulit, non tamen ausus est expresso Pontificis mandato se opponere; Joanni vero cum redditae fuerunt litterae, jam Gregorius, illo dimisso, Ostia discesserat. Dum haec frustra tentantur, Riarius in suum ipsius currum Scipionem impositum ad suas jam aedes trans Tiberim duxerat, ibique prandio honorifice, atque amanter acceperat. Primo autem vespere ecce tibi a Pontifice redeunte, ac praeter ipsam Riarii domum iter faciente unus a pedibus Riarium jubet statim Pontifici in Palatio adesse. Quod ut primum Scipioni Riarius narravit, intercepit ille; nihil est quod praeterea quidquam dicas: scio quid me deceat facere: absit enim, ut pro mercede honoris abs te accepti, tu mea causa apud Pontificem offendas. Quare age, jube mecum ex tuis aliquem venire: ego me ipsum in custodiam tradam: tu vero sine mendacio

dices Pontifici, ipsius te jussa exequutum esse. Tunc Riarius Scipionem complexus; quam bene, ait, dixisti: scito nulla alia de re mecum agere Pontificem velle: in itinere enim Guillelmi Ducis opera te apud me esse cognovit. Dato igitur curru, et viae comite Vincentio Belluccio, qui postea hujus causae Judex fuit, ipse ad Palatium Apostolicum, Scipio ad carcerem Turris Nonae recta se contulit. Neque vero illi statim clausa sunt ostia: immo in cubiculo, quo uti consueverunt Camerae Apostolicae Auditores ad reos audiendos tamdiu ab omnibus, quasi aliud agentibus, expectatum, donec Riarius a Pontifice rediens Vincentium docuit, (sic enim inter ipsos convenerat) nihil se de loci mutatione obtinere potuisse, cum diceret Pontifex, rem non esse integram, affirmante Riario, Scipionem custodiae locum jam esse ingressum; neque esse, cur ille conquereretur, cum eundem in carcerem saepenumero praecipui Antistites, ac viri principes conjecti fuissent. Jussus ergo Scipio est in eodem cubiculo manere; nec solus honoris gratia, sed unico ex suis adhibito socio: is fuit Georgius Alarius Vitellianensis, summae fidei merito, ac multorum annorum obsequiis illi vehementer carus. Atque ita demum re ipsa compertum est, (ut interdum casus vanissimae artis fidem adstruit) nequaquam

aberrasse egregium illum physiognomum (Graeculo cognomentum homini fuit) qui quadriennio ante,cum nulla adhuc jacta essent dissensionis cum Guillelmo Duce fundamenta , Scipioni dixerat, futurum , ut ille antequam trigesimum suae aetatis expleret annum (expleturus autem erat eodem ipso mense Novembri) in carcerem conjiceretur . Interrogatus vero ille idem , quo evasurum esset ejusmodi infortunium ; omnia, respondit, recte se habitura . Quae altera quoque praedictionis pars quam vera fuerit , ex iis licebit cognoscere, quae mox sunt insequuta . Porro non modicam ejus noctis partem consumpsit Scipio in conscribendis litteris ad omnes fere Christiani Orbis Principes , vel ad alios, qui eos coram alloqui possent : id enim maxime pertimescens , ne quis putaret, gravi aliquo suo delicto factum , ut in carcerem truderetur, voluit singulos de re, quemadmodum gesta esset, commonefacere . Cui quidem scriptioni postera prima luce vix impositus erat finis , cum Belluccius cubiculum cum scriba ingressus , coepit, urbane tamen , atque omni cum modestia , Scipionem variis de rebus interrogare : et praesertim de causis Guillelmi ad Urbem adventus . Quibus interrogationibus ingenue semper, et quod res ipsa erat , respondit Scipio . Comperit tamen postea, aliquid in

his quaestionibus latere periculi. Scopus enim adversariorum ea in re fuit, ut, si probaretur, Guillelmum Romam praestandae obedientiae causa venisse, Scipio illis subjiceretur poenis, quae assignantur iis, qui principes viros Urbem hujusmodi ob causam adventantes quovis actu, quanquam juri maxime consentaneo, detinendos, aut quoquomodo interpellandos curant. Et quidem in hoc versata est tota fisci accusatio: quam tamen refellere difficile haudquaquam fuit; cum Guillelmus neque publice ingressus Urbem fuerit, nec publico fuerit exceptus consistorio, neque aliud egerit, ex quo probari posset, eam ob causam illum venisse. Peracta hac prima interrogatione, Vincentius discedens cubiculi ostium clausit post se, quod eo usque reseratum fuerat, quae res non parvam attulit Scipioni molestiam, verito, ne sibi liceret litteras jam scriptas emittere: sed nullo tamen id illi fuit incommodo, nam ex fenestra, quae in inferiorem aulam despicit, familiari cuidam ex suis illac tunc forte deambulanti illas celeriter obsignatas tuto satis projecit, paucis etiam addens quid de illis fieri vellet. Duobus sequentibus diebus quaestio item de illo habita. Quoniam vero Petrus Bassanus Procurator conjectus et ipse in vincula prae timore negaverat, quidquam se vel consilii,

vel operae in ea re dediſſe, ad qüaeſtionem ductus, quae de Scipione habebatur, fuit: quo confirmante, quae jam nullo fuco libere, ac vere ediderat, Petrus ſe iterum omnia negare dixit, ridentibus Judice, ac Tabellione inſanum hominis metum. Poſt tertium diem apertum denuo cubiculi oſtium, nec amplius Scipio ulla de re eſt interrogatus: ex quo tempore ingens omnis generis aulicorum concurſus ad Scipionem fieri coeptus, tum viſendi illius gratia, tum deferendi quantum quiſque valeret, ac poſſet; ita ut quererentur cuſtodes, perpetuam fore adeuntium, et redeuntium multitudinem. Et vero Scipio illa tam communi amoris ſignificatione, exigui incommodi, ac dedecoris uberrimum tulit fructum. Octavum iam diem detinebatur Scipio, cum Pyrrhus Malvetius, et Paullus Caſalius nobiles Bononienſes, quorum uterque non minima apud Pontificem florebat gratia, ad eum, ut ſaepe ſolebant, adeuntes dixerunt; audivimus, Guillelmum Ducem Tibure tandem, quo ille poſt tertium, vel quartum diem ſeceſſerat, Mantuanum iter eſſe ingreſſum: quare (ſi placet) dabimus operam, ut Pontificis voluntate liceat tibi ad proprias te aedes conferre: illae autem tamdiu erunt carceris loco, donec judicium fieri coeptum expediatur. Quibus Scipio; minime vero id placet: neque enim arbitror

e Summi Pontificis dignitate esse, simul ac Guillelmus illius conspectui se subduxerit, liberum me dimittere, quasi quod hactenus fecit adversum me, id totum ex Ducis praescripto, vel ejusdem metu fecerit. Supersedendum igitur censeo tridui saltem, vel quatridui spatio: quod si tunc illud effeceritis, quod ultro obtulistis, erit quod vobis gratias habeam, atque agam plurimas. Ea responsione minime effectum est, quominus postridie jussus fuerit domum suam repetere, datis tamen vadibus de pede ex ea non efferendo ad finem usque judicii. Ita Scipio a Turre illa Nonae nono die evasit; paulloque post hospitem habuit Pyrrhum fratrem, qui, ut primum cognovit, quae acta Romae essent, ad opem fratri carissimo, si ita res exigeret, ferendam advolavit. In causa laboratum diu, multumque est, adnitente pertinaciter Zibramontio, quem Guillelmus, uti antea, negotiorum suorum administratorem Romae reliquerat, ut Scipio exilii saltem poena mulctaretur: atque homo ad impetum factus eo jam usque processerat, ut quo die relaturus hac de re ad Pontificem putabatur Riarius, eo ipso die cuidam, quem sciebat Scipionis esse studiosissimum, dixerit, quasi miserans, relationem ab Riario factam, Pontificisque decretum fuisse, ut Scipio per

aliquot annos angustum , atque ignobilem quemdam in locum relegaretur . Sed fefellit eum spes: nam luce insequenti, cum vere tandem retulisset Riarius , statim Pontifex jussit , aboleri fidejussionem , Scipionique, quo vellet, eundi potestatem fieri : id fuit trigesimo sexto post primum carceris ingressum die; cum interim duo insignes viri , in quorum vita magna , quanquam diversis rationibus , rerum Scipionis momenta vertebantur , diem clausissent extremum ; alter fuit Hippolytus Ferrariensis Cardinalis , excelso animo, ac summa in rebus gerendis prudentia vir ; alter Prosper Archius , litis Judex , qui syncopa repente sublatus interiit . Data exeundi facultate , Scipio ad Gregorii pedes continuo se contulit , gratias de more acturus : a quo non modo perbenigne , sed honorificis adeo verbis est exceptus , ut admirationis plenus ab eo discesserit . Et quidem certum est , puduisse Gregorium magnopere , quod tam inclementer alterius nutu in Scipionem se gessisset ; et illud etiam constat , eundem , vel quod se ipsum non optime de Scipione meritum sentiret , vel potius (quae erat nimia ipsius erga principes viros lenitas) quod ingratum illud Guillelmo futurum arbitraretur , nihil unquam de eo , vel ornando , vel commodis augendo cogitasse .

Secundum Pontificem a Scipione maxime colebatur Aloisius Cardinalis Estensis, tum ob eam, quam aliquot annos erga Hippolytum patruum navarat operam, tum vel maxime ob diuturnam quandam, et perquam familiarem cum illo consuetudinem. Ad illum igitur cum accessisset officii causa, quod minime speraverat, offendit: quippe cum Guillelmi enixe id rogantis verbis ita ab antiqua illa in Scipionem humanitate, ac benevolentia dimotum, ut oculos in se vix attolleret. Quod animadvertens Scipio doluit quidem non tam sua ipsius, quam illius causa: neque tamen de magno aliquo ei rei adhibendo remedio cogitavit: nam neque deprecatore ullo usus est ad illius animum sibi conciliandum, neque statim consueta in illum officia praetermisit; immo et Alfonso illius fratri Ferrariensium Duci Romam per id tempus advenienti diligentissima praestitit obsequia: a quo item toto illo spatio, quo in Urbe moratus est, unicum tantum verbum, idque satis frigidum extorquere vix potuit. Neque vero a solo Estense summis precibus contenderat Guillelmus, ut Scipionem a sua benevolentia, ac consuetudine semoveret, sed a Ferrariense etiam patruo, ac compluribus illius ordinis aliis: ex quibus tamen nullus fuit, qui Aloisium hac in re sibi imitandum arbitraretur:

et minime omnium Hippolytus, qui petitionem eam uti aegre ferens, ita aperte improbans dixit; se non adeo parvi Scipionem facere, ut vellet Guillelmi gratia illius se familiaritate privare. Nec defuere praeterea alii, qui Scipioni, dum versaretur in custodia, costantiam, officiumque praestarent. In his praecipuus fuit Ferdinandus Medices Cardinalis, Cosmi Filius, magno animo juvenis, eoque erga Guillelmum Ducem per illud tempus non admodum propenso. Quod quidem fuit causa, ut, Estense paucis post diebus in Galliam profecto, Scipio, tum ut gratiam aliquam pro accepto beneficio rependeret, tum ne videretur ab omnibus, nobilioribus praesertim, neglectus, ac destitutus, Ferdinandum sibi proponeretur, quem potissimum ab eo tempore officiose coleret, et assectaretur. Pyrrhus interim in Cisalpinam Galliam redierat. Is quotidianis cum Scipione fratre colloquiis compererat, non alieno illum animo esse ab ea concordia, cujus ipse erat cupidissimus: quod quidem ad illud usque tempus minime illi constabat; propterea quod Scipio, iisdem scilicet motus rationibus, quibus litis componendae facultatem sibi dari nolebat, nullam unquam ea de re significationem dederat. Igitur, exactis aliquot mensibus, coepit Pyrrhus faciliorem se iis praebere, qui de

tollendo dissidio aliquid saepe in medium afferrè consueverant: idque fecisset fortasse maturius, nisi Roma discedentem rogasset Scipio, ne cito tractactionem hanc admitteret; verendum enim esse, ne, vel metu, vel ignava animi abjectione (quod longe a vero aberat) eo fratres inducti viderentur. Re igitur serio tandem in disputatione posita, brevi Dei beneficio factum est, ut inter ipsos, et Guillelmum Ducem pax, et concordia hunc in modum conveniret; ut controversa duo oppida Guillelmo obtingerent; ipse vero pro iis pretium fratribus perinde solveret, ac si nullum sibi in ea competeret jus; cujus quidem pretii dimidia pars in numerata pecunia, reliqua praediis, ac possessionibus Mantuanae dictioni subjectis dependeretur. Illa etiam adjecta conditio, ut ager ille, qui ab Oppido S. Martino ad Ollium flumen pertinet, (is continet tria circiter passuum millia) ea pretii parte detracta, quae peritorum judicio satis esset, ad fratrum ditionem accederet. Concordia sic in universum inita, actum est de quantitate pretii: verum cum hac in re minime partes convenirent: quippe fratribus centum, minimum, aureorum millia postulantibus, contra Guillelmo septuaginta dumtaxat offerente, compromiserunt, Caesaris se arbitrio ea in re staturos. Quo autem id ab Caesare posset

diligentius, maturiusque disceptari, septem quidem mensium sumpsit sibi spatium utraque pars agendi apud Caesarem, sex vero alios menses satis Caesari futuros ad ferendam, causa cognita, sententiam existimatum est: post quod tempus compromissum censeretur sublatum. Acta haec fuerunt mense Julio anni MDLXXIII., atque non ita multo post Pyrrhus in Imperatoris Regiam se contulit, ubi plus annum in eam incubuit curam, ut Caesar tum rationibus, tum exemplis, quod statuendum esset illi ditioni pretium, edoceretur. Operam contra dante Guillelmo per nonnullos e suis Consiliariis, pacifice tamen, nullaque intercedente acerbiore contentione, ut multo minus, quam se soluturum obtulerat, deberi censeretur. Id quod facilius persuaderet, agro illi, quem diximus ad S. Martini ditionem adjungendum, leve admodum pretium passus est constitui: quae res, et parum commode illi accidit, nec eum, quem speraverat, attulit fructum. Nam cum instante exitu praescripti temporis, Caesar, extremam tandem huic negotio manum adhibiturus, ad se partes vocasset, recitatum publice est Decretum, quo Decreto jussus est Guillelmus Dux pro acquisita ditione solvere centum triginta aureorum millia: nemine non admirante supra id, quod fratres petiissent, illis solvendum esse, inge-

miscentibus autem Ducis procuratoribus, magna se spe decidisse. Speraverant ii, idemque Guillelmo persuaserant, fore omnino, ut quadraginta ad summum millibus omni se ille solicitudine expediret. Ejus rei nuntium cum permoleste tulisset Guillelmus, nihil inde adoriri praetermisit, quod ad Caesarem a lata sententia revocandum pertineret; sed irritus fuit omnis conatus: nam Caesar non modo nihil se jam adjudicati imminuturum dixit, verum etiam illud adjecit; arbitrari se ea in re non mediocriter Guillelmi rationibus prospexisse. Quo responso effectum est tandem, ut Guillelmus acquiesceret, seque ad satisfaciendum compararet: quod etsi celeriter non praestitit, praestitit tamen aliquando, fratresque diuturna molestia, maximoque dispendio liberavit. [20]

LIBRI SECUNDI FINIS.



COMMENTARIORUM

LIBER TERTIUS.

AD primum initae concordiae nuntium Scipio litteras ad Guillelmum dedit reverentiae, ac submissionis plenas: quibus sibi ipsi gratulari se ajebat, quod Dei tandem beneficio id esset consequutus, quod tantopere optaverat, ut in veterem benevolentiam recipi posset: (haec enim fuerat prima concordiae conditio a Pyrrho in Scipionis gratiam proposita: nam si de reconciliandis animis nulla superesset spes, de re familiari, dicebat Scipio, non esse, cur la-

borarerur) non defuisse quidem sibi unquam animum bene de illo merendi: et fortasse aliquid etiam re ipsa praestitum; plerumque tamen occasionem, facultatem assidue defuisse: sperare se posthac fore, ut clariora in dies existerent suae in eum pietatis, et officii testimonia. Addidit ad haec, si per anni tempus licuisset, continuo se ad illum honoris, et obsequii causa iturum fuisse; sed quando id non pateretur caelum Romanum, cum primum se fregissent summi calores, quo tempore Urbe egredi lethale existimatur, suo se prorsus, Deo permittente, satisfacturum officio. Ad hasce Scipionis litteras perhumaniter respondit Guillelmus: atque ita respondit, ut carum sibi futurum illius adventum ostenderit. Quamobrem ille extremo mense Augusto Mantuam profectus Guillelmo se in conspectum dedit: a quo hilari quidem vultu exceptus est, verbis tamen in praesentia nonnulla arte compositis, atque elaboratis. Cum enim sciret, Fridericum patrem aliquando nescio quem sibi non omnino parem, quicum antea simultatem exercuerat, ad colloquium admisisse, eaque in re certa verborum forma usum esse: eadem diligenter conquisita et ipse uti voluit: qua tamen nihil duri, aut acerbi continebatur, praeter illud; talem se Scipioni ab eo tempore voluntatem

praestiturum, qualem in ipso erga se animum experiretur: hac una severitate colloquii mansuetudinem Guillelmus attemperavit. Postquam vero duos circiter menses in propinquorum consuetudine, ac complexibus consumpsisset Scipio, Romam, appetente jam hieme, reversus est. Unde, et litteris saepe, ad quas numquam Guillelmus non peramice respondit, et officiis, quotiescumque sese obtulit occasio, non destitit, vel injussus, ejusdem animum pacatiorem in dies sibi reddere: neque id quidem, ut aliquam inde sibi pararet honoris, aut commodi accessionem, sed ut sibimet ipse constaret, illudque efficeret, quod ratio videbatur postulare. In his duo illa praecipue visus est Guillelmus grato admodum, ac laeto accepisse animo; alterum fuit, quod cum per Sigismundum avunculum Scipio certior esset factus, Guillelmum magno teneri desiderio, ut pensionem illam, quae sibi e reditu Mantuani Archidiaconatus solvebatur, certa quadam pecuniarum summa pateretur redimi, quo integrum illud Sacerdotium posset in antiquum suae familiae virum ex suo patronatus jure conferendum curare, Scipio, quanquam satis angusta in re, non solum Ducis voluntati non est adversatus, sed etiam totam illi pensionem contra receptum morem magno animo remisit; alterum fuit,

quod cum triennio post, ditione Montisferrati Ducatus titulo insignita, impetrasset Guillelmus a Maximiliano Caesare privilegium quoddam valde honorificum, quo illi, inter caetera, cunctis honoribus, ac titulis, quibus Duces alii, quantumvis magni, ac praepotentes exornantur, uti permittebatur; coepit paullatim a sibi subjectis primo, deinde ab aliis etiam titulum Serenissimi exigere. Quoniam vero ea res non minimum habebat difficultatis, praesertim apud supremos Principes, ac proinde apud eos, qui ex iis pendent, cujus hominum generis plena est Romana Curia; non inutilem illi Scipio operam navavit, dum alios senatorii ordinis, ad illum hoc honore afficiendum adducit; ab aliis, quorum ipse per se animum Guillelmus cognoscere non posset, nonnulla exprimit, quae scire ille vehementer optabat. Sed hoc postremum, ut diximus, accidit aliquanto post.

Interim sequenti anno MDLXXIIII. nova Scipioni se-
1574 se obtulit suos revisendi occasio. Nam cum Henricus Rex Poloniae, audita fratris sui Caroli Francorum Regis morte, clam, ac non sine periculo, avitum Regnum petiturus, Polonis se subduxisset, jamque non longe abesset ab Italiae finibus, Scipio non ipsius quidem causa, in cujus clientelam nunquam suscipi expetiverat, sed Ludovici Ducis Nivernensis Regem

comitantis, qui litteris ad illum datis magnam ipsius videndi cupiditatem ostenderat, initio Mensis Julii Venetias citatis equis se contulit, quo ipso die cum Romae haberetur Senatus, Gregorius Pontifex Philippum Vastavillanum, sororis filium, in sacris ad eum diem vestibus nunquam conspectum, Cardinalem fecit: illam vero ejus rei praetexuit causam, quod cum in eodem Consistorio suum, et Apostolicae Sedis Legatum de latere Philippum Cardinalem S. Sixti, fratris filium, ad Henricum Regem iter per Italiam facturum destinasset, operae pretium videretur alterum ex propinquis, qui Pontifici adesset, eodem Cardinalatus insigniri honore. Venetiis versatus est Scipio aliquot dies ante Henrici adventum magna cum animi voluptate: quo tandem per Forum Julii adventante, egregia illa Civitas semper mirabilis se ipsa mirabilior apparuit. Sed haec nos, quae ad institutam narrationem minus attinent, dimittamus. Inter alios Italiae Principes, qui Venetias Regem salutatum convenere, Guillelmus fuit Mantuae Dux: qui cum non satis prospera valetudine tunc uteretur, paullulum moratus, domum rediit, non ante tamen, quam ab Henrico impetrasset, ut ab se in Urbe Mantuae hospitio recipi pateretur. Neque vero, discedentibus aliis, discedebat Rex, Venetae Urbis magnificentia,

elegantia, oblectamentis mirifice captus: quae quidem res illius existimationi nonnihil detraxit. Tandem post dies circiter viginti Emanuelle Philiberto Sabaudiae, et Alfonso Ferrariae Ducibus comitatus iter jam coeptum repetiit: ac primo Ferrariam, inde Mantuam venit, apparatu vere regio a Guillelmo exceptus. Cui quidem Guillelmo tum Regi obviam eunti, tum quaevis alia in ejusdem honorem agenti Scipio assidue adfuit. Profecto autem post integrum diem Rege, Scipio partim Mantuae, partim in oppido S. Martino tamdiu substitit, quoad, lata jam a Caesare secundum ipsum, et fratres, quam diximus, sententia, Pyrrhus in Italiam pervenit. Quem vix amplexatus Romam iterum reversus est. Neque ita multo
1575 post adfuit annus Jubelaeus, qui fuit MDLXXV. Quo anno ex Hispania in Italiam primum, et ad ipsam Urbem religionis ergo accessit, ut supra memoravimus, Frater Franciscus Gonzaga; quod quidem tam longinquum iter pedibus ita confecit, ut ne asellum quidem, vel in maximis aestivi temporis caloribus, nisi semel, adversa coactus valetudine, unquam conscenderit: ex quo liceat conjicere, quam austera, atque ab omni luxu aliena, quemadmodum virum Deo dicatum decet, illius vita semper fuerit: ac nemini etiam mirum videri possit, si biennio post Provinciae S. An-

tonii, in quam mox ex Hispania reversus se conferre jussus est, primo provincialis, deinde, altero transacto biennio, in Comitiis Lutetiae Parisiorum celebratis, totius Franciscanae familiae, cui ab observantia nomen est inditum, generalis Minister, cum nondum trigesimum tertium aetatis annum explesset, summa omnium approbatione creatus fuit. Quo in munere octo ipsos annos obeundo qualem se gesserit, cum alia multa, tum praecipue honorificum Philippi Regis testimonium, de quo suo loco dicetur, satis demonstrant. Eodem anno Scipio quatuor ordines, qui minores vocantur, permissu Pontificis ab Hippolyto Capilupo, Fanensium olim Episcopo, suscepit. Levatus quippe tunc nonnulla terrestrium cogitationum cura, coepit animum ad caelestia adjicere: nec tamen ad majores ordines provehi statim voluit; sed hoc distulit in saeculi hujus annum usque septuagesimum septimum. Quo toto temporis intervallo, quod memoriae prodendum sit, omnino Scipioni accidit nihil; si unum tamen, et alterum excipias, quae, quanquam ad illum non aeque pertineant, narrare tamen in animo est: sunt enim non indigna, quorum cognitio ad posteros manet. Prius fuit hujusmodi.

Praeerat jampridem insigni Toletanae Ecclesiae Frater Bartholomaeus Caranza ex Dominicana familia,

praecellenti quidem eruditione, ac morum severitate vir, sed dubia in Deum pietate, ac fide: nam quatuordecim circiter annos, ex quibus septem in Hispania, totidem in Italia deinde transegerat, haeresis postulatus asservabatur in carcere, deque ejus capite judicium summa cura, ac contentione agebatur: quo tandem confecto judicio, statuit Gregorius ea de re sententiam ferre: quod quidem optaverat vehementer, sed morte praepeditus praestare Pius praecessor non potuerat. Illo igitur e mole Hadriani, ubi custodiebatur, quodam die accersito una cum iis, qui ipsius causam procuraverant, in quibus erat Martinus ab Azpilqueta Doctor Navarrus, vir innocentia vitae, ac scriptorum multitudine, praestantiaque celeberrimus, sedit Pontifex in eo Palatii Apostolici cubiculo, quod ab audiendis privatim Oratoribus, aliisque Principibus viris nomen invenit, adsidentibus illis tantum Cardinalibus, qui Sancto Inquisitionis Officio praesident, duobusque praeterea, quos actorum recognitores paullo ante esse jusserat Pius, Ludovico Madrucio, et Fratre Felice de Montealto, qui Gregorio in Pontificatu successit: praeter hos nulli aderant, nisi Bartholomaei Archiepiscopi Adversarii, Procurator fiscalis causae, aliique perpauci, inter quos numerabatur Scipio, eo non vulgari quorundam stu-

dio introductus. Sedentem Pontificem clausere utrinque humiliori subsellio Cardinales: contra in extremo septo Bartholomaeus, quique illius causae patrocinium praestiterant nixi genibus consistere: stabant caeteri. Tum sententiam Pontifex de scripto pronuntiari jussit: in qua post multa Bartholomaeus damnatus est, non tamen uti haereticus simpliciter, sed uti haeresis vehementer suspectus: ac propterea coactus detestari sexdecim haereticas enuntiationes, quibus suspicio, quam de se ipse excitaverat, nitebatur: administratione praeterea, ac proventibus suae Ecclesiae mulctatus est ad annos aliquot, attributa ei interim in victum, cultumque modica quadam redituum portione; illique praeterea injunctum, ut quibusdam salutaribus poenitentiis culpam expiaret. Quae omnia ut tam ipsi, quam ejus patronis inopinata accidere, ita (quod ex aspectu conjici potuit) incredibili ipsos animi molestia, ac moerore affecerunt. Neque vero id mirum, cum praecipui ex illius fautoribus, ipseque in primis Martinus Navarrus, cujus de religione, ac pietate nemo unquam dubitavit, ita dicere soliti essent; si haereticus ille sit, se quoque haereticos esse. Contra qui illum oppugnabant, in quibus nonnemo erat Episcopus, palam ante latam sententiam profiterentur, fieri ne-

quaquam posse, quin ille haereticus pervulgaretur. Qua in opinionum varietate, aut potius pugna nulla videtur potuisse aptior ferri, quam quae lata est sententia: quandoquidem, neutra ex partibus vincente, aut succumbente, utraque victa simul, et victrix discessit. Illud vero certum est, non multos post dies, cum Bartholomaeus aegritudine magis animi, quam morbo confectus occubuisset, eum continuo factum esse universi populi concursum ad illius corpus visendum, tangendum, deosculandum, atque adeo ad aliquam vel minimam ipsius vestimentorum portiunculam abscindendam, atque asportandam, (quod nonnisi iis accidit, quos sanctissime vixisse constans opinio est) ut Cardinales Sanctae Inquisitionis officio praepositi pro sui muneris dignitate serio praecipere coacti sint, ne diutius inhumatum corpus relinqueretur. [21]

Alterum, quod multo magis ad Scipionem pertinet, illud fuit. Uergente jam ad finem eodem anno septuagesimo sexto Ratisbonae, ubi Imperialis Conventus celebratus fuerat, Maximilianus Caesar diem et ipse clausit extremum: Princeps, cujus obitum, sive ad aetatem, sive ad virtutes illius aspicias, gentium lacrimis dignissimum putes. Aetatis annum quinquagesimum nondum erat ingressus. At

nullam vitae partem non in artibus iis, quae viro principe sunt dignae, transegerat. Humanitas in eo tanta, tantum de omnibus bene merendi studium, ut ad juvandos homines non minus, quam ad imperandum natus videretur. Neque vero aberat ab eo dignitas, quae hominis, locique majestatem deceret. Acre illi in rebus omnibus judicium, prudentia singularis, temperantia, liberalitas, eloquentia nequaquam intra modum communis laudis. Sed inter maximas ejus, plurimasque virtutes eminebat praecipue mansuetudo, qua efficiebat, ut omnium animos, vel invitos, ad se traheret. Verum, ut mortalium res ita natura comparatae sunt, nihil ut omni ex parte beatum sit, tot, ac tantis Maximiliani laudibus, nubes veluti quaedam, obtendebatur suspicio certorum hominum, germanos christianae pietatis ritus tacita cogitatione parum ab ipso probari. Qua de suspicione quid sentiendum sit, soli Deo, qui verissime scrutator cordium praedicatur, relinquendum judicium. Sed utique sileri non debet, nullam unquam ab eo functionum illarum omissam, quibus, quasi nota quadam, catholici Principes ab haereticis publice distinguuntur. Sed ut ut se res habeat, illud certe exploratissimum, paucos majorem in ejus obitu, quam Scipionem, fecisse

jacturam. Ejusmodi incommodi argumenta plurima: sed epistolam libet subjicere, ex qua facile deprehendi poterit, qui sensus Maximiliano de Scipione, quantumque huic de illius voluntate sperare licuerit. Sed horum occasio prius aperienda. Quo tempore Scipio ex Caesaris Regia cum causae delegatione in Urbem rediit, inter alia multa, quae ipse magno animi sui angore cogebatur audire, (neque enim singulis respondere in animo erat, sed patientia malevolorum invidiam superare) unum illud erat praecipuum, traduci se, ac ludibrio haberi ab adversariis, quasi ab Caesaris Regia male habitus, ac neglectus discessisset. Quod cum ipse a veritate alienissimum sciret, non potuit se continere, quin Caesaris ipsius testimonio eam ab se infamiam removendam curaret. Quare, datis ad Pyrrhum fratrem litteris, qui eo tempore Viennae causam compromissi agebat, effecit, ut is Caesarem adiret, eumque, nullo usus deprecatore, suis verbis rogaret, ut cum primum sese illi offerret ad aliquem ex Cardinalibus sui studiosis scribendi occasio, vellet pro sua humanitate eidem libere significare, quid de Scipione sentiret. Quoniam vero Joan: Vincentius Gonzaga nondum Cardinalatum adeptus erat, admonuit eundem Pyrrhum, caveret diligenter, ne quid ipsius rogatu a Caesare

praescriberetur, quod ad eum obtinendum honoris locum quoquo modo pertineret. Sibi enim jamdudum certum esse nihil omnino, vel per se, vel per alios agere, unde merito posset quispiam opinari, cognati amplitudinem sibi ingratam futuram, aut eam velle se ullo pacto, vel impedire, vel retardare. Audito Scipionis desiderio Maximilianus nihil cunctatus, aut causatus, immo propensissimam prae se ferens voluntatem clariora benevolentiae in eum suae edendi signa, litteras ad Joannem Moronum, et Ludovicum Madrucium Cardinales, quorum utroque prae caeteris familiariter utebatur, dedit hoc exemplo.

„ Maximilianus II. Rom. Imperator. Ea sunt illustris, et antiquissimae familiae de Gonzaga erga Antecessores nostros Romanorum Imperatores, et Reges, nos ipsos, ac Sac. Rom. Imperium, inclitamque Domum nostram Austriae praeclara merita, ut suo jure nobis in primis cara, ac commendata sit. Cum igitur hanc nostram erga eandem illustrem familiam benignam propensionem quavis occasione comprobare cupiamus; intelligamus autem, hoc tempore isthic Romae agere illustrem nostrum et Imperii Sacri, dilectum Scipionem ex Marchionibus de Gonzaga iis moribus, virtute, aliisque praeclaris, ac tanta prosapia dignis animi dotibus

„ praeditum, quem cum aliis de causis una cum fratri-
„ bus suis singulari clementiae affectione complecti-
„ mur, tum hujusmodi virtutum suarum merito magis
„ etiam carum habeamus, facere non possumus, quin
„ nostrum istud in eundem benignissimae, propen-
„ sissimaeque voluntatis studium P. V. Reverendiss.
„ ac ejusdem opera atque medio Sanctissimo quoque
„ Domino Summo Pontifici testatum reddamus. Id-
„ circo P.V. Reverendiss. benevole, clementerque hor-
„ tamur, et requirimus, ut non solum Ipsa praedi-
„ ctum Scipionem quam optime commendatum ha-
„ beat, sed et Sanctitati suae eundem nostris ver-
„ bis quavis occasione diligentissime commendet;
„ ac, quoad per P. V. Reverendiss. praestari poterit,
„ efficiat, ut in his, quae ad ipsius honorem, et di-
„ gnitatem pertinebunt, honestis ejus, ac nostris
„ etiam votis, et desideriis deesse nolit; Sanctitatem
„ suam plane persuasam reddendo, nos, quidquid in
„ hunc nostrum Vassallum contulerit beneficii, haud
„ aliter habituros, quam si in nos collatum esset. In
„ quo P.V. Reverendiss. nobis rem summopere gratam
„ faciet, Caesareae benevolentiae nostrae studiis per
„ omnem occasionem compensandam. Datum Vien-
„ nae die XVII. Novembris MDLXXIII.

Hujus epistolae auctoritas cum plerisque inno-

tuisset, mirum dictu est, quam multas malevolorum obloquutiones compresserit. In ipso limine anni MDLXXVII. Kal. Januarii sacro Subdiaconatus ordine Scipio initiatus est; mense autem Majo Diaconatum est adeptus: qua in re duplici usus est Pontificis privilegio, cum et extra tempora ab Ecclesia statuta, quod tamen id genus hominibus nullo negotio concedi solet, et ad nullum titulum, praeterquam patrimonii, hujusmodi honore dignatus fuerit. Mense Septembri rogatus per litteras a Ferdinando Rubeo Polyxenae Sororis viro Florentiam excurrit, acturus cum Francisco Magno Etruriae Duce de ipsius Ferdinandi restitutione, qui jamdudum exulabat ob clientem quendam suum lictoribus ereptum, ni tamen secus Bartholomaeo Concino primario Magni Ducis ministro, cui Ferdinandus plurimum tum fidebat, tum deferebat, videretur. Atque ita omnino accidit: nam, Concino negotium in aliud tempus rejiciente, Scipio re non infecta solum, sed etiam indicta Romam redire est coactus. Ante tamen quam Florentia discederet, celebri admodum Baptismo interfuit, quo Cosmus Philippus, primus ex Joanna Austria MagniDucis filius, Christo Domino ablutus est: cum a sacro fonte suscepit Philippi Regis nomine Bernardinus Mendoza: et propterea Cosmi nominis

quo avus illi referendus erat, adjectum fuit nomen Philippi. Is puer infantiam nondum praetergressus mox obiit: nec Franciscus aut ex Joanna, aut ex Blanca Capella, quam deinde, impotenti amore victus, neque Principum genere ortam, neque integra fama, uxorem duxit, liberum praeterea sustulit quenquam. Romam rediens Scipio cum haberet nihil, quo ad celeritatem magnopere urgeretur, non jam magnis, sed justis, ac commodis usus itineribus, desiderio, quo jamdudum tenebatur, nonnulla sacra loca perlustrandi indulsit. Itaque primo itineris die ad Monasterium Vallis Umbrosae prope cacumen silvosi cujusdam montis situm; altero vero ad Eremum primo, deinde ad Monasterium Camaldulense divertit: die autem sequenti vidit Franciscanorum Coenobium, quod et ipsum in summo fere montis Alverni jugo positum est: quo in loco B. Franciscus ejus familiae auctor diu vixisse, insignique illo sacrorum Stigmatum honore divinitus donatus fuisse legitur. Post haec per Biturgiam, nunc Burgum Sancti Sepulcri, et Tifernum Assisium ejusdem B. Francisci patriam venit. Ibi triplex illud templum [2] admirabili structurae genere in tertiam usque concamerationem exurgens, quo in imo sancti viri corpus requiescit, nec non extra urbem aliud B. Mariae An-

gelorum Reginae dicatum, ubi idem Christi famulus ex hac vita ad caelum migravit, religiose veneratus est. Romam denique cum venisset, reliquum annum otio liberali traduxit. Caeterum vix novus annus inierat, cum abire iterum Scipio cogitur. Certior quippe factus, Isabellam Gonzagam Ferdinando Francisco Piscariae Marchioni olim nuptam, Guillelmique Mantuae Ducis Sororem germanam, cum duobus filiis Alfonso, et Thoma Neapoli Histonium, hodie Vastum, suae ditionis in Aprutina provincia oppidum, concessisse, ut inde in Cisalpinam Galliam se transferret; existimavit singulari suae in eam observantiae, optimaeque illius in se voluntati id officii deberi, ut eam, antequam ex proximis Urbis regionibus excederet, coram salutaret. Cum vero consilium hoc suum cum Innico Aragona Cardinali ejusdem Marchionis germano fratre communicasset, cognovit, eandem ipsum profectionem animo agitare: quare non aegre convenit, ut ambo simul hujusmodi iter facerent. Non simul tamen reversi sunt: nam Innicus Romam recta, Scipio rogatus ab Isabella, uti una secum paullulum viae Picenum versus progredi ne gravaretur, facile ejus voluntati obsequutus est. Vasto igitur profecti, post aliquot dierum iter, Lauretum ipso Bacchanalium die venerunt:

ad quem diem cum mitis admodum fuisset hiems, deinceps summe nivosa, ac perfrigida esse coepit; ita ut ne in Germania quidem meminisset Scipio asperius se unquam frigus pertulisse. Ibi postero Cineralium die per sacram confessionem expiatis animi sordibus, caelesti pane ad unum omnes refecti sunt. Et hanc quidem speraverat Scipio futuram fuisse mulieribus illius comitatus metam; sed longe aliter evenit: nam Isabella quotidie se illum dimissuram affirmans, non ante id effecit, quam, trajecto Pado, ventum est ad Argentam, oppidum Ferraria distans circiter viginti passum millia. Causa autem tam serae dimissionis ea fuit, quod cum in tam longo itinere necessario Isabella a multis principibus viris hospitio esset excipienda, existimavit, e sua esse dignitate unum saltem e propioribus suae gentis secum habere: quoniam vero in oppido Argenta tum propinqui, tum alii plures inventi sunt vel sponte occurrentes, vel obviam illi a Guillelmo fratre missi, ibi illa non invito animo et Scipioni ipsi, et duobus praeterea nobilibus viris Decio Vicario, et Horatio Tuttavillae Neapolitanis, ac insuper Camillo Voltae Bononiensi, quem Romae Ludovici Ducis Nivernensis negotiorum procuratorem esse diximus, facultatem fecit abeundi. Hi igitur una omnes confectum iter relegere sunt ag-

greſsi. Quo in itinere nondum e Flaminia egreſsi cognoscunt, Gregorium Pontificem sextam Romae habuiſse ordinationem: in eaque novem Cardinales in Senatum legiſse, cum antea singulos tantum singulis ordinationibus creaſset; et in iis Joan: Vincentium Gonzagam, qui eo tempore ditionem Montisferrati pro Guillelmo Mantuae Duce administrabat. Porro in hoc non exiguo numero, praeter Joan: Vincentium, et Alexandrum Riarium Camerae Apostolicae Auditorem, quorum ille, ut Diaconus, extremo loco, hic, ut Patriarcha Alexandrinus, primo renuntiatus est, caeteri omnes non Itali, sed exteri fuere, Galli, Hispani, Belgae, et Aquitani; e quibus Ferdinandus Toletus perraro humilitatis exemplo delatum munus defugit. Ita Cardinalatus duodecimo anno Gonzagiae Genti restitutus. Pisaurum adveniens noluit oppidum ingredi Scipio, ne cogeretur Franciscum Mariam Urbinatium Ducem salutare: a quo non satis liberaliter secum actum dolebat, cum proximo per ea loca transitu ad mensam adhibitus non fuiſset, in qua, praeter ipsum Ducem, Victoriam matrem, et Laviniam sororem, quae aliquot post annis eidem illi Alfonso Vasti Marchioni, qui tunc hospes aderat, in matrimonium est collocata, Isabellam, duosque ex ea genitos liberos, sederunt etiam tertius Mar-

chionis filius nothus, et Hippolyta Pica Alfonsi Piccolominei uxor: quod quidem eo iniquiore animo Scipio passus est, quo in se propensiorem ante illum diem Ducis animum expertus fuerat: quanquam non in illum potius, quam in Isabellae imprudentiam culpa rejici potuit, cujus erat providere, ne homo ecclesiasticus, sanguine, ac familiaritate sibi junctus, et a quo non pauco honore se affici sentiebat, negligeretur. Neque vero dolorem suum Scipio dissimulavit: cum enim multis praesentibus ad coenam (semel quippe, ut in Quadragesima, comedebatur, atque id vespere itineris causa) in proximum cubiculum vocaretur, aperte negavit, velle se ibi cibum sumere; statimque ad eam domus partem se recepit, in qua hospitium illi paratum fuerat, ibique coenavit. Qua de re commonitus Dux, quo primum tempore soli Scipioni contigit illac iter facere, eum non solum honorificentissimo hospitio, sed omni praeterea humanitatis genere excepit. Romam denique post perpetuam quinquaginta fere dierum equitationem ventum est: quam tamen ingrediens Scipio videre vix potuit. Nam illo ipso die, cum summo mane in oppido Riniano surgeret e lecto, decidens lignum, cui velum ante januam pendens affixum erat, ita sinistrum ejus oculum percussit, ut, nisi propinquum os gravi-

tatem excepisset ictus, eum procul dubio penitus excussisset. Attamen integro oculo, non integra in praesens videndi vis permansit: nam paullo post mirum in modum tumefactus, et deinceps clausus est, ac talis ex ea re dolor excitatus, ut ne alter quidem, nisi aegre admodum, munere suo fungi posset. Itaque plures dies Romae jacere est coactus omni fere orbatus lumine: quo tandem recepto, quod reliquum erat quadragesimalis jejunii laeto, ac tranquillo animo peregit.

Caeterum qui dies laetiores Scipioni elucere debuerant, ii moeroris, ac tristitiae causam attulere. Siquidem in ipsis festis paschalibus Aemilia mater, morbo (ut est credibile) ex sanctorum illorum dierum labore contracto, in febrem incidit; ex qua intra quatriduum animam Deo reddidit [23]. Aemiliae mors eo acerbior Scipioni accidit, quod is matrem, ob eximias illius laudes, singulari pietate semper coluerat, habueratque carissimam. Fuit Aemilia, si ad staturam breviorem non respicias, forma corporis egregia, animo autem adeo virili, vasto, ac sublimi, ut nihil non auderet, nihil non efficere, aut obtinere se posse speraret. In filios, dum tenera praesertim fuerunt aetate, severam exercuit disciplinam. Familiarium nonnullos per indulgentiam improbiores reddidit. Ejus

corpus ex Urbe Cremona, ubi illa diem suum obiit, ad oppidum Insulam primo delatum est: quod oppidum ab eo tempore, quo Pyrrhus caepit suam, ac fratrum ditionem administrare, unanimi filiorum voluntate ita illi attributum fuerat, ut dum viveret eo tum in regimine, tum in caeteris omnibus non secus uteretur, ac si ipsius proprium esset; deinde ad oppidum Sanctum Martinum transvectum, ibique humatum in sacello ab ipsa constructo, ac dicato Santissimae Cruci in Aede Sancti Sebastiani: quo non ita multo post, permittente Scipionis rogatu Pontifice Gregorio, translatum est etiam Caroli patris cadaver ex aede Sancti Petri sita extra Gazolum oppidum, in qua caeteri omnes Scipionis majores utriusque sexus, quotquot Gazoli dominati sunt, diem expepectantes extremum quiescunt. Non longe post Aemiliae obitum Pyrrhus filius militarem Philippo Regi navaturus operam adversus ipsius et Dei perduelles in Belgium se contulit, Ferdinando fratri, consensu Julii Caesaris, relicta totius ditionis administratione: quae res maximi inter juniores illos fratres dissidii occasionem praebuit. Nam Julius Caesar, etsi verbis communis rei gubernacula sibi non deposcebat, re ipsa tamen multa efficiebat, quibus non obscure intelligebatur, iniquo illum animo pati, non eandem

esse penes se, quae penes fratrem esset, auctoritatem. Hinc paullatim factum, ut si quem Ferdinandus ex officii sui munere aut exilio mulctasset, aut gratia, conspectuque suo privasset, hunc statim Julius Caesar non modo apud se, invito fratre, retineret, sed omni prorsus studio, ac favore prosequeretur. Praeterea, quos Ferdinando sciebat esse caros, eos ipse insectaretur, illorum vero, vel adversarios, vel aemulos in deliciis haberet. Itaque dum hic uni, alteri ille favet parti, parum quandoque abfuit, quin ipsimet manus inter se consererent: quod ne accideret, secundum Dei benignitatem, Ferdinandi, viri alioqui ferocis, ac pavorem nescientis, patientia effecit. Verumenimvero, cum ne sic quidem fratris animum lenire Ferdinandus posset, coepit per litteras agere cum Pyrrho fratre, ut ipsius voluntate liceret sibi divisionem totius ditionis petere: caetera enim bona ex convento divisa jam fuerant. Cui rei libentissime assensit Pyrrhus, ut qui nec satis prono animo mansisset ad eam diem cum junioribus fratribus, et paucis contentus tranquillum sibi vitae genus jamdudum proposuisset. Ergo datis ad Scipionem litteris enixe eum rogavit, ut, si fratres in eo consentire intelligeret, ne gravaretur pro communi bono eam provinciam suscipere. Scipio pollicitus

quidem est, non defuturum se communi fratrum, atque illius praecipue voluntati: verum dum, partim in domesticarum rerum cura parum versatus, partim ab hoc divisionis nomine suopte ingenio valde abhorrens, partim denique inscius adhuc Julii Caesaris in eam rem propensionis, diem ex die ducendo profectionem protrahit, ecce tibi litterae a Ferdinando fratre, quibus eum omnibus precibus orat, atque obtestatur, ut se quam citissime in patriam referat: dissensiones inter ipsum, et Julium Caesarem eo processisse, ut, nisi ipse continuo accurrat, vereatur vehementer, ne armis agendum sit. Tum vero Scipio minime cunctandum ratus, vix petita a Pontifice discedendi facultate, dat se illico in viam, et permutatis equis ad oppidum Sanctum Martinum contendit. Ibi miserrimum rerum statum comperit. Fratres quippe non modo nullum inter se colloquium, nullam habebant consuetudinem, sed ita incedebant, ac si in singula momenta certandum illis esset: quandoquidem et longa satellitum manu stipatos, et pluribus tum majoribus, tum minoribus sclopis onustos se ipsos cunctis conspiciendos praebebant, maxima cum totius populi offensione, ac metu, ne quid adversus hanc familiam grave per eos moliretur humani generis hostis. Haec non minore animi sui

horrore, quam moerore videns Scipiò desperavit omnino, posse se aliquid boni efficere, animosque adeo inter se discordes, ac dissidentes conciliare.

Quod tamen per se ipse non poterat, id clementissimi Dei munere tandem est consequutus. Hanc autem in ea re tenuit rationem, ac viam, ut curaret in primis deponi ab utroque insueta illa armorum genera, duobus hisce precipue innixus argumentis; altero, quod ea nobilitate viros indecorum esset apparitorum more incedere; altero, quod tot armis, atque armatis sepiri nihil aliud esset, quam signa timoris edere; inanem vero esse timorem iis in locis, ubi quispiam dominetur, cum is et inter subjectos nullum sibi parem, et suî defensorem universum habeat populum. Quod si ab utroque id fiat alterius fratris causa, eo magis abjicenda esse arma, quo res pejoris esset exempli, quoque nulla inter eos intercederet vera, et legitima odii causa. Hoc autem aegre impetrato, illud deinceps effecit, ut se mutuo alloquerentur: quod ut facerent, nec cito, nec sine arte obtinuit. Ita pudore in eos injecto, securus jam videbatur, quamdiu ipse adesset, nihil illos gravius aggressuros. Cum tamen neque ob id conciliatos vere illorum esse animos cerneret, et ipse omnem novarum turbarum occasionem tollere

vehementer optaret, de ditionis partitione institit agere, ex his, quae brevi illo tempore expertus fuerat, satis edoctus, multo secus, atque antea sentiebat, utilem non modo rem illam esse futuram, sed etiam prorsus necessariam. Atqui ipso in tractationis limine illud se impedimentum objecit, quod Julius Caesar negabat omnino velle se a pristina communione discedere, arbitratus fortasse, melius esse multis conjunctim, quam paucis solum imperare. Cum vero diceret Scipio, frustra illam ea in re a caeteris fratribus dissentire: neque enim invitum quenquam cogi posse ad vitae cum aliquo societatem; idque nihil apud Imperatorem, si forte res exegerit, ut ad illius auctoritatem confugiatur, habiturum esse difficultatis; respondebat; se non minus gratia apud Imperatorem ipsum pollere, quam caeteros: quod quidem vere dicebat: Maximiliano enim vita functo successerat Rodulfus filius natu maximus, jamdudum Romanorum Rex electus, cui Julius Caesar cum esset a poculis, non parum ab illo diligebatur. Facile tamen refellebatur a Scipione, quod res, de qua agebatur, non gratiam, sed justitiam spectaret. Illud praeterea addebat, male cum omnibus fratribus actum iri, si ex Caesaris auctoritate loca dividerentur: cui enim ab ipso demandata esset haec provin-

cia cum nihil aliud efficere posse, quam ditionem omnem in aequas partes distribuere. Cum vero plura sint capita, inter quae divisio fieri debet, quam loca dividenda, hinc effici, ut nemo suae portionis ad plenum dominus sit futurus. Quibus rationibus etsi nihil habebat Julius Caesar, quod responderet, non tamen patiebatur a sua se sententia dimoveri. Quamobrem Scipio dissimulatione cum illo agendum ratus, destitit ea de re amplius loqui, ac si cogitationem illam omnino abjecisset, in quam tamen tacite totus incumbebat. Nonnullis vero interjectis diebus, cum iidem de rebus a causa longe alienis inter se fabularentur, quasi aliud agens, Scipio in ea incidit verba, ut diceret; si divisionis negotium processisset, futurum se sperasse, ut Julius Caesar haud dubium acciperet benevolentiae in eum suae testimonium: quibus verbis vix prolatis, priorem statim persequutus est sermonem. At Julius Caesar, qui ea attente exceperat, nec tamen, suae conscius pervicaciae, ausus tunc fuerat ad ea aliquid dicere; haud ita multo post coepit occasionem quaerere, aut potius praebere, in eundem recidendi sermonem. Verum cum Scipio, aut non intelligere se, aut longe ab ea cogitatione abesse simularet, morae ille impatiens sic eum denique affatus est. Superioribus

diebus tu mihi quiddam in sermone de privatis meis commodis injecisti: quidnam, obsecro, illud est? Cui Scipio; nonnulla tum ego volvebam animo, quae nunc non est, cur pluribus explicem, quando nihil amplius de divisione agendum est. At, illo nihilo minus, immo acrius urgente, ubi se diu rogari Scipio passus est, tandem caeterorum fratrum voluntatis probe conscius; non ignoras, inquit, quatuor nos esse fratres divisionis hujusce consortes; tria autem esse loca, quae in divisionem cadunt, eaque inter se minime paria; nam alius locus alio longe est opulentior. Ergo alterutrum accidere necesse est, ut vel non aeque unicuique portio sit assignanda, vel nemo nostrum ita alicujus loci futurus sit dominus, quin alterum habeat in dominatu socium: et hoc quidem quam optabile sit, satis omnes norunt. Neque id vero ullum, quod ipse sciam, sequitur incommodum, dummodo in portionibus inaequalibus aequa sit animorum voluntas, atque consensio. Hic igitur videbatur mihi locus dari testificandi amoris in te mei. Qua ratione fieri posse sperarem, accipe. Oppidum hoc Sanctum Martinum, in quo nunc sumus, cum caeteris majus sit, et locupletius, ac proinde portionem quartae partis superet, duobus ex nobis assignandum censebam: ex reliquis

duobus singula singulis. Hac divisione nemo non videt, qui dimidia hujus oppidi parte erunt contenti, cum iis pessime omnium actum iri: nam et portionem sortientur minime uberem; et, cum uterque alterum habiturus sit auctoritate parem, neuter dicetur rerum suarum libere, ac plene potiri. Ex his duobus, ut caeteris gratificarer, alterum me esse decreveram, alterum vero Pyrrhum, quem in mea potestate sine dubio fore confiderem. Inter duo reliqua optime ipse scis quale sit discrimen: quamvis enim Insula oppidi gaudeat nomine, opulentia tamen longe inferior est pago Pomponisco. Ex his facultatem apud te esse constitueram, utrum malles eligendi, atque ita indulgendi genio, sive dignitatem, sive utilitatem praeferendam censeres. His auditis, Julius Caesar mirum in modum laetatus est, rem sibi cedere ex animi sententia: cupiebat enim vehementer, Pomponiscum sibi obtingere; at id longe aberat, ut speraret; et eam potissimum ob causam alienum se a divisionis negotio praestabat. Quare, injecta nunc primum spe ejus, quod optabat, potiundi, rogare enixe Scipionem coepit, ut eam sibi sumeret provinciam: quam is denique aggressus brevi negotium eo perduxit, ut jam videretur omni ex parte feliciter absolutum: cum parum abfuit, quin

tractatio illa omnis disjiceretur. Possidebat Julius Caesar in oppido Sancto Martino extra arcem domum quandam partim proscriptione sibi attributam, partim aere proprio coemptam: hanc cupiebat ille a loci jurisdictione ita eximere, ut nullum, quaecumque inciderent, in eam alteri esset jus. Itaque quo die sperabat Scipio publicas divisionis tabulas posse confici, eo ipso die Julius Caesar ex eadem, quam ipse habitabat, domo misit ad Scipionem schedulam, alterius quidem manu conscriptam, (neque enim ille tunc commode se habebat) sed quam ipse tamen ad verbum dictaverat; ea autem erat hujusmodi. „ Quidquid hactenus in negotio divisionis actitatum „ inter nos est ita accipias velim, ut nullus unquam „ casus dari possit, quo futuris Sancti Martini do„ minis liceat me ex hujus, quam incolo, domus „ possessione deturbare. Neque enim scio, an hi, „ qui benevolos nunc, et humanos se praebent, fe„ rinos aliquando, ac vesanos spiritus sint conce„ pturi; ut illud interim omittam minime decorum „ visum iri, si frater cum sim, subditi loco me ha„ beri contingat: haec igitur certa mea, ac delibera„ ta voluntas est: neque aliter ullo tempore pactio„ ni sum assensurus. Vale „. Scipio, lecta schedula, dici non potest, quam graviter animo commotus

fuerit. Ex una enim parte insolentiam illam verborum, quae in se, et Pyrrhum fratrem recta tendebant, non poterat non indignissime ferre; ex altera vero angebatur animo, cum se maxime tenere portum speraret, ab eo se longissime extrudi, ac propelli. Itaque, abjecta illico omni spe negotii ex sententia conficiendi, saepius cogitavit de ejusmodi responso per litteras dando, quod tum ad coercendam praeferocis animi audaciam, tum ad commonefaciendum, erudiendumque conducere maxime videretur; at mutato post longam meditationem consilio, ipsemet ad eum adire, eumque coram alloqui statuit. Eo igitur profectus, schedulamque, quam manu gestabat, illi ostendens his fere verbis exorsus est. Cupio, frater, scire, utrum haec schedula sit abs te profecta, nec ne? Ille non tam ex ipsa interrogatione, quam ex interrogantis aspectu id, quod erat, conjiciens, leniter admodum respondit; a me quidem profecta est, licet mea non sit manu firmata: sed, si quid in ea scriptum est, quod te offenderit, scito, me imprudentia potius, quam non bona mente id scribi jussisse: immo tibi persuadeas velim, cum ejus rei me ceperit suspicio, voluisse me illum, cui dederam, revocare, sed is jam longe aberat. Tunc Scipio, cum illum, et facti poenite-

re, et voluntatem sibi satisfacendi concepisse intelligeret, noluit diutius conqueri; sed, paucis ad ea, quae jam dixerat, ad objurgationem additis, subjecit. Quandoquidem unius hujusce rei causa huc non accessi, respondebo nunc ad ipsam schedulam, atque ita respondebo, ut iisdem prorsus, quae in ea leguntur, utar verbis. Quoniam fratres tui verentur, ne qui humanum te nunc praebes, vesanus aliquando, ac ferinus evadas, ideo nunquam permittent, ita te domum hanc possidere, ut in ea quidquid collibuerit abs te impune agi posse arbitreris. Certa igitur nostra, ac deliberata voluntas est, ut, siquidem harum aedium possessionem retinere volueris, non secus eas possideas, ac caeteri, qui nostro in imperio sunt. Si id non placet, alterutrum accidere necesse est, ut, aut illas tu alteri, seu vendas, seu dono des, aut nos quoque alias in ditione tua comparemus, quas nullo casu amittere possimus. Ergo, inquit Julius Caesar, nullum futurum est discrimen inter me, qui tum frater, tum is sum, qui sum, et caeteros ditioni vestrae subjectos? Cui Scipio; in ceteris maximum erit discrimen; in hoc nullum prorsus. Tum ille; alienum hoc mihi videtur ab omni ratione, et quod ferri nullo modo possit. Et Scipio; multo magis, inquit, a ratione alienum,

minusque tolerabile sit, si quis in aliena ditione velit parem cum ipsis dominis potestatem exercere. Hoc ipse non contendo, ait Julius Caesar, sed illud tantum, ut ne domus mea publicari, seu in fiscum redigi possit. Tunc Scipio; et quid aliud hoc est, quam pari cum dominis esse auctoritate? quis enim, hoc dato, quod ipse petis, prohibere te possit, quominus in ea vel sontibus asylum praebeas, vel exules intromittas, vel arma congeras, vel denique omnia efficias, quae ne ipsi quidem ditionis Principes jure possint efficere? His, et aliis in eam sententiam adductis rationibus cum manus tandem dedisset Julius Caesar, negotium denuo a Scipione repetitum, feliciterque confectum est. Ita oppidum Sanctus Martinus Pyrrho, et Scipioni; Insula Ferdinando; Pomponiscum, quod fortasse Pomponianum [24] a Pomponianis castris, uti Vitelliana, quae in proximo est [25], a Vitellianis dici possit, Julio Caesari in partem obtigere. Qua in tractatione sic animo affectus fuerat Scipio, ut, si commodior in tres partes fieri potuisset divisio, ab ea ipse libentissimo animo se subducturus fuerit; at cum provideret, fore, ut difficultatem id non minueret, sed augeret potius, suam sibi quoque portionem assumpsit; ita tamen ut Pyrrho integram oppidi administrationem libere

in perpetuum concesserit. Hanc bonorum divisionem statim animorum vinculum, atque concordia Ferdinandum inter, et Julium Caesarem est consequuta; et quidem talis, qualem nunquam speraverat Scipio: ex quo liceat colligere vere opus Dei, non hominis illud fuisse.

Verum si in aliorum animis conciliandis non inutile Scipio divinae bonitati ministerium praebuit, effugere ipse certe non potuit, quin alterius iracundiam in se concitaret. Cum enim nonnullis post pactam divisionem diebus administrationem oppidi Sancti Martini suscepisset, velletque ex officii sui munere plura promulgare, aut potius renovare edicta, sciens, Julium Caesarem nonnulla admittere ex iis, quae lege prohibenda essent, et illud praesertim, quod exules, et capitis damnatos apud se haberet; illum privatim alloquutus est, enixe rogans, ut, ne edicta viderentur ipsius causa promulgata, vellet suapte sponte eos missos facere: id ipsimet honori futurum, sibi vero incredibili voluntate, quo, et injunctum sibi a Deo munus exequi, et communi posset illius populi quieti, ac securitati consulere. Quoniamvero in iis erat M. Antonius quidam cognomento Mancinus, quem Julius Caesar inter familiares adscripserat, illum unum, dicebat Scipio, se permissu-

rum non dimitti; non quod ille melior esset caeteris, (neque enim multo post,eodemmet jubente Julio Caesare,elisis illi a carnifice cervicibus,multorum scelerum poenas luit) sed quod videretur rationi consentaneum, familiaritatis jus illi aliquo modo prodesse. His auditis Julius Caesar mirifice excanduit, multaque in fratrem dixit querimoniarum, ac lamentationum plena: quanquam rationibus, et Scipionis constantia tandem victus, legum quidem promulgationi assensus est, illisque est obsequutus, altius tamen indignationem in animum demisit, eaque impulsus varia perrexit in Scipionis contemptum in vulgus spargere: quae, etsi tacitus, magna tamen cum animi molestia transmittebat Scipio: ac suberat discri- 1579
men, ne in aperta jurgia utrinque iretur, nisi peropportuno tempore adfuisset Pyrrhus e Belgio rediens. Hujus praesentia non modo Julii Caesaris obtrectandi licentiam compescuit, sed effecit etiam non ita multo post, ut quatuor fratres cum simul aliquando pransi essent, se invicem uno tempore amicissime, ac non sine lacrimis, amplexarentur. Peractis iis, quorum causa in Cisalpinam Galliam venerat, coepit Scipio de suo ad Urbem reditu cogitare, extra quam mirabile dictu est, quam insuavis illi videbatur hujus lucis usura. Neque vero id im-

moderata efficiebat ulla cupiditas: nihil enim omnino sibi tunc aut sperabat, aut deposcebat: quod eo mirabilius videri possit, quod majus eum cepit paucos post annos ejusdem civitatis taedium, quo tempore communi hominum judicio poterat sibi non mediocria polliceri. Sed haec in loco reddemus. Igitur e vestigio iter esset ingressus, nisi illum hiemis asperitas retardasset; at adulto jam vere ad consuetum se domicilium contulit: ubi tota illa aestate (is fuit annus septuagesimus nonus supra millesimum, et quingentesimum) nihil habuit antiquius, quam ut inceptum jamdudum opus perficeret, seque ad sacratissimum presbyteratus ordinem compararet. Ad hunc tandem evectus est Kal: Novembris festo ipso die Sanctorum omnium in sacra aede Sancti Silvestri, quae est in Quirinali, ministerio Thomae Episcopi Assafensis Angli, qui in Urbe Vicarii Apostolici vices gerebat, viri tum professione, (erat enim Clericorum regularium familiae adscriptus) tum vitae innocentia clari, et Scipioni jam inde ab Tridentina Synodo familiariter noti, a quo caeteris etiam sacris ordinibus initiatus fuerat. Die vero undecimo ejusdem mensis, qui dies est natalis beatissimi Episcopi, et Confessoris Martini, in cujus maxime tutelam, secundum Deiparam Virginem, ac Sanctum Hiero-

nymum Ecclesiae Doctorem se dederat, primam divinae Majestati hostiam immolavit ad praesepe Christi Domini, quod in Basilica Sanctae Mariae ad Nives religiose colitur. Ita trium simul patronorum Scipio rationem habuit: nam Sancti Hieronymi corpus prope ipsum praesepe conditum esse constans fama, ac complura monumenta testantur. Factus sacerdos 1580
reliquum annum illum, ac totum insequentem quiete, ac tranquille transegit. Postero cum accepisset Vincentium Mantuae Principem inibi esse, ut Mar- 1581
garitam Farnesiam Alexandri Parmae, et Placentiae Principis filiam in matrimonium duceret; eamque ob causam tres S.R.E. Cardinales Alexandrum Farnesium, Joan: Franciscum Gambaram, et Joan: Vincencentium Gonzagam decrevisse ex Urbe Mantuam proficisci, existimavit suae in Mantuanos Principes observantiae, et cum eisdem cognationi convenire, ut et ipse hujusmodi solemnibus interesset. Quare caeteros, qui Roma discedebant, antevertens, Guillelmum Ducem, et Vincentium Principem convenit, iisque studium, atque operam suam promptissime obtulit: a quibus benigne primo acceptus, deinde obviam etiam honoris gratia missus est Farnesio, et Gambarae Cardinalibus, qui una iter fecerant ad agrum usque Mutinensem. Nuptiae celebratae sunt splen-

didissime;easque una cum iis,quos ante nominavimus, praesentia sua cohonestarunt Aloisius Estensis Cardinalis,Alfonsus Ferrariae, et Octavius Parmae Duces: observatumque est ex tot principibus viris solos Joan: Vincentium Cardinalem, et Alfonsum Ducem pedibus ambulasse, cum caeteri omnes, sponsis exceptis, sella gestatoria, utpote podagrici, uterentur. Quare homini cuidam festivi, ac lepidi ingenii occasionem praebuit dicendi per jocum; videri illud sibi Principum non conventum, sed valetudinarium. Estensem in Galliam Cisalpinam Roma detulerat quasi turbo quidam improvisae tempestatis. Nam cum ex itinere transalpino in Urbem reversus nihil longinquius, quam Tibur cogitaret, accidit, ut nonnulli ex ipsius familia, qui violatas domini aedes a publicis lictoribus ferre non possent, sumptis armis, in illos impetum facerent, ac vulneribus male mulctatos in fugam conjicerent. Hujus criminis reos postulavit sibi tradi Gregorius; quod cum differretur, Hieronymum Matthaejum Camerae Auditorem ea de re misit ad Aloisium, qui illum plures horas expectare jussum demum aedium postico elusit. Insequenti die veritus, id quod erat, accusatum se apud Pontificem, quod praecipuum in Urbe magistratum cum Principis mandatis ad se accedentem contem-

ptui habuisset, Pontificem adiit. Ibi dum facti excusationem orditur, irata oratione excipitur, et quando nulla demissi animi signa ostenderet, dimittitur cum praecepto, ut Urbe, ac Tibure ipso quamprimum abscedat. Quod ille ita praestitit, ut quamvis a Senatu fere universo, ipsoque adeo Jacobo Boncompagno, cujus praecipua in Urbe erat autoritas, summis precibus rogaretur, tempus amicis daret conveniendi, et placandi Pontificis; ipse illo eodem die, non expectata familia, cum paucis praeripuit se ex Urbe, et quam celerrime potuit, omni paullo post excessit ecclesiastica ditione, Patavii, ut dicebatur, moraturus, quoad opportunius sese objiceret consilium. Nuptiis cum interesset, frequens, ac perjucunda fuit Scipioni cum illo consuetudo: nam, obliterata omni praeteriti temporis memoria, a primo statim in Urbem regressu ostenderat Estensis cupere se vehementer, ut Scipio ad veteris obsequii rediret officia: actumque eodem tempore per Cardinalem Tridentinum, qui singulari Estensem benevolentia prosequebatur, ut ab Ferdinando Medice Scipio abduceretur: quod quanquam frustra tentatum (acrius enim urgenti Tridentino responderat libere Scipio; se, utcumque caderet consilium suum, non deserturum, qui se olim ab Estensi contemptum in

clientelam susceperat) antiquus tamen utrinque redintegratus est amor. Nuptiis peractis, cum constituisset Scipio integram aestatem, quae jam aderat, apud suos transigere, Martiniani otii impatiens, ac veteres amicos revisendi cupidus Ferrariam primo, ut Estensem, qui rebus jam cum Gregorio compositis reditum ad Urbem parabat, iterum salutaret; deinde Venetias; postremo Patavium petiit: quam ille civitatem, ob florentis adolescentiae annos in ea jucundissime consumptos, semper, tanquam alteram patriam, dilexit unice.

Domum reversus, cum videret quotidie magno animi sui moerore primarium illius oppidi templum, et ruinosum, nec quo decebat cultu, ornatuque instructum, constituit omnino in Dei honorem, ad suae ipsius animae salutem, ac loci splendorem, quantumvis magni ea in re futuri essent sumptus, vetere funditus everso aedificio, novum excitare. Itaque adhibitis probis architectis, a quibus dimensionum rationes edoceretur, modum ipse templo, ac formam suo ingenio praescripsit. Cum vero tam inops esset a pecuniis, ut vel unde opus inchoaret illi non suppeteret; essetque nonnullo insuper obstrictus aere alieno; ne novum, aut ne magnum saltem conflaret: partim praediolo quodam distracto, partim

quadam, quae sibi a Pyrrho fratre ob partium aequationem debebatur, pecuniae summa, quamvis exigua, in hunc usum conversa, ingruenti, quoad ejus fieri potuit, necessitati prospexit. His ita constitutis, nec dum tamen opere incepto, quod immineret hiems, Scipio Romam rediit: quo item tempore Ferdinandus frater ad Belgicum bellum, illi eidem equitum turmae praefectus, quam Pyrrhus antea duxerat, ire contendit. Appetente autem vere, ve- 1582 teri diruto templo, jam novi jacta erant fundamenta, cum alia sese obtulit Scipioni necessitas rei familiaris profundendae. Nam cum, indictis a Rodulpho Caesare Augustae Vindelicorum Imperialibus Comitiis, Gregorius Pontifex de mittendo eo Apostolico Legato consilium iniisset, id muneris demandavit Ludovico Madrucio Cardinali, viro non tam quod Germanus, quam quod summa probitate, summa doctrina, et multiplici rerum experientia insignis esset, ad illud negotium conficiendum maxime omnium idoneo. Is a Scipione pro veteri amicitia quaesivit, velletne una secum iter illud facere. Sane tenebatur Scipio non mediocri Caesaris Aulae desiderio, ut quam erga Maximilianum patrem exercuerat observantiam, eandem filio Rodulpho praestaret; verum tam alieno tempore non facile addu-

ci se passus esset, ut hoc subiret incommodum; nisi singulare ipsius in Ludovicum studium ad id eum in primis perpulisset. Annuit igitur; ita tamen, si id Pontificis Maximi voluntate fieri posset: qui non modo facillime assensum praebuit, sed etiam Ludovici consilium non mediocriter approbavit. Ergo iter paullo post primam Quadragesimae hebdomadam ingressi, diem festum Annuntiationis beatissimae Virginis in eodem ipso cubiculo, ubi Angelicum nuntium illa accepit, in sacratissima Aede Lauretana, oblata salutari hostia, religiose celebrarunt. Inde Anconam profecti, postero die Senogalliam venere: ex qua urbe obvium Legatus habuit Franciscum Mariam Urbini Ducem, quicum res illi accidit nescio risu ne magis, an miseratione digna. Paullo antequam Roma discederet Ludovicus, litteras ab eodem Urbini Duce, sicut et alii plerique ex Cardinalium Collegio, acceperat, quibus rogabatur, ut in eorum numero esse vellet, qui eum Serenissimi, ac Celsitudinis titulo decorandum susceperant. Qui quidem Ludovicus, cognita Ducis voluntate, decrevit statim pro sua in eum animi propensione hac illi in re morem gerere. Cum tamen immineret ipsius ex Urbe discessus, Ducis Oratori, qui eas sibi litteras reddiderat, nihil aliud respondit, nisi

propediem se cum Duce futurum, atque illud facturum, quod summa benevolentia, atque observantia in eum sua postulare videretur. Accessit Ludovicus, verum ita animo affectus, ut non ante vellet Franciscum Mariam Celsitudinis nomine appellare, quam, primis peractis sermonibus, qui plerumque de rebus valde communibus fieri consuevere. Tunc enim, novo quasi sermone instituto, volebat ipse de litteris ab eo Romae acceptis verba facere, atque ea data occasione expetito eum titulo tandem cohonestare. Atqui, cum primo illo congressu, dum simul equitarent, nulla Ludovico sese obtulisset eo, quo diximus, modo exordiendi opportunitas, ita toto illo tempore Ducem est alloquutus, ut aeque a Celsitudinis, atque ab Excellentiae titulo abstineret. Quo factum est, ut Dux nihil praeterea expectandum ratus, quod aversum Ludovici animum magis indicaret, nequaquam amplius in illius conspectum se dederit, quamvis totum fere illum diem, et partem aliquam sequentis Legatus non ibi solum substiterit, sed etiam urbem pedibus perambulaverit. Praetexuit ille quidem alias suae hujus subductionis caussas; et eam praesertim, quod, cum recens a gravi morbo convaluisset, medicorum manus nondum evaserat: quorum praeceptis diu se, vel in cubili,

vel certe in cubiculo cogebatur continere. Sed ea, quam diximus, vera procul dubio fuit causa. Suarum vero excusationum interpretem, ac nuntium Scipionem semper esse voluit: qui quidem, si Ludovici consilium tunc temporis exploratum habuisset, nullo negotio potuisset illi occurrere incommodo. At quemadmodum multa Cardinalis taciturnitas nullum ad eam diem cepti consilii extulerat argumentum, ita summa gravitas cum summa prudentia conjuncta omnem modesto homini obstruxit aditum ea de re colloquendi. Ita duplici modo, inviso Duce, postero die Senogallia discessum est: ac per Fanum, Ariminum, et Ravennam ventum est Ferrariam: ubi ab Alfonso Duce Legatus perhonorifice est exceptus. Inde, cum cognovisset, Guillelmum Mantuae Ducem in oppido suae ditionis ad Padum in conspectu Hostiliae, quod Reverum vulgo dicitur, moram trahere, ad eum divertit: apud quem item, quanquam in magna loci, ac temporis angustia, laute, ac splendide hospitatus est. Illinc discedens Scipionem dimisit. Cum enim ex iis, quae e Caesaris Regia nuntiabantur, comperisset, Comitia Imperialia ad mensem Junium dilata; uti ipse constituit Tridenti consistere, ita Scipioni toto illo tempore apud suos manendi potestatem fecit. Qui partim Man-

tuae, partim in oppido consueto moratus, hic novi surgentis templi extructionem, ibi Annae Catharinae Guillelmi filiae sponsalia, quae Ferdinando Austriae Archiduci avunculo in matrimonium tradebatur, Ferdinando Duce Bavariae illius nomine munus exequente, per otium magna cum voluptate inspexit. Caeterum, appetente tandem Germanicae profectionis tempore, Scipio Tridentum se contulit: unde Kal. Junii interruptum iter continuatum est. Ea autem illo ipso die fuit coeli, ac frigoris asperitas, quae vix summa hieme esse potuisset. Nam tota priore nocte nix e caelo deciderat, ita ut nemo satis sibi vestitus videretur ad frigus arcendum: quod idem accidit, quanquam sereno caelo, in Pennino Monte superando, qui mons non longe distat Oenipone. In ingressu Urbis Brixini, ubi obvium, et hospitem habuit Antistitem loci Joan: Thomam Spaurum arcta sibi affinitate, et familiaritate junctum, jussit Legatus tunc primum, extolli Crucem, suae Legationis insigne. Hoc dum ministri satagunt, ita confringitur hastile, cui praefigenda erat Crux, ut nulla ratione committi Crux, atque hasta potuerit. Itaque cessatum est, dolentibus nonnullis, idque quasi triste omen accipientibus: sed tum ratio, tum eventus ostendit, non minus vanam, quam Christia-

no homine indignam fuisse hujusmodi observationem. Ea in urbe celebratus est dies festus Sacratissimae Pentecostes. Scipioni autem, et aliis, qui summo mane religionis causa sacram aedem sunt ingressi, illud accidit, ut cum se lustrali aqua consignare vellent, oleo aqua mixto cum frontes, tum etiam vestes adspergerent. Incertum casu ne, an cujuspiam haeretici hominis fraude factum id fuerit, quo advenas Catholicos ludificaret. Brixino, post tridui fere iter, ventum est Oenipontem. Ex quo oppido Vincentius Mantuae Princeps, qui Annam Catharinam sororem ad Ferdinandum Archiducem deduxerat, illo ipso die suum in Italiam reditum parabat. Quamobrem Scipioni non illum modo, sed et Pyrrhum fratrem, qui cum eo venerat, videre licuit, et alloqui. Legato non Ferdinandus, sed Andreas filius jam Cardinalis obviam processit: quod factum etsi nonnihil excusare potuit Vincentii praesentia, quem itineri se accingentem relinqui non potuisse aliquis dixerit; si tamen ad Ferdinandi ingenium respiciatur, pendanturque ea, quae illi superioribus annis Tridentinae ditionis causa cum Ludovico dissidia intercessere, non obscure quis conjiciat, id officii data opera praetermissum. Sed quaecumque tandem fuerit ejus rei causa, certum est, Ferdinan-

dum, Vincentio jam profecto, ad Legatum honoris causa adiisse, et idem honoris vicissim Legatum mox habuisse Ferdinando. Cum quo triduo exacto, et, quanquam sejunctis in aedibus, liberaliter habitus coeptum iter est persequutus. Cum vero non longius Augusta, quam bidui iter jam abesset, invitatus per nuntium a Guillelmo Bavariae Duce, Monachium, compluribus ex familiaribus recta Augustam praemissis, divertit: ubi Sanctissimi Corporis Domini festum diem, cum toto sequente transegit. Aderat tunc Monachii Carolus Archidux Austriae una cum uxore Guillelmi Ducis sorore, qui et ipse ad Augustana tendebat Comitia: sed cunctabatur, Caesaris adventum expectans. Et hi quidem duo vere Catholici Principes pedibus, et aperto capite caelestis Eucharistiae pompam ad finem usque prosequuti sunt; quae, et valde longa, cum omnes ferre oppidi vias peragraverit, et omnium quotquot unquam Scipio viderit cum sumptuosissima, tum ad aspiciendum fuit pulcherrima. In ea enim magnificentissimo apparatu praecipua utriusque Testamenti mysteria, partim vivis, partim inanimis imaginibus, quorum aliqua sponte se movere videbantur, adstantium oculis objecta sunt. Monachio profectus Legatus tertio die Augustam pervenit. Cujus ingressus,

quem nulla instructum pompa esse voluit, non abfuit tamen a dignitate. Accessit enim rheda vectus, quam octo, aut decem aliae sequebantur, praeeunte universo equestri comitatu, et (quod permagni intererat) erecta Cruce. Caesar, ut diximus, nondum advenerat; aderant tamen nonnulli Imperii Electores, ex ecclesiasticis quidem Moguntinus, et Trevirensis Archiepiscopi; ex laicis vero Augustus Saxoniae Dux. Ex quibus duo priores Legatum honoris causa domi convenere: quod item fecerunt alii omnes Catholici Principes passim adventantes, atque ipse adeo Rodulphus Caesar; non ante tamen, sicut caeteri, quam ipse ab Legato semel, atque iterum inviseretur. Advenienti Augustam Caesari omnes fere (praeter Legatum) obviam extra urbem effusi sunt: quo factum est, ut eam ipse ingrederetur non pauciorum, quam quatuor equitum millium stipatus caterva. Nonnullis autem post diebus, cum jam solemnes coetus habere in animo esset, rem divinam in templo maximo ad invocandam Spiritus Sancti gratiam fecit Marquardus Episcopus Augustanus: cui quidem sacro interfuit Caesar, caeterique omnes Sac. Rom: Imperii Principes Catholici. Haeretici vero, ubi Caesarem ad fores usque sacrae aedis, vel etiam ad aram maximam deduxissent, omnes abiere.

In quibus Augustus Dux Saxoniae cum ex muneris sui officio (est enim Sac: Imp: Archimarescallus) nudum gladium manibus gestans equitantem Caesarem eo usque praeisset, gladium reliquit ejus muneris Vicario Popnamio, illi ipsi nimirum, cujus superiore Libro mentionem fecimus, qui hereditario jure Imperii Marescallus nuncupatur; ipse vero in conjunctum templo atrium se recepit, ibique partim defunctorum epitaphia legendo, partim cum Christierno filio, atque aliis propinquis, quorum non parvum numerum secum habebat, fabulando, tamdiu moratus est, dum sacrum absolveretur; ridentibus interim, aut potius miserantibus Catholicis omnibus Popnamii solicitudinem, ac moerorem, qui ne se nefariis, ut putabat infelix, ritibus pollueret, ne oculis quidem, ne dum genibus tremendum Missae sacrificium, immo ipsum Salvatoris nostri Corpus, et Sanguinem venerari dignabatur. Re divina peracta, eodem, quo venerat, ordine, et pompa Caesar ad locum Conventus equitavit. Ubi conscenso regali solio ad circumfusum Principum coetum de indicti Conventus causis, deque rerum agendarum summis capitibus graviter, et diserte disserere est aggressus. Haec dum fiunt, animadversum est magna adstantium admiratione, a dextro Caesaris latere inter

ecclesiasticos Principes (a dextris enim tum Electores, tum caeteri Principes ecclesiastici, et cum iis Austriae Archiduces, si qui adsunt; a sinistris vero laici omnes sessionis locum habent) sedere quendam profanis vestibus indutum: quem postea compertum est, hominem esse eo propria auctoritate missum a Joachimo Marchione Brandeburgense Electoris filio, qui cum patris senio jam paene confecti vices gereret, ob idque tertium inter Electores locum obtineret, hunc sedere jusserat inter ecclesiasticos, quo suam ipsius personam referret, tanquam Archiepiscopatus Magdeburgensis administratoris. Neque eo contentus, in quo, et Summi Pontificis, sine cujus auctoritate ecclesiasticum honorem sibi vindicaverat, et Caesaris majestatem ob jamdudum denegata regalia, quae vocant, vehementer laedebat, ac violabat; hunc etiam voluit primum post Carolum Archiducem sibi locum adrogare: atque ita Salisburgensem Archiepiscopum longa loci possessione, quam inter ecclesiasticos Principes tenet, dejicere. Ratio autem, cur is, qui Magdeburgensem moderatur Ecclesiam, deberi sibi superiorem locum arbitretur, illa est, quod idem sit totius Germaniae Primas. At Salisburgensis Legatum Sedis Apostolicae natum se praedicat: in cujus

rei signum rubro in sua Ecclesia uti galero illi permittitur, perinde ac si esset S. R. E. Cardinalis. Cur vero ex Laicis Principibus soli Austriae Archiduces in Imperialibus conventibus inter Ecclesiasticos sedeant id causae est, quod cum ab Imperatoribus e domo Austriaca ille esset honoris gradus primum institutus, obtinere nunquam potuerunt, ut Bavariae Duces superiore, quo jam pridem sine controversia potiuntur, loco decederent. Itaque sancitum est, ut Archiduces Austriae inter Ecclesiasticos locum habeant; impetratumque a Salisburgensibus Archiepiscopis, ut alternis vicibus, modo ipsi, modo Archiduces, digniorem obtineant sedem. Ab eo Conventu aberat tunc Joan: Jacobus Archiepiscopus; sed partes ejus agebat Episcopus quidam ipsius procurator: quare facilius Brandeburgensi loci illius occupandi consilium cessit e sententia: quo tamen frui nequaquam ei licuit. Nam Catholici omnes, Legatus praesertim, et Guillemus Bavariae Dux, de cujus zelo, ac pietate in Deum nunquam satis dici posset, primo per Salisburgensem Vicarium, cujus praecipue dignitas agi videbatur, deinde et per se ipsi, ne pernicioso exemplo unum, eundemque haereticum hominem plura in comitiis habere suffragia paterentur, ita rem in controversiam deduxere, ut tamdiu

a cogendo Senatu Principes abstinere coacti sint, donec ea de re aliquid statueretur. Res complures dies agitata: et parum aliquando abfuit, quin Brandeburgensis voti in praesentia compos efficeretur; addito tamen decreto, ut ab ea re in posterum abstineret: adeo Caesares in hac virium imbecillitate quamlibet levem Electorum Imperii offensionem devitant. Attamen ea fuit Catholicorum Principum contentio, et Legati ardor simul, atque dexteritas, ut decretum tandem fuerit; nullum illi jus ea in re competere. Quamobrem Marchio ira incensus, nemine fere salutato, iter statim arripuit, et ad suos se recepit; cunctis videntibus, mirantibusque non tam viri intolerandam ferociam, quam Augusti Saxoniae Ducis aequanimitatem, atque constantiam: qui, licet Brandeburgensi arctissima affinitate junctus, ejusdemque pravae religionis sectator esset, nulla tamen in re visus est cum illo consentire: quandoquidem nec verbis, nec opere illum juvit, aut itineris, ne minimum quidem viae spatium, comes esse voluit. Et de Augustano quidem Conventu haec satis: quae cum ad religionis negotium, et ad munus Ludovico Cardinali injunctum pertinerent, non aliena visa sunt ab instituto nostro. Caetera alii, quorum magis id proprium fuerit, persequentur.

Duo jam circiter menses abierant, ex quo Conventus agebatur, cum Scipio, seu aeris inconstantia, (nam frigus saepe summa aestate passus est,) seu vinorum acerbitate, sive etiam immoderato potu, (cogebatur enim crebro apud Germanos illos Principes, Catholicos tamen, epulari, quibuscum servanda necessario erat patria illorum mutuo propinandi consuetudo) in eum incidit morbum, ut aegre, nec sine dolore ducere spiritum posset. Cum vero parum illi profuissent adhibita remedia, tandem medicorum consilio coactus est in Italiam reverti: quod quidem eo magis invitus fecit, quo propior erat Comitiorum exitus. Factum est autem, ut is non minus animo, quam corpore male affectus, iter illud ingrederetur; propterea quod vix biduo ante discessum nuntiatum illi est, Ferdinandum fratrem, dum in quadam equestri pugna perduelles Belgas, et Gallos simul ad moenia usque Gandavi, ubi cum Aurengiae Principe Franciscus Alenconii Dux, Henrici Gallorum Regis frater natu minimus, ab ipsis Belgis ad imperium accitus reperiebatur, nimis animose, ac strenue insequitur, majoris tormenti ictu in sinistro pede percussum ita laborare, ut non jam de pede, cujus usum omnino deploratum esse constaret, sed de ipsius quoque vita ageretur. Vixit ille tamen, Deo

juvante; quantumque illi virium decessit ex eo vulnere, tantum existimationis, atque adeo dignitatis accessit. Neque enim ita multo post Alexandri Farnesii Parmensium Principis, penes quem totius belli summa erat, humanitate, ac judicio ex turmae equitum Ductore universae Germanorum peditum legionis, quam Regimen vocant, Tribunus est factus: quod munus tum valde honorificum, Italo praesertim homini, tum maxime fructuosum, atque utile existimatur. Profectus igitur Augusta Scipio, duodecimo die ad Sanctum Martinum oppidum pervenit: ubi iterum medicorum curae se commisit. Verum non tam eorum opera, quam aeris mutatione, ac caeli patrii salubritate, si minus ad pristinam rediit valetudinem, eam certe sensit morbi remissionem, ut post dies aliquot, non expectato Madrucii Cardinalis, qui jam Tridenti constiterat, adventu; ne hiemis incommoda nondum firmo corpore subire cogeretur, Romam repetere constituerit; incertus quidem, an tertium nova sibi, ac validiora essent conquirenda remedia; certus tamen, ni maxima urgeret necessitas, quod et quidam medicae artis periti suadebant, nullam insuetam instituere curationem. Cessit autem res e sententia: nam Romae in dies magis ac magis convalescens, pristinas tandem di-

vino beneficio recepit vires. Haec inter incessit annus octogesimus tertius, cujus initio, auctore Sanctissimo viro Carolo Borromaeo Cardinali, institutus est Romae celebris Coetus hominum nobilium, qui ex omni natione Cisalpina delecti in Aede Sancti Ambrosii festis diebus pios sermones ad populum per vices haberent, non tamen e suggestu. In eum Coetum inter primos adlectus Scipio integrum biennium incredibili sua cum voluptate in divino explicando verbo se exercuit. Per idem tempus mira, atque inaudita fere ante hac Gonzagiae familiae accidit res. Nam cum Guillelmus comperisset, Vincentium filium multorum mensium intervallo Margaritam Farnesiam sibi desponsatam deflorare nondum potuisse, id adolescentulae corporis vitio (quod postea re ipsa comprobatum est) evenire ratus, ut erat ingenio vehemens, prolisque cupidissimus, rem illico Octavio Parmensium Duci patefacit, enixeque ab eo contendit, ut huic malo quam citissime, et quam commodissime fieri possit, occurratur: neque ita multo post Margaritam ipsam a Ranutio fratre, lectissimo adolescente, ad avum deducendam curavit. Res diu multumque agitata: cum ex parte Parmensium non deessent, qui Vincentii imbecillitati impedimentum adscriberent. Tandem cum unius Summi

Pontificis auctoritate negotium confici posse videretur, Gregorius rem totam Carolo Borromaeo Cardinali, summae, uti memoravimus, sanctitatis viro, Romae per eos dies forte Mediolanum revertenti cognoscendam tradidit. Qui, adhibitis utriusque sexus peritis, in eam denique venit sententiam, ut pronuntiaret; Margaritam adeo arctis, et callosis esse muliebribus, ut viri congressum haudquaquam admitteret. Ita actum de matrimonii dissolutione, aegreque post multa a Margarita sui sponsi amantissima impetratum est, ut ad sanctimonialium vitam transiret. Id fuit prid. Kal. Novembris Anno MDLXXXIII. Cum igitur Vincentius iterum esset sine uxore, de novo matrimonio cum Eleonora Francisci Magni Etruriae Duci majore natu filia contrahendo agi coeptum est: neque ita multo post nuptiae, affinitatis vinculum solvente Pontifice, Florentiae primo, deinde Mantuae, fratris filiam eo usque assectante Ferdinando Medice Cardinale, honorificentissime celebratae sunt.

Scipionem interim in Urbe commorantem magnum paullatim aulicae vitae incesserat taedium: quippe, excepta illa sermonum exercitatione, occupationibus levissimi momenti reliquum tempus undique circumseptus, non satis sibi videbatur posse

vel in animae suae agro, vel in doctrinarum studiis colendis proficere. Praeterea Dei beneficio vanitatis rerum humanarum aliqua saltem ex parte gnarus, uti honores valde moderate, ita privatam vitam, ab omnique aut ambitionis, aut curarum inanium strepitu alienam avide expetebat. Coepit igitur flagrantissimo, ac majore in dies desiderio Patavium cogitare; qua in Urbe nihil judicio suo desiderabatur ad vitam honeste, ac tranquille traducendam. Caeterum huic desiderio duo maxime adversabantur; alterum, quod, fortunae bonis tenuiter, atque anguste satis, (si generis claritudinem consideres) instructus, immani totius rei familiaris transferendae impendio deterrebatur; alterum, quo multo magis commovebatur, quod magnopere formidaret, ne, si discederet, aulicis hominibus aliorum facta saepe in deteriorem sensum trahentibus, non quietis, et honestissimi otii cupiditate illectus, sed summa honorum desperatione depulsus abire videretur. His cogitationibus diu agitatus, quo utrique simul incommodo, quantum in se erat, occurreret, decrevit, cum primum daretur occasio, ita Roma discedere, ut lateret omnes suum non redeundi consilium. Ubi vero jam annum (modo vita superesset) apud suos esset commoratus, tum Patavium, seu verae,

seu simulatae valetudinis causa, vel quovis alio nomine se transferre, et paullatim ab Urbe Roma supellectilem omnem eo transmittendam curare. Atqui verissimum est illud, vana esse hominum consilia, si divinae quoquo modo voluntati repugnent. Jam inierat annus MDLXXXV. quo anno videbatur sibi Scipio commodissimam nactus occasionem Cisalpinam Galliam, quo diximus animo, repetendi; quandoquidem Medicorum consilio cogebatur ad curandum morbum, quo laborabat ex renibus, Lucenses adire aquas, quo ex loco facilior, ac tutior, ut mediis caloribus, in patriam progressus, quam Romam esset reditus; cum certior quodam die ab amico factus, Gregorium Pontificem eo ipso die ad Rodulphum Caesarem litteras dare, quibus pollicebatur, brevi se illius rogatu in Cardinalium ordinem Georgium Drazcovitium, Archiepiscopum olim Quinqueecclesiensem, postea Zagabriensem, tunc vero Colocensem, cooptaturum; id nuntii cum nonnullis aliis, quod saepissime, ita rogatus, facere consueverat, ubi quid non vulgare accidisset, ad Guillelmum Ducem per litteras perferendum curavit. Ad haec autem illius jussu respondens Fridericus Cataneus antiquus ipsius, ut alias memoravimus, ac summe carus familiaris, in eam scripsit sententiam, ut diceret; quan-

do ita res se haberet , ut Pontifex novam animo Cardinalium ordinationem agitaret , cupere Guillelmum scire, ecquam de se ipso spem Scipio concepisset? nam si ille id speraret , maximam ex eo voluptatem Ducem percepturum; sin minus, videret Scipio , utrum ipsius opera alicui sibi usui esse posset, eaque fidenter, ac pro libito uteretur. His praeter omnem spem , et expectationem auditis Scipio , incertum majore ne laetitia , an admiratione affectus fuerit. Admirari quidem satis non poterat, hominem suopte ingenio durum , ac difficilem , quique ipsius non fortunis modo , sed honori , ac quodammodo vitae ipsi insidiatus aliquando fuerat , ita sui ipsius, ac praeteritarum offensionum fuisse oblitum , ut eundem,nullius praesertim adductus precibus,ad tam sublimem gradum evehi vellet : laetabatur autem, supra quam dici possit,non tam se nihil minus cogitantem in spem tanti honoris vocari ; cum alioquin doleret , hujusmodi officiis animi sui tranquillitatem, vitaeque ab aulica consuetudine semotae desiderium impediri ; quam quaecumque ab se in Guillelmum Ducem superioribus annis essent acta ab eodemmet , qui ea tantopere incusaverat , ita tandem comprobari , ut nullum majus , aut certius testimonium desiderari posset. Et hoc quidem tanti

fecit Scipio, ut nihil in omni vita accidere sibi aut jucundius, aut magis honorificum posse arbitratus fuerit, etiam si idipsum, quod curandum Guillelmus suscipiebat, re ipsa eveniret. Cum igitur respondendum sibi esset ad interrogata, ne aut sponte oblatum patrocinium aspernaretur, aut conscientiam suam in ambiendis ecclesiasticis honoribus aliquo pacto inquinaret, tali temperamento usus est. Scripsit, eo se animo esse, ut non modo nihil ejusmodi peteret, sed ne speraret quidem. Nam cur peteret eos honores, quibus si se dignum arbitraretur, non effugeret maximum arrogantiae crimen? Quomodo rursum speraret, cum optime sciret, omnem irritam, atque inanem futuram spem, quae Guillelmi Ducis ope, ac praesidio non niteretur? Quod autem ille tam humaniter studium suum sibi deferret, id ab se maximi beneficii loco aestimari, ut nihil praeterea optandum sibi in hac vita esset. Quamobrem statueret ipse secum, quid sibimet majori aut decori, aut utilitati, aut etiam voluptati esset futurum, idque de Scipione decerneret: se enim in quocumque vitae statu aeque curaturum, ut omnes intelligerent, neminem, sibi vel observantia, vel fide erga beneficentissimum Principem posse praeferri. Huic responso non acquievit Guillelmus: rescripsit enim;

in eo Scipionis rem agi: quare debere illum, quid ab se fieri vellet, aperte indicare. Tunc Scipio, ne cogeretur aut se ipsum loquendo, aut Guillelmum tacendo laedere, scripsit ad eundem; quando is ita juberet, se mandato audientem futurum; non ante tamen, quam tempus ostenderet, quid sibi a tanto viro decore simul, et opportune deposcendum esset. His ultro, citroque habitis, interquievit aliquamdiu concertatio. Cum vero eo loco res esset, ut jam videretur Scipio eam diutius non posse protrahere, ecce tibi, praeter omnium opinionem, Gregorius Pontifex moritur IV. Id. Aprilis anno Pontificatus sui XIII. qui quidem Pontificatus, uti tempore diuturnus, ita multis a Gregorio praeclare actis fuit valde insignis. Eo vita functo, Cardinales ipso Sanctissimae Resurrectionis festo inierunt Conclave: unde quarto post die egressi sunt, Pontifice salutato Felice Peretto de Montealto Cardinali, e Franciscana familia, quae Conventualis dicitur; illo ipso videlicet, quem Scipio Pontificem futurum, et Sixti V. sumpturum esse nomen haud inani conjectura saepissime praedixerat. Tum vero arbitratus Scipio, commode, ac sine ulla vel ambitus, vel arrogantiae nota, posse se Guillelmi voluntati satisfacere, litteras ad eum dedit, quibus novi Pontificis electio-

nem gratulatus, (de ea enim Guillelmus multa, atque insueta dederat laetitiae signa,) ad illud tandem devenit, ut diceret; nullam sibi hactenus oblatam esse occasionem expetendae operae, quam ille ab se exigi jussisset; deinceps vero commodiorem hac nullam futuram posse expectari. Cum enim Sixtus ad Ecclesiae gubernacula nuper vocatus fuisset, maxime referre, si inter prima officia admoneretur, quo gratiae loco Scipionem haberet Guillelmus: quare rogatum eum velle, ut hoc unum Sixto, cum primum ex suis aliquem ad eum mitteret, significandum curaret. Guillelmus et petititionem libenti animo accepit, et petenti cumulate satisfecit. Nam cum ad Urbem legatum decrevisset Carolum Gonzagam Sigismundi filium, id praecipue illi in mandatis dedit, ut Scipionem suis verbis, non modo propinquum summe carum Pontifici testaretur, sed eidem etiam ad Cardinalatus honorem diligentissime commendaret. Sixtus, cum ad caetera omnia benigne, tum ad hoc hilari admodum vultu respondit; ita se affectum erga Guillelmum esse, ut nihil illi ab se non esset expectandum: quare bono illum esse animo jubere: nam primo quoque tempore daturum se illi non obscura benevolentiae signa, cumque ad Cardinalatum evecturum, quem tunc maxime cupere Guillelmus significasset.

Dum haec agerentur, Scipio certior per nuntium factus, Ludovicum Gonzagam Ducem Nivernensem duabus vectum Genuensis Reip. triremibus Massilia Labionem appulisse, inde (ut credebatur) valetudinis causa ad balnea Lucensia profecturum, egit illius voluntate cum Michaele Cardinali Alexandrino, quem Sixtus totius Ecclesiasticae ditionis administrationi praefecerat, ut Pontifex ipsius suasu Ludovicum Romam invitaret. Qua re impetrata, cum nondum satis sibi videretur Sixtus instructam habere familiam, id negotii, proponente Michaele, ipsi Scipioni demandatum est: qui, adhibita celeritate, Florentiam primo, deinde Pisas mature contendit. Perbelle autem accidit, ut non ipso solum die, sed eadem ipsa hora Ludovicus eodem appelleret. Cui cum Scipio Sixti mandata exposuisset, duplici nomine ab illo est perjucunde, ac peramanter exceptus. Pisis ergo biduum moratus Ludovicus Florentiam venit, ubi Francisci Magni Etruriae Ducis omnia in illum, et honoris, et amoris officia constiterunt: neque ibi solum, sed et in aliis omnibus illius ditionis locis tum hospitio, tum rebus ad victum pertinentibus laute satis, ac splendide tractatus est. Ludovici in Italiam adventus non adsimulata, sed vera causa ea fuit, quod cum omnes fere Galliae regni proceres catholici foe-

dus inter se percussissent, manumque (ut dicitur) sibi mutuo dedissent, nunquam passuros se, ut, decedente sine liberis Henrico Rege, Henricus Rex Navarrae, aut alius quantumvis sanguine ipsi junctus, qui Catholicam non profiteretur fidem, ad illius Regni gubernacula assumeretur; ne, quod verae Religionis tuendae causa ab ipsis fiebat, id perfidiae, aut dominandi cupiditati a quoquam adscribi posset, Gregorium Pontificem ea de re consuluerunt: a quo, non quidem scripto, sed interprete religioso viro, cui id negotii demandatum erat, Claudio Matthaejo Gallo, tum omni fidelitatis vinculo soluti, tum summopere in sententia confirmati fuere. Sed cum multi non deessent, qui interprete non contenti, parum pietati, atque existimationi consultum putarent, nisi Pontificis in ea re voluntatem scripto testatam haberent, communi omnium consensu Ludovicus delectus est, qui navigaret in Italiam. Is nondum mare ingressus cognovit, Gregorium Pontificem obiisse, eique Sixtum V. suffectum: ad quem tanto sibi majore studio contendendum intelligens, quanto magis verendum erat, ne post Gregorii obitum impetrata ab illo facultas irrita censeretur, omnes itineris moras praecidit. Quoniam tamen id secreto admodum, ac dissimulanter agendum erat, rumorem disseminavit, Italiam se petere,

quo aeger jamdudum ex cruris vulnere balneis Lucensibus suae valetudini mederetur. Hanc igitur ob causam operam dedit, ut Romam a Pontifice accerseretur. Eo cum venisset, in agendis suis, et aliorum Catholicorum Principum Galliae negotiis, maximam non apud Sixtum modo, sed etiam apud Oratorem Hispanum Henricum Olivariae Comitem, qui foederatorum rebus clam favere jussus erat, nonnullosque Cardinales consilii participes, et eos praesertim, qui Sancto Inquisitionis Officio praesidebant, magnam pietatis, ac prudentiae laudem est consequutus. Qua in re dignum fuit animadversione, tres uno, et eodem tempore Principes viros apud Aloisium Estensem Cardinalem diversari, quorum duo Carolus Vandemontius Cardinalis, et Ludovicus Dux Nivernensis foederis partes sequebantur, tertius vero Franciscus Giojosa Cardinalis una cum Aloisio pro HenricoRege hujusmodi foedus aversante sentiebat. Quod in Aloisio eo mirabilius videbatur, quo arctior illi cum Henrico Guisio Duce, ac foederis ejus Principe tum familiaritas, tum sanguinis conjunctio intercedebat: erat enim Dux Aloisii sorore genitus. Itaque sub eodem tecto inter paucos, alioqui amicos, ac necessarios, diversa maximis in rebus, immo contraria vigebant animorum studia. Interim Scipio precibus amicorum ma-

gis, quam proprio consilio adductus, omnem fere cogitationem deposuerat eo anno seu Lucam, seu Mantuam proficisciendi, ne temporum odio potius, quam valetudinis ratione id facere videretur. Cum tamen litteris Friderici Catanei accepisset, Guillelmum Ducem sui demum consilii conscium id vehementer expetere; nihil cunctatus, omnibusque rebus illius obsequio posthabitis, itineri se commisit: quod quidem ingressus est una cum ipso Ludovico Duce, qui, rebus ex sententia Romae confectis, reditum in Galliam instituebat. Venerunt ergo simul Florentiam; unde Ludovicus ad laevam Genuam versus flexit, Scipio vero recta Mantuam petiit: quo quidem et ipse Ludovicus libenter accessisset; sed cum non esset invitatus a Guillelmo fratre, nec voluit illo ire, nec Cisalpinam ferme totam, una praetermissa Mantuae Urbe, percurrere. Pervenit Mantuam Scipio ad III. Kal. Julii; unde illo ipso Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum die ad oppidum Godium accessit vocatus a Guillelmo, qui ibi ob caeli salubritatem assiduus fere erat. Caeterum vix Guillelmus qua in re Scipionis opera uti vellet innuerat, cum, novo adactus consilio, de eo ad Ludovicum mittendo cogitare coepit. Pudebat eum scilicet, germanum ipsius, atque ea nominis celebritate fratrem iter per

Italiam facere, et ab universis ferme ejus provinciae Principibus honore affici, (qui enim hospitio excipere ob locorum intervallum non poterant, ii per litteras, et per legatos eum saltem salutabant, invitabant, comitabantur,) a se autem nullum honoris, aut benevolentiae signum accipere. Praeterea vero nec etiam satis tutum existimabat, Principem, si minus opibus aeque pollentem, auctoritate certe in Galliae Regno, et bellica virtute praestantem, nullo officii genere ab se cultum ex Italia discedere: cum ob ea, quae Ludovicus ad se jura pertinere affirmabat in Ducatum Monteferratensem, posset aliquando non levia sibi inferre incommoda. Quo igitur animum illius placatum redderet, nec tamen ab instituto recederet eum intra ditionem suam non recipiendi, ne (ut dicebat) Henrici Regis odium subiret, opportunum Guillelmo visum est aliquem ad eum fines Mediolanensis agri propediem ingressurum legare, qui tum tarditatem, tum officii genus excusaret. Ad id autem neminem Scipione aptiorem judicavit, quem sciret a Ludovico impense diligi. Scipio, acceptis mandatis, in viam statim se dedit: cui se Pyrrhus frater itineris comitem adjunxit. Cum vero pervenisset Alexandriam, cognovit, Ludovicum Ducem iter unius diei praetergressum: quare citatis

equis eum tandem ultra Astam, non longe ab Augusta Turinorum, est assequutus. Ludovicus venientem videns, quem paucis ante diebus, tanquam nonnisi longo intervallo revisurus, ab se dimiserat, admirari primo; deinde, ubi adventus causam cognovit, laetari, aliquam tandem a Guillelmo fratre erga se amoris significationem esse profectam. Risit tamen hominis timorem; quasi vero Henricus Rex accipere durius posset, si frater fratrem hospitio exciperet; praesertim cum Roma Aloisius Estensis Cardinalis laxiore cognationis vinculo illi junctus, idemque Regni Galliae Protector, nullam ejus rei rationem habuisset. Digressus ab eo Scipio Mantuam revertitur: cumque Guillelmo retulisset placidum Ludovici responsum, quo is videbatur tam acta, quam omissa aequi bonique consulere, gestiens prae laetitia Guillelmus in haec prorupit verba; vere angelus ad nos accessisti: ingentes Deo gratias ago, qui spiritum suum in os tuum immisit.

Agebat tunc Mantuae Guillelmus expectans eodem illo die Japonios Regios illos adolescentes, qui post omnium saeculorum memoriam inaudita legatione, triennii ferme iter emensi, adorandi Summi Pontificis causa cum Regum propinquorum suorum litteris, ex ultimis orbis terrae finibus Romam adve-

nerant, atque in reditu Italiam, visendae provinciae cupidi, peragrabant. Cum vero illorum adventus ultra solis occasum extraheretur, Guillelmus valetudini suae, qua nunquam satis prospera utebatur, consulens noluit eos diutius ad palatii ostia praestolari; sed in penetralia se recipiens occurrere illis suo nomine Scipionem jussit, qui affectam Guillelmi valetudinem excusaret. Ille autem profecto obvios illos habuit ad portam fere Urbis; et, expositis mandatis, in eundem, quo ipsi vehebantur, currum, qui triumphalis instar nullo erat desuper tegumento munitus, jussus est ascendere: obtinuit autem locum in posteriori parte ad Vincentii Principis laevam, qui procul ab Urbe exceptos magno apparatu, et copiosa equitum multitudine stipatus eos deducebat. Quanquam vero de se ipso nihil tunc Scipio dixerat, eum tamen Romae sibi jam de facie notum illico agnoverunt Japonii: quae res varii de rebus urbanis sermonis inter eundum occasionem praebuit. Triduum illi Mantuae morati sunt, nullo non honore, aut oblectatione affecti: quare ita discesserunt, ut egregiam in se Gonzagiorum Principum voluntatem verissime praedicarent. Post illorum discessum coeptum est agi de negotio, cujus gratia Scipionis adventum Guillelmus exoptaverat. Negotium autem

erat hujusmodi. Ludovico, et Pyrrho Joan: Francisci Gonzagae filiis, ejus, qui primus familiae, quae De Gazolo dicta est, cognomentum indidit, tertius fuit, uti initio operis diximus, germanus frater Fridericus, vir egregius, ac bellica laude clarus. Hujus, quod Gallis assidue militasset adversus Caesarem, cujus Imperio universa Gonzagia gens paret, proscripta fuerunt bona omnia, quae possidebat. Possidebat autem oppida quatuor, Bozulum, unde cognomentum ipse acceperat, Riparolum, Sanctum Martinum, et Insulam: quae omnia Carolus V. Imperator Friderico Mantuae Duci dono dedit. Dux vero iis Ludovico Friderici fratri natu maximo, qui stipendia apud Caesarem merebat, liberaliter cessit: ea tamen adjecta conditione, ut, deficiente ipsius prole, ad se, suosve successores eadem redirent. Cum igitur ex universa Ludovici sobole solus superesset Vespasianus ex Aloisio nepos; isque tum propter aetatem jam ingravescentem, tum maxime propter diuturnum, et gravem, quo annis proximis laboraverat, morbum ita viveret, ut vel non diu esset victurus, vel certe nullis ex tertia, cum qua tunc vivebat uxore susceptis liberis: (quem enim ex altera, hoc est Anna Aragona unicum sustulit Aloisium, is jamdudum obierat) Guillelmus, qui forte juribus suis non

admodum fideret, optavit leni transactione, quid sibi ea de re, Vespasiano e vivis sublato, sperandum esset, cognoscere. Ad id autem Scipionis potissimum opera uti voluit, quem tum pacis suopte ingenio amantem, tum sibi recenti beneficio egregie obstrictum sciret. Scipio tametsi validioribus, quam Guillelmi sua, et fratrum jura in ea oppida fundamentis niti noverat; tamen experientia edoctus, in hujusmodi contentionibus inferiores fortuna aut causam obtinere non posse, aut certe, si obtineant, plus multo amittere, quam lucrari; ac timens praeterea, ne impendens cum Guillelmo dissidium difficultatem, quam maximam praevidebat futuram, augeret reliqua consequendi, de quibus ambigi non posset; alacriter quidem provinciam ea de re serio cum fratribus agendi suscepit; eo tamen animo, ut studium Guillelmo obsequendi suum, aut gentis utilitati, aut suae ipsius existimationi nequaquam officeret. Aderant tunc forte domi fratres omnes, uno excepto Francisco Romae in res Franciscanae familiae sibi commissae toto pectore incumbente. Nam Ferdinandus, qui valetudinis, quantum fieri posset, recuperandae causa in Italiam superiore anno venerat, nondum in Belgium erat regressus; Julius vero Caesar et sibi ipsi vivendi, et nuptias contrahendi de-

siderio allectus, quod ad id tempus caeteri fratres neglexerant, Caesaris famulatui se se omnino fere subduxerat: itaque coram agi cum iis, et commode potuit. Multa in ea tractatione ultro, citroque habita, quae hic recensere supervacaneum fuerit. Satis sit, convenisse inter partes, ut fratres loco Bozuli, et Riparoli, quae oppida caeteris eorum ditionis oppidis adhaerent, (nam duorum reliquorum nulla penitus habita est ratio; adeo infirma erant super iis Guillelmi jura) si quid humani Vespasiano accidisset, unicum Rotingum oppidum Duci attribuerent: quod et opulentius utrovis illorum, et Mantuanae ditioni, atque adeo ipsi urbi finitimum esset. Jamque eo deductum erat negotium, ut syngrapha tantum communi consensu subscripta deesse videretur, cum Guillelmus ad eas, quas probaverat conditiones, ut erat acri, et inexplebili ingenio, alias identidem, atque alias suo commodo adjungi cupiens, fratrum animos, quibus ea solertia jam in taedium venerat, in magnam haesitationem conjecit: a qua dum expedire se contendunt, ecce tibi litterae a Joan: Vincentio Gonzaga Cardinali, quibus Sixti Pontificis jussu Scipio Romam vocatur: quo factum est, ut omnis illa tractatio evanesceret. Attamen cum Scipionis fidem, ac diligentiam nulla in re Guillelmus

desiderasset, non modo suae in illum benevolentiae nihil imminuit, sed multo magis etiam, quam antea ad amplectendum illum, et ornandum incensus est.

Reverso Romam Scipioni nihil Pontifex dixit, nisi; accersitum illum ab se fuisse bonam, atque honorificam ob causam: in qua exploranda Scipio dum totus est, in proximo post ejus adventum Senatu inscium illum Pontifex ipse de improviso Patriarcham Herosolymitanum renuntiat [26]. Hic honor per se magnus, major etiam duas ob causas aestimari debuit: primum, quod, cum locus ille nondum vacaret, quo minus gravate eo cederet Joan: Antonius Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum, multorum jam annorum Patriarcha, mille aureorum annuam illi pensionem attribuit: deinde, quod, cum lege lata eodem in consistorio paullo ante Pontifex statuisset, omnes, quicumque vel in posterum, vel illo ipso die ad pastoralem curam promoverentur, eorum officiorum jacturam fecisse censeri, quae venalia dicuntur in curia, Scipionem, qui praeter Secretariatum Apostolicum alia quatuor ejusmodi possidebat officia, ne graviore afficeretur incommodo, ea solutum lege esse voluit: quamvis postea duo ex iis, sed quae minimi essent momenti, vacare pronuntiaverit, ne tali exemplo iis, qui proxime in Episcopos electi sunt,

legi parere diutius recusarent. Illud etiam accessit, quod tanto applausu, et tam unanimi totius Sacri Collegii consensu excepta est vox de Scipione Patriarcha designato, ut illud unum instar multorum beneficiorum fuerit. Erat is dies xxiii. Septembris: inde Nonis Octobris, qui dies S. Francisci natalis est, rite est consecratus ab Innico de Aragona Cardinali, assistentibus Henrico Cajetano Patriarcha Alexandrino, qui mense Decembri ejusdem anni cum aliis septem ad Cardinalatum est evectus, et Annibale de Capua Archiepiscopo Neapolitano: paullo vero post petito de more pallio, illud de Aloisii Estensis Cardinalis, tanquam primi Diaconi, manibus accepit. His ita peractis, nemini dubium fuit, quin Pontifex statuisset Scipionem ad aliquem ex Christianis Principibus legare: eratque totius curiae constans opinio, ex ipsiusmet Sixti verbis exorta, iturum illum vel ad Rodulphum Caesarem, vel ad Stephanum Poloniae Regem, quorum ab utroque non solum ipse satis cupide expectabatur, sed etiam ab altero illorum saepe rogatus est Pontifex, ut eum praecipue ad se mitteret: tamen quidquid in causa fuerit, nihil, ita Deo decernente, actum est. Inter haec Sixtus ordinationem habuit, [27] quam diximus, in qua, cum praeter Guillelmi spem nulla Scipionis

habita fuisset ratio, petere ille denuo, instare, urgere; nullam denique aut scribendi, aut quempiam ad Pontificem mittendi occasionem praetermittere, quin ea de re cum ipso sedulo, ac diligenter ageret. Cui Pontifex humanissime semper respondit, indicans non obscure, ad id propenso se esse animo; verum oportere ex parte Ducis aliquid fieri, unde Scipio illum posset sustinere honoris gradum: scire enim se, quam angusta illi res sit, quantaque inopia sit laboraturus, si illi praeterea (quod evenire necessarium est, ubi adlegatur in Senatum) reliqua adimantur officia. Neque vero a se expectandum, ut rem illius augeat. Nam et plerisque aliis summa in paupertate constitutis opem ipse ferre adigebatur, et non esse id in more positum, ut, quos Romani Pontifices in alicujus Principis gratiam Cardinalatu ornassent, iisdem opes, unde familiam alant, elargirentur. Haec autem Sixti voluntas, quanquam disertis verbis crebro demonstrata, procuratorum tamen culpa sero ad Guillelmi notitiam delata, diu effectu caruit. Cum vero ad extremum mense Augusto sequentis anni de ea certior Guillelmus factus fuisset, illico jussit suo nomine promitti Pontifici, daturum Scipioni se singulis annis, ex quo tempore Cardinalatum adeptus esset, tria nummum aureorum millia. Cui quidem promisso visus est Pontifex acquiescere.

Appetente tamen ordinationis tempore, quod more majorum intra dies jejunii mensis Decembris, lege super ea re lata, in futurum perpetuo esse voluit, cum Guillelmi nomine Scipio in memoriam revocaretur, dixit Pontifex; nos quidem parati sumus promissum solvere; sed nihil adhuc actum videmus ex parte Guillelmi: faciat ille, et nos faciemus. Quo responso cognito, Guillelmus misit continuo schedulam, qua tria illa aureorum millia pensionis titulo Scipioni decerneret, imposita Praeposituræ S. Benedicti, quae est de jure sui patronatus, accedente ad id Joan: Vincentii Cardinalis Praepositi consensu: qui quidem Joan: Vincentius incredibili humanitate nihil non fecit, quo Scipio ad eum honoris gradum ascenderet. Missa autem priori hac schedula, veritus Guillelmus, ne Pontifici, quod postea accidit, minus probaretur hujusmodi attributio; propterea quod idem vectigal concessu Gregorii decessoris attributum in decem annos fuerat extructioni domus capitularis ecclesiae S. Barbarae, quae ecclesia erat Guillelmo in deliciis; proximo tabellario misit et alteram, qua eandem annui proventus summam Scipioni deferret e suomet fisco quotannis pendendam. Verum postrema haec, quae nullam aliam admittebat, passa est temporis difficultatem: dixit enim Pontifex, sero nimis eam fuisse allatam, seque jam or-


dinandorum numerum apud se constituisse. Itaque eo quoque anno Guillelmum frustrata est hujusmodi spes. Qua ex re tantum abest, ut Scipio molestiam ullam aut caperet, aut prae se ferret, ut potius universa curia admirata sit hominis constantiam, atque animi firmitatem. Quin et Pontifex ipse illius hilaritatem tum propriis videns oculis, tum auribus ex aliorum sermonibus excipiens plurimum laetatus dixit, eo nomine non minimam factam esse accessionem benevolentiae in Scipionem suae. Multa vero praeterea addidit, quibus pro certo pollicitus est, se proxima sequenti ordinatione Scipionem adlecturum, Scipioni ipsi Pontificis verba illius jussu referente Hieronymo Rusticucio Cardinale, qui illi erat a secretis [28]. Qua in re, ut in aliis multis, admirari est providentiam divini consilii, simulque rerum humanarum infirmitatem, atque inconstantiam. Nam paucis post mensibus varias ob causas id inter Sixtum, et Guillelmum ortum est dissidium, ut credibile omnino sit, ne parva quidem in re Pontificem fuisse Duci gratificaturum. At grave, et inopinatum incommodum, praesenti quidem ope, sed ingrata, atque acerba, sustulit subitus Guillelmi excessus, qui mense Augusto tenuissima in speciem, atque intermittenti febre correptus septimo die expiravit. Vincentius enim filius non minus propen-

sae erga Scipionem voluntatis, quam paterni haeres imperii, tanto cum ardore susceptam a patre provinciam urgere institit, ut Pontifex, qui juvenem omnibus et animi, et corporis laudibus ornatissimum singulari quadam prosequebatur benevolentia, jam fortasse abjectam de Scipione ornando cogitationem resumpserit. Ergo, accedente novae ordinationis tempore, Scipionem, nulla amplius interposita difficultate, non modo Cardinalem creavit, sed et principem illustris promotionis esse voluit [29]. In ea enim, praeter ipsum, qui ratione Patriarchatus primum locum obtinuit, creati fuerunt Antonius Saulius Archiepiscopus Genuensis, vir prudens, et magnis in rebus versatus, quique pro Sede Apostolica nonnullis legationibus cum laude perfunctus fuerat: Evangelista Pallotus, quem humili loco natum antiqua in Pontificem obsequia, praeclaraque fides, et non vulgaris eruditio Datarium primo, tum Consentiae Archiepiscopum intra breve admodum tempus Urbi ostenderant: Petrus Gondius, Italus ille quidem, sed qui ab Henrico Gallorum Rege Episcopatu Parisiensi jam dudum, nuper vero dignus habitus fuerat, quem ad Cardinalatum evehendum curaret: Stephanus Bonuccius Episcopus Arretinus, summa innocentia, ac probitate vir: Joannes Mendozza non minus virtute, ac morum suavitate clarus,

quam genere, et utriusque laudis merito a Philippo Rege Pontifici commendatus. Et hi quidem sex fuerunt ex ordine Presbyterorum: quibus additi sunt duo tantum Diaconi, Ugo Loubens Magnus Ordinis S. Joannis Hierosolymitani Magister, quem satis laudat judicium de eo a sui ordinis militibus factum: et Fridericus Borromaeus magni illius Caroli Cardinalis jam vita functi patruelis, et alumnus longe dignissimus, ut qui in ipsa paene adolescentia (agebat enim tunc vigesimum secundum aetatis annum) ea jam doctrina, morum gravitate, et, quod majus est, integritate vitae, atque excellenti in Deum pietate floreret, ut cum optimo quoque ex senioribus jure conferri posset. Hasce igitur ob causas singulorum probata est electio; sed praecipuus in Scipionem favor 30. Nam non modo in Urbe, in qua ille viginti totos annos omnibus carus, nulli invisus vixerat, sed omnibus iis in locis, ad quae vel ipse aliquando, vel ejus nomen pervenerat, mira excitata est in omnium animis laetitia. Ita maximo Dei beneficio familia haec a multis, quibus diu pressa est, malorum aerumnis coepit aliquando avitum ad splendorem emergere. Neque vero id unum erga eam extitit divinae clementiae testimonium. Nam eodem ipso anno Franciscus frater, cum, munere Generalis Ministri Romae perfunctus, omnes,

quibus acerrime est oppugnatus , immortali cum sui nominis gloria inimicorum elusisset insidias , atque e vestigio in Coenobium S. Sebastiani , quod est in oppido S. Martino abditus vitam paene caelestem instituisset , rogatu , ac munificentia Philippi Regis, a quo, ob singularem innocentiam, multasque res in ipsius ditione summa cum prudentia, ac pietate gestas, et diligebatur plurimum, et plurimi fiebat , Cephaludensi Ecclesiae, cujus est in Sicilia nobilis administratio, nil tale cogitans est nominatus Episcopus. Superiore vero anno Ferdinandus, cum ad militiam in Belgium revertisset, ab Alexandro Parmensi iterum Legionis Germanicae Tribunus est factus. Nam prior illa , cui praefectus fuerat, quod militibus stipendium non persolveretur, dissoluta jamdudum , ac dissipata diffluxerat. Illud quoque tuendo gentis decori , ac perennitati paratum subsidium, quod Julius Caesar eodem anno octogesimo septimo Romae uxorem duxit Flaminiam ex antiquissima Columnensium familia, eamque initio aestatis secum in Cisalpinam Galliam abduxit : atque ita e tot fratribus novissimo loco natus legitimam tori sociam ad prolem excitandam sibi primus adjunxit.

LIBRI TERTII FINIS.



COMMENTARIORUM LIBER QUARTUS

Qui est ΠΑΡΑ ΛΕΙΠΟΜΕΝΩΝ

AUCTORE JOSEPHO MAROTTO.

HActenus Scipio de rebus suis: de quo, sive is a scribendo destiterit, sive interciderit si quid ab eo scriptum esset [31], nihil reliqui habemus, ex quo possit cognosci, quae deinde per annos sex (tamdiu enim vixit in purpura) ejus vitae ratio fuerit, quae negotia ei commissa, quid nam operae ab eo christianae reipublicae praestitum. Nec vero caeteri, qui

de illorum annorum historia meminere, plura de eodem viro nobis suppeditant, quare minus inopia rerum laboremus. Nam, si nonnulla excipiantur, quae ex tabulariis familiae Gonzagae deprompta protulerunt Irenaeus Affò, Petrus Antonius Serassius, Hieronymus Tiraboschius, viri doctissimi, iidemque monumentorum saeculi XVI. peritissimi; ac paucula illa, quae ante eos de Scipione scripserunt Alfonsus Ciacconius, Janus Nicius Erytrhaeus, Aloisius Morerius, Georgius Egsius, Hippolytus Marraccius, Antonius Petramellara; adeo monumentis ad eum pertinentibus caremus, ut aegre aliquid inveniatur, quod ad ea, quae ipse de se commentariis suis tradidit, addi possit. Quod quidem mirum videbitur in homine praesertim hujusmodi accidisse, religionis, doctrinae, beneficentiae fama commendatissimo, ac Scriptorum omnium, qui tunc doctrinae laude floruerunt, amico, et patrono. Verum, si quae vices temporum illorum fuerint cognoverimus, facile hujus silentii causam intelligemus. In eos quippe annos illius honos incidit, qui, partim propter crebra Pontificum Maximorum funera, partim propter adversam Scipionis ipsius valetudinem, vix opportunitatem aliquam ei obtulerunt operam reipublicae navandi suam. Siquidem in eo temporis spatio quatuor Pontifices

Maximi demortui sunt, quatuor itidem in demortuorum locum suffecti. Itaque haud exigua horum annorum pars in conclavi comitiis pontificalibus habendis transacta a Scipione fuit; quo quidem tempore vix ab eo fieri potuit, quod memoria dignum putaretur: nisi forte Paulo Floretae credendum esse ducimus, qui in historia, quam virorum illustrium gentis Gonzagae manu scriptam reliquit, hoc memoriae prodidit; Scipionem Montaltio Cardinali, qui eum post Urbani VII. mortem summo studio Pontificem Maximum facere cupiebat, in eamque rem eidem plurima Patrum deferebat suffragia, obstitisse vehementer, neque passum esse, id agi ab illo, ut hujusmodi res in deliberationem vocaretur. Scimus praeterea, eum in comitiis illis, (quod in historia arcana comitiorum eorundem legitur) non semper partibus illorum favisse, qui Pontifices Maximi facti sunt. Minime mirum est igitur, si hujus viri opera haud usi illi fuerint, qui, etsi ejusdem virtutem suspicere deberent, nihil haberent tamen, quare, grati animi causa, ejus opera uterentur. His accessere, quemadmodum dictum est, incommoda invaletudinis, qua, ut Cardinalis est factus, ita laborare incepit, ut Janus Nicius Erythraeus in sua Pinacotheca purpuram, qua Scipio est indutus,

cum Dejanirae dono comparet, quo Hercules consumptus perhibetur. [32] Ab eo enim tempore Scipio et renum morbo tentari, et paene assiduis articulorum doloribus cruciari coeptus, non robur corporis solum, ac dignitatem illam oris, qua mirum in modum commendabatur, sed etiam, quod gravissimum est putandum, paene pedum usum amiserit; ut raro stare per se, ac sine domesticorum auxilio, qui illi semper aderant, progredi vix unquam posset. Extat ad Scipionem epistola a Joan. Baptista Guarinio ejusdem familiarissimo scripta, qua docemur, eum etiam in Conclavi arthritidis doloribus laborasse. Scribit enim Guarinius ad illum, qui solutis comitiis, jam e Conclavi exierat, credere se, eum non Vaticanum carcerem modo, verum etiam compedes, (sic enim podagrae dolores innuit) quibus firmissime tenebatur, una cum carcere reliquisse. [33] Quod igitur conjiciendo assequi possumus, videtur Scipio, toto honoris sui tempore, plus sibi, atque amicis, quam reipublicae vixisse. Neque enim Romae aliquid ei publici muneris impositum reperitur, nisi quod inter Patres Cardinales Episcopis examinandis, eorumque controversiis cognoscendis adlectus est; et Eremitanae Augustinianorum familiae patronus datus. Joannes Antonius Petramellara, ac

Georgius Egsius scribunt, cum a Vincentio Duce Mantuanorum universae Montisferrati provinciae fuisse praepositum, eidemque summa cum laude aliquandiu praefuisse: quippe qui (ut idem Petramellara perhibet) „ cum justitia commixtam humanitatem adhibere solitus, amico quodam benevolentiae vinculo omnium animos sibi devinciebat „. Quod sane honorificum virtutis testimonium multo fit Scipioni honorificentius ex eo, quod is adeo brevi temporis spatio munere illo functus est, ut ostensus magis, quam datus provinciae illi regendae videri possit. Etenim qui pridie nonas junias anni MDXC. munus illud iniisset, idem sextili exeunte ejusdem anni ad Vaticana comitia evocatus, Romae esse debuit, quod Sixtus quintus P. M. mortuus esset. Quae omnia ex commentario quodam Casalensi inedito Hieronymi Bremii scriptoris illius temporis nos comperta habemus; quo in libro solemnis etiam Scipionis ingressus Casale in Urbem principem ad magistratum publice ineundum descriptus legitur. Nec vero absens provinciam illam idem administrasse per Vicarium videtur. Nam ex quo die discessit nulla amplius in illa proposita edicta sunt ejus nomine inscripta: quod omnino fieri oportuisset, si absens eandem tenuis-

set. Praeterea ex eodem Bremii monumento apparet, Marcum Antonium Gonzagam Episcopum Casalensium, a Duce Vincentio statim Scipioni suffectum, Montemferratum decem ipsos menses rexisse; donec Ferdinandus Gonzaga Melficti Princeps novus Casalensibus Praeses ab eodem est datus: ut plane, cum Scipio est profectus, eum vere se magistratu illo abdicasse, ac de provincia decessisse possit judicari. 34

Verum quamvis ille, dum Cardinalis fuit, a publicis muneribus abstinuerit, sive id factum sit propter temporum rationes, sive propterea quod idem valetudine minus commoda uteretur, sive quavis alia de causa; ita tamen in Urbe est versatus, ut dignitate quidem pares aliquos in illa haberet, auctoritate vero, gratia, amore civium unus omnes facile antecederet. Commendabatur siquidem doctrinae laude, studio benefaciendi omnibus mirum in modum ferebatur, amicis officia religiosissime praestabat, integritate erat singulari, religione vero tanta, tantaque in Deum pietate, ut quamvis omnibus ornamentis floreret, hac tamen laude praecipuo quodam modo illustraretur. Ad haec singularis quaedam oris suavitas, dignitasque accedebat, propter quam caeterae etiam virtutes clarius quodammodo

enitere in eo videbantur 35. Quibus animi, corporisque ornamentis ita omnium ordinum benevolentiam sibi conciliabat, ut nemo esset, qui non eum coleret, ac summo amore prosequeretur. Hanc hominis omnium animos sibi virtute sua demerentis imaginem luculento elogio nobis ob oculos paene conspiciendam exhibet Thomas Corraea in libello suo de Elegia, quem Scipioni Cardinali inscribit. Hoc elogium qui legat, paucis lineamentis clarissimum virum prorsus ad vivum expressum videre poterit. Sic enim ille scribit. „ Tua te eximia virtus, praeter alia vitae „ bona, Cardinalis amplissime, ita reddit amabi- „ lem, ut intimis animi sensibus afficiamur, ubi no- „ men audimus tuum; te vero cum intuemur, pa- „ scamur conspectu suavissimo, et ideam absolu- „ tae perfectionis tacite inde deducamus, ubi tu „ omni ornamentorum copia illam re ipsa expressi- „ sti „. Quae ab ingenioso, atque eleganti scriptore non tam ornandi hominis gratia, quam plane ex animo esse prolata, clarius intelligentur, cum caeterorum etiam testimonia suo loco proferemus. Horum siquidem auctoritate, ac consensione patebit, nullam Scipioni laudem esse tributam, quam non singularis ejus virtus promeruerit; illudque simul apparebit, imaginem clarissimi viri, quam Corraea

scriptis suis nobis quodammodo expictam exhibet, nihil ab ea discrepare, quam Scipionis ejusdem caeteri quoque scriptores expressam reliquerunt.

Sed ne, si omnia simul comprehendamus, lateant de eo viro multa, quae si singillatim consideranda proponantur, eximia animi illius ornamenta clarius ob oculos constituere possunt, exponendae a nobis nonnullae ex clarioribus ejusdem virtutibus sunt, quo planius fiat, eum, si minus in publicarum rerum administratione versatus est, omnibus tamen virtutibus, quae ad magnas res bene gerendas requiruntur, claruisse; ac si propter ea, quae a nobis commemorata sunt, gravioribus a negotiis abstinuit, judicio tamen omnium ad difficillima quaeque naviter, sapienterque gerenda aptissimum fuisse judicatum. In quo eo majori studio nobis elaborandum videtur, quia Scipio, qua erat in scribendo modestia, quamvis omnia, quae ad familiae Gonzagae controversias, atque ad suorum cum studiorum, tum honorum, laborumque cursum pertinebant, diligentissime commentariis suis sit persequutus; de iis tamen, quae ad propriorum decorum famam posteritati commendandam faciebant, nihil prorsus attigit. Quae igitur Scipio de se modestiae causa silentio occultanda censuit, ea nos in

medium proferemus : ita ut, si notitia caremus earum rerum, si quae ab eo, dum Cardinalis esset, gestae sunt, habeamus tamen virtutibus ejus commemorandis, quo horum monumentorum jacturam aliquo modo, quoad ejus fieri possit, compensemus.

Atque, ut a doctrina exordiamur, hoc enimvero sine controversia de Scipione dici posse videtur, eum videlicet inter illius aetatis viros sapientissimos floruisse. Neque enim ille in liberalium artium ac disciplinarum studiis tantummodo versatus erat, in iisque celebritatem nominis sibi maximam paraverat; sed, quo erat ingenio, ad multarum linguarum intelligentiam, ad mirificam in oratoria, ac poetica facultate praestantiam, ad singularem historiae universae peritiam, eam etiam graviorum doctrinarum cognitionem adjecerat, ut et juris consultus egregius, et philosophus acer, et excellens theologus haberetur [36]. Scimus sane, cum de colligendis laudibus agitur, quae viris amplissimis sunt tributae, non magnopere credendum elogiis esse, quae scripta inveniuntur, praesertim in libris, qui eorundem nomini dedicati sunt. Obtinuit etenim consuetudo, ut multa de viris amplissimis honoris ergo ad patrocinium captandum

tunc scribantur, quae, nisi gratia paranda esset, fortasse de illis non scriberentur: veruntamen si videamus, plurimos, eosque gravissimos scriptores in hoc universos consentire, ut certas alicujus excellentis viri laudes, tanquam proprias, ac peculiares illius, celebrandas curent; non tam illa a nobis testimonia honoris ergo tributa, quam judicia certissima singularis illorum, atque exploratae virtutis sunt habenda. Atqui nemo ex clarissimis illius aetatis scriptoribus fuit, qui aut Scipioni opera sua inscripserit, aut de eo in suis libris mentionem fecerit, a quo non idem a doctrinae praestantia potissimum fuerit commendatus. Extant testimonia luculentissima, quae Scipionis doctrinae tribuerunt, M. Antonius Muretus, Torquatus Tassus, Joan. Baptista Guarinius, Joan. Franciscus Mussatus, Joan. Petrus Maffeius, Franciscus Bencius, Diomedes Borghesius, Hippolytus Capilupius, Jacobus Pergaminius, Antonius Constantinius, quorum utroque Scipio a secretis usus est, Josephus Castalioneus, Mutius Pansa, Stephanus Sanctinius, Josephus Malatesta, Thomas Corraea, Roscius Ortinius, Julius Capilupius, aliique viri clarissimi, quae qui legat, intelliget, Scipionem omnium doctrinarum laude inter aetatis illius viros principes claruisse. Afferenda hic es-

sent singula, quae a clarissimis hisce viris de hac Scipionis laude memoriae prodita sunt: verum cum plura ex his alio a nobis loco exponi debeant, uno nunc M. Antonii Mureti testimonio contenti erimus: praesertim cum hoc instar omnium esse possit; sive quia a tantae auctoritatis viro, interposita sacramenti religione, est profectum; sive etiam quia tantam Scipionis habet laudem, ut, si caetera omnia de clarissimi viri doctrina, ingenio, virtutibus monumenta intercidérent, ejus tamen memoria uno hoc M. Antonii Mureti judicio clarissima apud omnem posteritatem esset futura. Neque enim satis habuit Muretus Scipionis ornamenta, ingenium, sapientiam caeterasque ejus virtutes mirificis coloribus pingere, amoremque illum suum, quo, propter tam eximias ejus laudes, in eundem rapiebatur, celebrare; verum, ne ii, quibus Scipio ignotus erat, suspicari possent, a se in ejus laudibus commemorandis plus amori, ac consuetudini, quam veritati esse tributum, jurejurando testatus est, se nihil unquam neque verius, neque magis ex animo scripsisse, quam ea, quae de ejusdem virtute scripsit. Sunt enim haec doctissimi scriptoris verba. „ Vere hoc „ dicam, Scipio, cum omnes, qui te norunt, ita „ te ament, ut eorum nemo sit, qui se studio

„ atque observantia tui cedere cuiquam putet, ego
„ tamen mihi videor diuturna, et accurata notatio-
„ ne, et observatione earum rerum, quae te usque
„ eo omnibus amabilem reddunt, singulare quid-
„ dam praeter caeteros πεπονθέναι, Quid est enim,
„ quod ad conciliandas, atque ad devinciendas ho-
„ minum voluntates valeat, quin id in te omni ex
„ parte perfectum reperiatur? Nihil hic de summa
„ gentis vestrae aut nobilitate, aut potentia di-
„ cam, nihil de toto illo genere bonorum, quod
„ ita tuum est, ut et aliorum sit. Alios et ista
„ amatores habent. Ego in te nihil amo, nisi te
„ ipsum; Itaque ut ille Rex potentissimus ex ami-
„ cis suis alium dicebat esse φιλοβασιλέα, alium
„ φιλαλέξανδρον, ita tu alios esse, qui et alia in te
„ ament, me plane ex animo φιλοσκιπίωνα esse tibi
„ persuadeas licet. Ac te ipsum cum dico, ne illam
„ quidem dico et oris, et totius corporis dignita-
„ tem, quae tibi omnium elegantiorum hominum
„ animos primo statim aspectu conciliat, consti-
„ tuens, quoad ejus fieri potest, ante horum ocu-
„ los et ingenium, et mores tuos. Quamvis vere
„ dixit nescio quis poetarum, gratiorem in pulcro
„ corpore esse virtutem: ea tamen est in te verio-
„ rum, ac solidiorum bonorum copia, quae te his

„ secundis , ut ita dixerim , vitae bonis censeri
„ non sinat . Ingenium excellens , et in quo , tan-
„ quam in pingui , ac feraci solo , omnes ingenuas
„ artes ipse facile comprehendas , ut eas non ab
„ aliis accipere , sed ex te ipso parere , ac profer-
„ re videaris . Quo tu usus , ita ut decuit , a Grae-
„ cae , Latinaeque linguae intelligentia , a poetarum,
„ historicorum , rhetorum cognitione ad philoso-
„ phiam , et ad eam , quam ab ineunte aetate tibi
„ proposueras , quaeque nunc in amoribus , ac deli-
„ ciis est , Theologiam ea celeritate properasti , ut
„ quae honoris , ac dignitatis praemia , confecto stu-
„ diorum curriculo , tribui , ac decerni solent , ea
„ tunc tu meritissimo consequutus sis , cum adhuc
„ maturum videri poterat de animo ad illas gravio-
„ res disciplinas adjiciendo cogitare . Atque ut
„ istius generis ingenium nunquam ita esse otio-
„ sum potest , ut omnino nihil agat , quod tibi
„ dabatur a severioribus studiis excepti , ac sub-
„ secivi temporis eo tu , quasi ludibundus , eas
„ artes , in quibus ingenui adolescentes exerceri
„ olim Athenis solebant , ita didicisti , itaque te
„ in eis exercuisti , ut in earum qualibet cum sum-
„ mis artificibus comparari facile possis . Quid
„ ego nunc mores illos tuos plane , ut poetae lo-

„ quuntur, aureos laudem? Potuit ne quisquam „ unquam bonus tecum biduum vivere, quin ut „ sibi totam aetatem tecum exigere liceret optave- „ rit? Ita tu, quod rarissimi exempli est, summam „ integritatem vitae cum summa comitate, ac fa- „ cilitate copulasti. Sed nolo plura de te, ne ipsi „ tibi molestus sim. Equidem cum de scriptis „ meis non magnopere laborare soleam, tamen „ hunc librum praecipue cupio, et celebrari nunc, „ et ad posteros pervenire, ut extet aliquod testi- „ monium judicii de singularibus tuis virtutibus „ mei. In quo ne forte quis eorum, qui te non no- „ runt, (nam de aliis, quibus tu notus es, nihil „ tale metuo) adsentationi, et consuetudini datum „ esse aliquid suspicetur, Deum immortalem te- „ stor, nihil unquam a me verius, magisque ex „ animi mei sententia scriptum esse, quam ea, „ quae de tuis laudibus scripsi „. Extat hoc honorificentissimum Scipionis elogium in ea epistola, qua Muretus orationes suas eidem obtulit anno MDLXI. nimirum cum Scipio paene ab adolescentia excessisset: ut intelligi debeat quanta deinde sapientiae fama, accedentibus subinde annis, is florere debuerit, qui in ea etiam aetate a viro sententia omnium gravissimo tam honorificum ingenii, ac do-

etrinae testimonium demeritus 37 sit. Sed de ea laude, quam Scipio in severioribus disciplinis est assequutus, hoc tantum possumus affirmare; cum scilicet judicio virorum doctissimorum, qui doctrinam ejus cognitam, atque exploratam habebant, sapientissimum fuisse habitum; eundemque, quemadmodum Mutius Pansa in suo opere de Bibliotheca Vaticana scriptum reliquit „ lumen, ac decus cum humanarum, tum divinarum doctrinarum extitisse „. Nam, cum nihil in eo genere a Scipione ipso editum habeamus, standum horum virorum auctoritati est, nec nisi ex aliorum judicio de hac ejus laude nobis licet existimare.

Quod secus de elegantioribus disciplinis, deque iis artibus factum est, quibus ille praecipue est nobilitatus. Nam cum praeclara Scipio litterarum suarum nobis monumenta reliquerit, ea si legamus, dijudicare per nosmet ipsi poterimus, an vere in earum qualibet ita ille excelluerit, ut, quod etiam a Josepho Malatesta, qui paucis caeterorum omnium elogia est complexus, traditum accepimus 38, videretur „ quod in eo genere Scipioni incognitum esset, id „ a nemine nosci posse „. Atque ut a Commentariis hisce initium faciamus, quos nunc Aloisius Valentius Gonzaga Cardinalis, pro eo quo est Vir hic

Amplissimus cum in patriam suam, tum in litteratos viros studio, e tenebris, in quibus tamdiu delituerunt, in lucem vindicat; quamvis Scipio supremam manum minime his adhibuerit; (neque enim eo animo ab illo scripti fuerunt, ut unquam typis palam fierent, atque in hominum lucem emitterentur) nemo tamen erit, modo is paullum de hoc scribendi genere possit judicare, qui, si eos perlegat, statim scriptorem exercitatissimum, et cum singulari quadam ingenii perspicuitate praeditum, tum politioris Latinitatis in primis intelligentem non agnoscat. Praeterquam quod enim plura iis continentur, quae illorum temporum annalibus, atque iis praecipue, qui ad res Mantuanas pertinent, maximam lucem afferre possunt, ita praeterea scripti sunt, ut facilitate quadam, qua fluere videntur, legentium animos capiant, teneant suavitate. Nihil enim in his invitum, nihil coactum offenditur, nihil aut involutum, aut indigestum. Mirifica in rebus difficilibus enarrandis claritas; distinctus partium singularum ordo; accurata, et sine molestia diligens elegantia: quod vero in hujusmodi rerum scriptoribus plurimi faciendum est, res, quae per colloquia transactae exponuntur, ita sunt descriptae, ut sermonibus illis prope interesse videamur: uno verbo, ita hi commen-

tarii scripti sunt, ut usquequaque et auream saeculi illius elegantiam redoleant, et ad puram putam veterum Latinorum accedant venustatem. Itaque, si, pro hac ingenii, ac facultatis nostrae tenuitate, existimare de his nos aliquid possumus, illud minime dubitamus, quin hi, ubi in manus hominum venerint, et omnium litteratorum judicio maxime probandi sint, et cum historiae, tum Latinis litteris magno sint futuri ornamento. Dissimulandum tamen non est, nonnulla in iis inveniri, quae, propterea quia a Scipione properantius fortasse exarata sunt, quam rerum exponendarum difficultas patiebatur, minus exquisita iis, qui delicatioris fastidii sunt, videri fortasse possint. Verum ea et quam paucissima sunt, et cum in iis ipsis, in quibus cultu carent, facilitatem quandam praeseferant, quae non aliunde nisi a summa artis peritia manare potest, habent et ipsa quo commendentur. Etenim, ut egregiorum artificum, ita et excellentium scriptorum hoc omnino proprium esse compertum est, ut quaecumque ab eorum arte profecta sunt, quamvis ea sine studio, ac minus affabre sint elaborata, ita tamen vel in eo ipso, in quo peccare videntur, magistri manum ostendant, ut, qui pari arte non valeat, frustra, omni vel studio adhibito, illorum laudem assequi

conetur . Ac propterea fortasse nos impudentiores videbimur , qui , cum tantum a Scipionis doctrina, atque a scribendi arte distemus, eo temere progressi sumus , ut aureis hisce libris , qui a tantae celebritatis viro tanta elegantia , ac nitore scripti sunt, nostros, qui nihil habent, quo commendari possint, adjunxerimus . Sed parendum omnino fuit Aloisii Valentii Gonzagae, Viri Eminentissimi, auctoritati ; nec recusandum quominus audaciores videremur caeteris, ne minus grati in eum virum diceremur, cui propter eximia ejus merita cum in litteras universas, tum in hos ipsos Scipionis commentarios, quos primus in hanc litterarum celebritatem vocavit, nihil est, quod ab iis, qui hujusmodi studiis dediti sunt, non libentissimo animo tribui debeat [39] .

Sed de Scipionis in Latinis litteris praestantia illud non est hic praetereundum , cum vel in adolescentia sua haud vulgarem sibi in Latine scribendo laudem promeruisse : ut propterea magnopere mirandum non sit, ab eodem, subacti jam ingenii viro, istaec prodiisse , cujus vel adolescentuli scripta, propter singularem elegantiam, in sermonem hominum venerint, et a politioribus illius aetatis ingeniis maximopere fuerint probata . Et quoniam in monumentis hisce colligendis propositum nobis est nihil

temere de viro clarissimo afferre, sed omnia, quae scribuntur, virorum excellentium, qui illis temporibus floruerunt testimoniis, et auctoritate confirmare, ne falsa aliqua laus per nos Scipioni afficta videatur, omittenda a nobis non est Hippolyti Capilupii, viri doctissimi ad Scipionem adolescentulum epistola, cujus testimonio quantum ille in ipsa ferme pueritia Latine scribendi puritate, atque elegantia commendaretur quisque poterit existimare „. Legi episto-
„ lam tuam, quam superioribus diebus ad Illustris-
„ simum Cardinalem (Herculem Gonzagam) dedi-
„ sti, in qua manum, atque ingenium tuum vehe-
„ menter sum admiratus: erat enim scripta litteris
„ tam concinnis, atque apte inter se cohaerentibus,
„ ut ad speciem pulchrior esse non posset; senten-
„ tiis, et verbis tam ornata, ut ex Ciceronis fonte
„ manasse videretur. Me certe delectavit mirum
„ in modum: nam uno tempore ejus lectione oculi,
„ aures, mensque tota tenebatur; teque sum admi-
„ ratus, annos vix sexdecim natum, in hoc scriben-
„ di genere tantum profecisse, ut ad summam ele-
„ gantiam jam accedere nobis videaris. Sed majori
„ etiam afficior admiratione, cum caeteras ingenuas
„ artes, virtutesque tuas animo, et cogitatione com-
„ plector. Tu enim jam cum Latina lingua Grae-

„ cam conjunxisti, sicque in ea versaris, ut utram
„ magis calleas non facile possit dijudicari. In mu-
„ sicis praeterea adeo excellis, ut non solum modu-
„ dulate canas, et omnes vocum inflexiones, nume-
„ rosque optime agnoscas, sed quidquid in hoc gene-
„ re animi causa tuo ingenio perfectum est, ab omni-
„ bus, qui hujus artis non sint imperiti, maximis lau-
„ dibus efferatur. Haec ego dum mecum reputo, in
„ hanc sententiam adducor, te in studiis philosophi-
„ cis, quibus modo te totum tradidisti, aetate prae-
„ sertim in dies tibi judicii plus afferente, incredibiles
„ processus esse facturum. Etenim natura te ita fin-
„ xit, et creavit, ut nihil sit ab ea tanta obscuritate
„ involutum, quo tui ingenii acies penetrare non pos-
„ sit. Hoc profecto rerum causas quantumvis difficiles
„ brevi assequeris, ad quarum notitiam caeteri multis
„ annis, et multo labore vix aspirare possunt.

Praeclarum sane de Scipionis adolescentuli in Latinis litteris tum institutione, tum praestantia testimonium; quod eo pluris nobis faciendum est, quia ab hujusmodi viro est profectum, cujus in scribendo elegantia satis ostendit, qua auctoritate judicium ejus apud nos esse debeat. Haec epistola, quam e schedis tabularii Vaticani Aloisii Valentii Gonzagae Cardinalis cura descriptam Hieronymus Tiraboschius in

opere suo luculentissimo de Italorum doctrina primus omnium vulgavit, ab Hippolyto Capilupio haud ita multis ante annis scripta fuerat, quam Muretus scriberet suam, quam supra attulimus: quorum in epistolis illud licet animadvertere; ita utriusque viri doctissimi de Scipione judicia congruere inter se, ut colligi possit, a neutro eorum nimium solertissimi adolescentis ingenio, ac intelligentiae in eo laudando esse tributum [40]. Nec vero in tanta monumentorum inopia ita rebus omnibus sumus destituti, nihil ut nobis reliquum sit eorum, quae a Scipione in adolescentia scripta fuere. Extat enim Xenophontis liber, qui „ De dictis ac factis memorabilibus Socratis„ inscribitur, ita scite, atque eleganter ab eo Latine redditus, ut nihil supra possit. Ea quippe est ejus libri interpretatio, ut non hic e Graeco in Latinum versus, sed, quod plurimi in interprete faciendum est, origine Latinus videatur. Hasce suas vigiliolas Scipio Herculi Gonzagae Cardinali, propinquo suo, ac patrono, dono misit adolescentulus, studiorum specimen, ac tanquam ingenii sui primitias; addiditque ad eundem epistolam, cum observantiae plenam, tum etiam venustatis. Haec qui leviora putet, profecto non cognoscit quale hoc sit, in homine praesertim adolescente, ita Graece scire, ut Grae-

corum scriptorum mentem assequi penitus legendo possit, ac simul ita Latinam linguam callere, ut commode, atque eleganter, quae Graeca sunt, possit Latina facere: quam facultatem si nos etiam in viris usu, atque aetate exercitatissimis admirari solemus, quanto majori jure in ejus aetatulae interprete admirabimur? Praesertim cum is, ut multum a claris scriptoribus aetate distet, nihil tamen aut Graecorum librorum intelligentia, aut interpretandi peritia distare videatur. Nos certe non modo haec minime contemnenda ducimus, verum etiam tanto majoris habenda, quanto minus ab illa aetate postulanda. Cum igitur nihil sit, ex quo nos planius doceri possimus quantis ornamentis Scipio vel in prima adolescentia claruerit, simulque cognoscere quam vere viri doctissimi de adolescentuli ingenio senserint, et de futura ejusdem in omnibus doctrinis praestantia conjecerint, putavimus ea in primis esse commemoranda [41].

Consequentibus subinde annis, cum jam Scipio aetate adolevisset, constituta Aethereorum Academia, cujus idem in commentariis suis meminit, scriptae ab eo etiam sunt orationes elegantissimae, quae quamvis omnium laudibus exceptae, ac celebratae fuerint, tamen nec typis editae unquam sunt,

neque ad nos pervenerunt. Hoc etiam in scribendi genere singulari quadam Scipionem fuisse facultate illud argumento est, quod Aethereorum Academia, quae ingeniis egregiis abundaret, quemadmodum ea docent, quae ab illis in lucem edita prodierunt, ei potissimum scribendarum orationum provinciam commisit. Erat enim in more illius collegii positum, ut quotiescumque per suffragia eligeretur is, qui Princeps caeteris in collegio praeesset, (quod tertio quoque mense ex iis commentariis factum esse cognovimus,) de laudibus ejus oratio haberetur. Patuit tunc latissimus Scipioni campus, ut non solum voluntati in collegas obsequi posset suae, sed etiam ingenii vires expromere, et eloquentia sua doctissimis viris gratificari. Neque vero orationi materies deesse unquam poterat, cum in Academia illa, tanquam in altero Isocratis ludo, meri tantum principes versarentur [42]. Habemus in carminibus Aethereorum luculentum epigramma Etrusco sermone a Joanne Baptista Guarinio conscriptum, ex quo patet quanto honori sibi duxerit vir ille clarissimus a Scipione fuisse laudatum; simulque quanti ejus eloquentiam idem habendam esse censeret [43]. Utinam extaret etiam laudatio, quam in Scipionem ipsum, cum is Princeps Academiae renunciatus fuit, recitatam

fuisse nescio a quo Stephanus Sanctinius innuit in ea oratione, quam habuit, cum primum, coetus Aetheréorum Kal. Jan: anni MDLXIV. in Scipionis domum conveniens egregia illa ingenii, et doctrinae experimenta palam edere coepit! Haberemus sane non pauca, quae de clarissimo viro proferre possemus, quorum commemoratione cum ornari haec historia nostra, tum innotescere magis ejus virtus posset. Nam quae Sanctinius in oratione sua praedicat, magis ad ipsius Academiae decora, atque ad studium illud, quo Scipio eam constituerat, tuebatur, atque ornabat, quam ad caeteras ejusdem laudes pertinent, quas, ut idem Sanctinius ait, ne in alienam messem irrumpat, ei, qui post se dicturus est, commemorandas relinquit. Haec enim sunt Sanctinii verba.
„ Nec vero haec Academia nostra a sola reipublicae
„ forma dignitatem suscipit, verum etiam maximum
„ ipsi honorem tribuit partium, ex quibus constat, at-
„ que membrorum praestantia. Ex iis namque con-
„ stituta est viris, quorum per se unusquisque unum-
„ quemque conventum exornare valeat; quinimmo ex
„ iis multi adsunt, qui universo etiam populo decus af-
„ ferre possent. Eorum vos nomina non docebo, Au-
„ ditores, oculis enim videtis, animo nostis; quotquot
„ in hoc dignissimo consessu reperiuntur perspe-

„ cti satis propria virtute existunt; et duo hujus urbis „ eruditissimi viri, quibus tanquam duobus firmissi- „ mis axibus orbis hic noster nititur, et qui multis ex „ aliis civitatibus praestantissimi adolescentes, maxi- „ meque ex Veneta nobilitate hunc in coetum conve- „ nerunt. Inter quos quantum unus hic Scipio emi- „ neat, quantum ipsis splendorem afferat, quantum „ tribuat auctoritatis, et ipsi magna cum laetitia sen- „ tiunt, et vos non sine magna admiratione conspici- „ tis. Magnus itaque honos, magna dignitas hujus „ Collegii est, magna exercitationis nostrae non mo- „ do utilitas, sed etiam honestas. „ Et paucis interje- ctis, cum omnia haec Scipionis studio, atque auctori- tati referenda esse praedicat, haec habet „ Quod si „ effectae res cunctae, quotquot conspiciuntur, suam „ in causam, atque principium referri debent; si quae- „ cumque a Deo Optimo Maximo pendent in ipsummet „ Deum instinctu quodam admirabili revertuntur; ae- „ quissimum profecto est, Academici, ut et nos natu- „ rae legibus edocti, aliarum rerum ordinem sequentes, „ ad illum tandem simul unaque convertamur, qui hu- „ jus nostrae exercitationis auctor, tantae nobis viam „ utilitatis aperuit, tanti honoris occasionem praebuit, „ tantae felicitatis materiam proposuit; atque ab ipso „ fructum omnem agnoscentes, grati eidem agamus

„ gratias, illi animos nostros, illi nosmetipsos sacre-
„ mus. De te loquor, ad te me verto, Scipio, hac qui-
„ dem lingua, his quidem oculis, sed universae Aca-
„ demiae tuae nomine, Academiae inquam tuae: quae
„ enim res magis tua esse potest, quam ea, quae per
„ te unum constituta, in te uno fundetur, te uno nita-
„ tur? Nos omnes, Scipio, te auctore, te duce et glo-
„ riari possumus, et debemus; sed tamen nec glorian-
„ dum minus est ipsi tibi, qui dum Academiam nobis
„ constituisti, immortale, ut spero, nomini tuo tem-
„ plum constituisti; qui dum praeclarum hoc animi tui
„ indicium ostendisti, ejus nobilitate, ac splendore om-
„ nium corda inflammasti. Tu posthac omnium nostra-
„ rum laudum scopus eris, in te unum quidquid pote-
„ runt ingenia nostra, conferetur. De hoc ego multa
„ magna, et vera praedicare possem, Auditores: si
„ enim quisquam hujus virtutes novit, is ego sum,
„ qui non modo nova hac mea consuetudine, sed ab
„ ineunte usque aetate communi in patria eas non tam
„ ex me, quam ex aliorum de eo concepta spe, quam
„ ex omnium admiratione, laudibusque perspexi. Ve-
„ rum stulte nimis rauca, diffissaque voce honores il-
„ los aggrederer, quos clariori vehementiorique spi-
„ ritu prosequi debet is, qui post me est dicturus.
Quae postrema verba declarant, alterum Scipionis

elogium fuisse recitatum, quo monumento, quod typis editum nunquam fuit, nos caremus.

Hanc oratoriae facultatis laudem mirabitur in Scipione nemo, qui sciat, eum, nullo etiam artis, atque industriae subsidio adhibito, sed suapte natura ita disertum, atque eloquentem fuisse, ut non solum, quod de Nestore illo Homerico relatum accepimus, melle dulcior ex ejus ore sermo flueret, verum etiam nulla esse posset efficacior oratio. Haec sane facultas ita propria Scipionis fuit, ut Josephus Malatesta in suo dialogo hanc in praecipuis ejus ornamentis ponat [44], et Torquatus Tassus, quicum potissimum diuturnior, ut mox dicemus, Scipioni usus, ac consuetudo ab adolescentia fuit, in epistolis suis neget, tanta se unquam voluptate cujuspiam vel disertissimi viri sermonem audisse, quanta semper Scipionem loquentem audiebat [45]. Nec profecto abesse a dicto veritas potest. Nam cum mirifica illa ubertas, quam Scipio a natura acceperat, plurimarum rerum notitia aleretur, quam homo ingenio eximio, ac memoria tenacissima praestans assiduo omnium doctrinarum, atque artium studio, atque investigatione sibi paraverat, plena succi erat, atque utilitatis; ex quo fiebat, ut in ejus sermone subesset aliquid semper, quare gratissimus omnibus esset, neque audiendi

cupiditatem eximeret unquam, nedum nullam faceret satietatem. Hac tam mirifica sermonis, atque eloquentiae vi quantum ille efficere valeret cum multa ostendunt, tum illa duo potissimum, quae nos in ejusdem commentariis legimus; alterum cum coram Maximiliano Caesare Dynastiae jura, quae ad familiam suam pertinebant, contra Mantuanorum Ducis vim, atque potentiam, a quo tunc tentabantur, nullius patrocinio implorato, solus per se ipse defendit; alterum cum fratres suos mutuis inter se odiis adeo flagrantes, ut, sumptis jam armis, tantum a dimicatione abstinerent, restinctis discordiarum incendiis, atque omni prorsus controversiarum causa sublata, quod vix sperari posse videbatur, ex acerbissimis inimicitiis ad pristinam concordiam, atque consuetudinem revocavit. Quod quidem ille, quamvis tantum negotii, atque difficultatis haberet, ut nullius vel amplissimi viri auctoritate explicari posse videretur, sola tamen orationis suae vi, atque efficacitate expedivit, atque composuit [46]. Ex quibus non magis illum eloquentia plurimum valuisse docemur, quam ad difficillima quaeque bene, feliciterque gerenda ingenio fuisse in primis accomodato.

Haec tam praeclara eloquentiae ornamenta singularis illa laus auxit, qua is in Poesi floruit, qua in

facultate si dicemus, ita eum excelluisse, ut cum poetarum principibus possit comparari, nihil profecto abhorrebimus a judicio virorum doctissimorum, qui hoc ipsum de Scipione ante nos testati sunt. Quorum quidem testificatio, etsi ducatur a nobis tanti, quanti par est ab omnibus fieri gravissimorum virorum auctoritatem, tamen si ea careremus non magnopere esset laborandum. Etenim, nisi forte sensu omni penitus expertes sumus, versus, qui a Scipione scripti sunt, tantam habent pulchritudinem, ut ea per se statim in oculos legentium incurrat, quin ullius auctoritate opus sit, ut de eorum venustate, ac splendore possimus judicare. Cum enim Scipio, qua erat intelligentiae vi, ut semper optima sequeretur, Franciscum Petrarcam, principem illum lyricae poeseos magistrum, sibi imitandum proposuisset, ita eum expressit, ac retulit, nihil ut ab illius praestantia distare videatur. Quod si qua in re a Petrarca differt, in hoc tantum differt, quod plura ab illo scripta fuere, ab hoc pauciora. Haec inter utriusque carmina cujusdam quasi cognationis opinio non ita nostra est, ut non eorum etiam futura sit, qui utriusque poetae scripta conferant inter se, et non illorum etiam fuerit, (quod ex Diomede Borghesio cognoscimus) [47] qui illa aetate cum Scipione vi-

xerunt, inter quos hoc adeo percrebuerat, ut ab illis Scipio propter hanc tantam cum Petrarca scribendi affinitatem, ac similitudinem Petrarca redivivus vocitaretur. Cujus sane viri laudem ita esse aemulatum, quanti ingenii, atque artis sit, illi probe norunt, qui intelligunt quantam habeat difficultatem ad ejus poetae exemplar se conformare, cujus pulchritudo non ex fucatis quibusdam pigmentis, atque adscitis coloribus efflorescat, qui, ut nullo negocio induci, sic et facillime referri imitando possunt; sed in sincera quadam, ac naturali partium singularum perfectione, ac venustate consistat, quam, propterea quia summa cum artis dissimulatione conjuncta est, nemo ullus, nisi qui peritissimus est, aut dignoscere potest, aut imitari. Nam ut majoris artificii est hominem nudum, ac sola membrorum proportione, ac venustate conspicuum pingere, quam eundem lorica insignem, aut clamyde; ita difficilius est poetam referre, cujus ea laus propria sit naturae simplicitatem, ac pulchritudinem sequi, quam eum, qui, ut clarius multitudini se venditet, a caetero omni ornatu, licet hic minus cum natura consentiat, nihil abhorreat. Qua in re multo majori laude Scipio dignus videtur, quia jam ab ejus aetate, quamvis ea poetas clarissimos

tulerit, novitas illa in scribendo non multitudini solum placere, sed inter doctos etiam sensim manare coeperat, quae consequentibus subinde annis, tanquam pestis aliqua, per Italiam universam grassata omnium cum oratorum, tum poetarum scripta infecit, aque corrupit: ex quo factum est, ut nativa illa venustas, quam tantam in primis saeculi illius scriptoribus demiramur, ab Italia exulaverit, nec nisi centum post amplius annis, quasi postliminio revocata, in pristinas sedes restituta sit. Ab iis igitur praestigiis haudquaquam deceptus est Scipio, et cum multi, novitatis lenociniis illecti, iis tanquam Sirenum scopulis adhaerescerent, ille tamen ab instituto cursu devocari se nunquam est passus; sed, deterioribus repudiatis, semper meliora sequutus est. Ex quo illud est factum, ut nec nativa ejus in scribendo venustas unquam infuscata, ac corrupta sit; nec propterea quidquam de ejusdem ingenii, atque elegantiae opinione fuerit imminutum. Haec non temere nos comminisci intelliget qui epistolas legat ad eum a nonnullis eorum scriptas, qui eidem libros nuncupaverunt suos. Neque enim omnes ita eas scripserunt, ut Muretus suam scripsit. Animadvertere in iis non sine admiratione licebit, ut quamvis toti sint in ea laude celebranda, quam Scipio litteris suis

erat scribendo consequutus; iidem tamen, quod saeculi vitio laborent, a sincera illa, atque eleganti scribendi ratione longissime abhorrent, atque dissentiunt. Ut intelligi nequeat qui factum sit, ut ii aut ita laudare potuerint, quae non sequantur; aut ea sequantur, quorum contraria adeo sibi duxerint laudanda. Sed hoc omnino habet vera pulchritudo, ut suo splendore in oculos etiam hebetiorum incurrat, et vel ab invitis laudem, atque admirationem extorqueat.

Verum quanquam ille propter hanc tam eximiam scribendi elegantiam plurimum fuerit illustratus, illa tamen praecipua laus, qua is in poetica facultate floruit, non magis ex stili puritate, ac nitore est ducenda, quam ex intima quadam, ac recondita poeseos universae cognitione, qua ille quidquid de ejus artis ratione scripserunt cum Graeci, atque Latini, tum caeteri, qui eos consequuti sunt, apprime noverat, penitusque animo, atque memoria comprehensum habebat. Hoc enimvero illud est, cur tanti ejus judicium a doctissimis quibusque fieret, ut si quid de re poetica in disceptationem, ac controversiam veniret, nullius auctoritas gravior, quam Scipionis haberetur. Quare ejus consilium exquirebatur a multis, tantumque apud omnes valebat, ut nemo esset, quin ei acquiesceret, illudque de eodem

existimaret: „ Quod in eo genere Scipio repudian-
„ dum putaret, id repudiari etiam a caeteris debe-
„ re; quod probaret, probari etiam necesse esse„ [48].
Qua quidem doctrinae, atque intelligentiae opinione cum nulla honorificentior Scipioni, tum nulla potest esse testatior. Nemo siquidem de eo viro aliquid scripsit, quin hoc in primis praedicaverit, Scipionem scilicet a doctissimis illius aetatis poetis judicem, censorem, atque adeo emendatorem operum suorum fuisse adhibitum [49]. Horum nos, ut brevitati serviamus, hic tantum qui praecipui sunt commemorabimus: neque vero de singulis meminisse necesse est: praesertim cum illi, de quibus scripturi sumus, quamvis pauci sint, tamen ea nominis celebritate commendentur, ut eorum unusquisque censori suo maximo ornamento esse possit.

Atque in primis praeclarum hoc doctrinae, atque judicii testimonium ei Aethereorum Academia tribuit: quippe coetus ille clarissimus non satis habuit Scipionem tanquam auctorem, et patronum suum revereri, omnibusque honoris, et grati animi significationibus prosequi; sed, ut clarius pateret, quem beneficentiae, ac patrocinii causa caeteris praeferebant, eum etiam ingenii, atque doctrinae opinione omnibus anteponere, judicem, ac censorem scri-

ptionum suarum constituerunt. Hac honoris delatione quid oneris Scipioni fuerit impositum ab eodem ipso docemur, a quo plura de censoris officio in commentariis suis perhibentur: quae si nos repetamus, patebit, eam personam tunc ab eo fuisse susceptam, cujus ille severitatem sola doctrinarum omnium cognitione, atque excellentis judicii ratione tueri poterat. Etenim, ut varia disciplinarum sunt genera, ita variis etiam studiis Academicorum illorum capiebantur ingenia, atque alius alio scribendi genere ducebatur. Multi siquidem orationes, ac dialogos contexere; multi de physicis, de mathematicis, de theologicis scribere; multi aliquam utriusque sive juris, sive historiae partem illustrare gaudebant: qui vero rei poeticae navabant operam non illi tantum elegias, epigrammata, odas, aliave id genus factitare, sed majora audentes, epos etiam, atque tragoediam pangere, atque in difficillimo quoque scribendi genere ad summam laudem eniti conabantur. Cum autem Academiae lege cautum esset, ne, quae a quopiam scripta forent, prius in corona recitarentur, quam et expensa censoris judicio, et probata essent; ex hoc necessario fiebat, ut censuram exercere non posset, nisi qui et ingenio praestaret maximo, et omnium doctrinarum cognitione in primis

emineret: quam ingenii, ac doctrinae praestantiam cum in Scipione omnes omnino suspicerent, idcirco eum tam luculento munere honestatum voluerunt; quod quidem non magis gravitate sua honorificum est habendum, quam claritate eorum, quorum judicio deferebatur: nulla enim Academia in ipsis primordiis suis tam multis egregiis ingeniis floruit, quam multis Aethereorum coetus est nobilitatus [50]. Nec vero tam honorifica haec de doctrina, ac de judicio Scipionis opinio, ac tanta Academicorum illorum in censura eidem deferenda consensio maxima caruit utilitate. Etenim quamdiu ille delato munere functus est, ita collegio universo operam probavit suam, ut omnes senserint, sapienti a se consilio eum scriptorum suorum judicem fuisse constitutum. Eo quippe censore, non modo nihil unquam in corona recitatum est, quod non omnibus numeris absolutum putaretur; verum ea etiam, quae ejusdem judicio probata in lucem deinde prodierunt, tanto sunt omnium studio, ac favore per universam Italiam excepta, ut ea propter et Aethereorum Academiae magna laus accesserit, et eorum numerus clarissimis virorum doctissimorum nominibus auctus sit. Etenim ut quisque ingenii, ac doctrinae fama clarius ferebatur, ita studiosius in

collegium adsciſci illud cupiebat; nihilque habebat antiquius, quam eorum societate cenſeri, quorum ingeniis tam praeclara doctrinae monumenta proferri poſſent. Franciſcus Xaverius Quadrius, et Janus Nicius Erythraeus, aliique ſcripſere, non plures quam undecim illos fuiſſe, ex quibus tunc primum coetus Aethereorum conſtitit: illud nimirum opinati, ex eo collegio praeter eos, quorum verſus editi leguntur, alios fuiſſe nullos. Quorum opinioni cum Scipionis ipſius refragatur auctoritas, a quo illos amplius viginti fuiſſe docemur, tum Antonii Franciſci Donii teſtimonium. Hic enim ſcriptor in ea epiſtola, qua opus ſuum De Picturis Collegio Aethereorum dedicat anno MDLXIV. viginti duorum academicorum nomina recenſet, ac celebrat [51]. Carmina Aethereorum publicata primum ſunt anno MDLXVII. charta quadrantaria, ac typorum formis nitidiſſimis, eademque academicorum ipſorum nomine Margaritae Valeſiae Duci Allobrogum nuncupata. Quibus autem e praelis prodierint, ignotum eſt. Siquidem liber in fronte nec locum ubi èditus fuit, nec typographum exhibet. Petrus Antonius Seraſſius tamen Patavii ea putat fuiſſe impreſſa. Horum exemplaria, quod ob poetarum illorum celebritatem certatim ab omnibus coemerentur, opinione citius per Italiam diſſipata

defecerunt; ita ut in bibliopolarum scriniis jamdiu nec sine magna difficultate inveniri, nec nisi magno pretio comparari possent. Quo igitur multitudini eorum, qui ea expetebant, satisfieret, de iisdem iterum imprimendis cogitatum est. Anno itaque MDLXXXIX. instantia Antonii Caraffae, qui ea Scipioni ipsi Cardinali inscripta voluit, iterum Ferrariae sunt impressa; minori quidem forma, ac typis elegantibus, haud tamen castigatius iis, quae superiori editione e praelis Patavinis fuerant emissa. Sed de Aethereorum Academia, deque ejusdem monumentis cum Scipio multa tradidit, tum deinde plura Franciscus Xaverius Quadrius, et Hieronymus Tiraboschius, ac nuperrime etiam copiosius quam caeteri acerrimus illius aetatis investigator Petrus Antonius Serassius, qui in vita Torquati Tassi, quam luculentissime scripsit, et ex qua plura ad Scipionem pertinentia nobis deprompta sunt, adeo multa congessit, ut qui eam legat non magnopere earum rerum historiam desideret. Itaque disertissimum hoc opus consulat, qui plura velit: nobis ad institutum nostrum haec attigisse sit satis.

Quamvis vero ex his, quae hactenus scripta sunt, clare intelligatur quanti hic vir clarissimus cum ob doctrinarum omnium, tum ob poeticae facultatis

potissimum cognitionem ab omnibus fieret, multo tamen id clarius apparebit, ubi docuerimus quid de hac ejus laude senserint clarissima illa duo saeculi XVI. lumina, Torquatus Tassus, et Joannes Baptista Guarinius. Ac Torquatus quidem, cui potissimum, propter diuturnam cum Scipione convictus, ac studiorum consuetudinem, hominis doctrina cognita, atque explorata fuit, tanti ob eam causam eum fecit, ut in rebus praesertim poeticis ejus judicium caeterorum omnium judicio anteposuerit; eumque non solum operum sibi scribendorum auctorem habere voluerit, sed scriptorum etiam censorem, ac perfectorem. Non deerunt fortasse, qui, cum haec legant, nimium a nobis tribui Scipioni arbitrabuntur; verum quae scribimus exploratissima sunt, atque extra omnem controversiam posita; neque magis aliorum scriptorum testimonio, quam ejusdem Torquati litteris, ut mox videbimus, ac testificatione confirmata. Atque hoc percommode cadit, ut quod ad Scipionis famam gravissimum putandum est, id tam multis, tamque certis documentis testatum inveniamus: ut propterea levius ferendum sit, si caeteris in rebus, quae minoris momenti sunt, minus monumentis abundemus, cum tanta nobis eorundem copia suppetat ad eam laudem declarandam, quae Scipionis potissi-

ma judicanda est. Atque haec de clarissimo viro judicia jampridem Torquatus fecerat, cum aureos suos De Ratione poetica, ac De Poemate epico sermones ad illum scripsit: quos eum scimus potissimum ad Scipionem scripsisse, non magis ornandi hominis causa, quam consulendi. Placet hac de re testimonium Petri Antonii Serassi Latinum facere, atque hic exhibere, ex quo haec habemus „ Hos Torquatus sermones ad Scipionem scripsit, tum quia multum „ ejus consilio juvari poterat; is enim doctrinae, ac „ judicii laude in rebus etiam poeticis clarissimus „ habebatur, tum etiam, ut aliquod a se grati animi testimonium extaret in eum, a quo tantis beneficiis fuerat cumulatus, itaque tractaretur, ut is „ apud eum ferme fratris loco esset [52] „. Itaque Joannes Baptista Licinius, qui aliquot post annis eosdem sermones in lucem protulit, hanc potissimum attulit causam, cur voluerit eos libros in Scipionis nomine apparere. Nimirum quia nefas duceret, alio nomine honestatos eos lucem aspicere, quam ejus, cujus consulendi gratia fuerant a Torquato scripti. Sed operae pretium est noscere ea, quae in ejusdem poetae epistolis scripta sunt, quo clarius intelligatur quanti apud eum ponderis Scipionis semper fuerit auctoritas, et quam saepe idem doctissimi hujus

viri consilio, atque opera usus sit. Discessurus in Galliam Torquatus cum scripta sua Herculi Rondinellio commendasset, ac per codicillos, quorum exemplum inter poeticas ejusdem poetae epistolas extat, hominem pro amicitia rogasset, uti si quid in peregrinatione illa Gallicana factum de se fuisset, ea, quae tunc manibus amicorum tantummodo terebantur, colligenda omni studio, atque vulganda curaret; illud cautum voluit, ne quidquam eorum prius ille luci committeret, quam Scipionis in primis judicio recognitum, ac probatum esset: tantum ex eo tempore ejus doctrinae tribuebat, ut cum multi essent, a quibus ea scripta expendi, et probari possent, potissimum tamen Scipionis judicio, atque auctoritati videretur acquiescere [53]. Idem, poemate suo absoluto, cum opus luculentissimum judiciis doctissimorum virorum, quibuscum illud pro amicitia communicarat, ad caelum efferri laudibus, nedum probari intelligeret; ob eamque causam rogaretur a multis, ut votis communibus satisfaceret; nec quod viri doctissimi luce dignissimum judicarent, diutius premeret, atque intra domesticos lares delitescere pateretur: nunquam tamen illud sibi edendum constituit, nisi postquam Scipio roganti pollicitus est, se ad severissimam trutinam carmen universum re-

vocaturum; nihilque in eodem limando, ac perpoliendo praetermissurum, quod a se aut ingenio, aut industria perfici posset: quod sane idem egregie praestitit, haud tamen solus, sed adhibitis in consultationem doctissimis civitatis. Nostrum non est singula commemorare, quae in eo consilio ab egregiis illis viris in controversiam vocata sunt; ut saepe variis, ut quandoque etiam contrariis inter se studiis, atque opinionibus, res illa fuerit agitata; ut denique Torquatus interdum aut illorum sententiam sequutus sit; aut a judicio dissenserit: haec qui nosse cupiat, Serassium consulat, qui in ejusdem Torquati vita accurate haec omnia, ut mos clarissimi hujus scriptoris est, persequitur, ac diligenter. Quod ad rem nostram facit, et quod ex ipsius Torquati litteris cognoscimus, illud nimirum est, adeo apud eum Scipionis valuisse auctoritatem, ut quamvis ipse multum etiam caeterorum censorum judiciis permoveretur; tamen, cum aliquid de consilii sententia ei emendandum proponebatur, nisi ad caeterorum judicia Scipionis etiam auctoritas accederet, fere semper in proposito permanebat; neque sibi quidquam de poemate suo aut tollendum, aut addendum, aut ullo modo mutandum arbitrabatur [54]. Haec ex ea epistola deprompta sunt, quam idem ad Lucam Sca-

labrinum scribit, quam sic vertimus „ Placuere ea, „ quae a Scipione nostro emendata misisti, atque ex „ censorum judiciis, quae ei probata esse intellexi, „ mihi etiam duxi esse probanda, illamque sequutus „ sententiam sum, in qua eum esse cognovi. Itaque „ quae de Trancredio, quae de Rinaldo monuit, „ quod omnino ita fieri oportuit, emendavi. Velim „ ex eodem cognoscas quid illud sit, quod in Pluto- „ nis oratione ei minus arrideat, ut illud etiam cor- „ rigendum curem. „ [55] Et clarius ex epistola XXI. ex poeticis, in qua sic ad Scipionem scribit. „ Ego „ vero, Scipio, quamvis in sententia perstem mea, „ tamen, cum tu caeterorum judicio subscripseris, „ eaque tu quoque mutanda censeas, quae illis mu- „ tanda visa sunt; cum nihil sit apud me aut opi- „ nione tua carius, aut gravius auctoritate, diu mul- „ tumque meditatus, rationem tandem excogitavi, „ qua haec componi possint; nimirum ut simul judi- „ cio obsequar vestro, simul in instituto permaneam „ meo. Itaque, et ea mutabo, quae vos mutanda „ censetis; et nihil tamen de tota operis structura, „ ac designatione attingam, atque movebo [56] „. Luculentum sane testimonium, atque hujusmodi, ut ex alio nullo videatur, clarius deprehendi posse, quo loco a Torquato haberetur Scipionis auctoritas. Eo

igitur sive auctore, sive aliorum sententiae adstipulatore, pluribus in locis ille poema emendavit suum: ornamenta, quae ambitiosius luxuriari visa sunt, omnia compescuit, mirabilia minuit, sustulit lasciviora; nimirum commonitus, cavendum sibi esse, nē plus versibus suis noceret moribus, quam ingeniis prodesset; omnia denique mutavit, quae, Scipione sive hortante, sive non repugnante, emendatione digna sunt judicata. Qua in re quis statuat doctrinane censorum magis, atque auctoritas, an tanti poetae modestia, atque facilitas laudari debeat? qui sane vir, etsi ea mutare, quae tanto labore scripserat, interdum gravaretur; tamen tantum aberat, ut censorum judicia, atque severitatem graviter ferret, ut ob eam causam Scipioni gratias ageret; ac quo acrius in singula a judicibus illis inquiri cognoscebat, eo majoris beneficii loco se illorum in judicando severitatem ponere profiteretur. Quod si censorum opinionibus quandoque minus acquievit, id ille nunquam nisi justis de causis fecit; quemadmodum ejus litterae docent, quibus summo ingenio, ac doctrina sententiam suam contra illorum judicia, aut opinionem defendit. Et certe aliquid fuit, quod is nulla vel censorum, vel Scipionis ipsius auctoritate adduci unquam potuit, ut pateretur expungi; nimirum octo

illos versus, qui in ipso ferme poematis exordio sunt, quorum initium „ Sai che là corre il mondo „. Porro illi, quamvis ob venustatem suam in primis probarentur, quod tamen minime ex severissima artis ratione additi judicarentur, ad absolutam operis perfectionem videbantur omnino removendi. Nec initio quidem repugnabat Torquatus: quinimmo eo adducta res erat, ut manus ille prope jam daturus videretur. Veruntamen deinde, re melius considerata, seu quia versus illos cariores haberet, quam ut respui a se, ac repudiari ita facile possent; sive quia, Virgilii exemplis in medium allatis, tanti poetae auctoritate factum suum se tueri posse intelligeret; quamvis Scipio hos omnino reijciendos judicaret; tamen Torquatus stilum vertere noluit; nec de illis quidquam aut detrahi, aut immutari a Scipione unquam est passus. Quod porro scimus multorum judicio fuisse probatum. Sunt enim illi versus hujusmodi, qui propter nescio quam singularem eorum venustatem ferme in ore omnium sunt, nec sine peculiari quodam voluptatis sensu pronunciari solent; quibus si poema illud caruisset, haud minimo sane ornamento fuisset spoliatum. Qua in re ut non reprehendendus Torquatus est, quod non alienum ab optimo poeta indulgere quandoque genio, ut ille ajebat, est

arbitratus; ita laudandus est Scipio, quod in optimo poeta semper necessarium duxerit nunquam ab artis ratione discedere; ita ut etiam quae venustissima essent, si haec ad ejus normam minus exacta viderentur, rejicienda omnino esse judicaverit. Illud siquidem liberioris ingenii fuit; hoc severioris: cumque in ea re uterque eorum, quod sequeretur, habuerit, idcirco sua laus neutri deneganda est.

Atque haec, quia potiora Scipioni videbantur; etenim ad universi poematis illius structuram, rationemque pertinebant, adhibitis in consilium collegis, ab eo sunt peracta: reliqua vero, sive quae ad versuum concinnitatem, sive quae ad sermonis elegantiam spectabant, quod ita visum Torquato est, solus per se Scipio praestitit. In quo sic elaboravit, ut quidquid asperum, hiulcum, dissonum; quidquid inculcatum nimis, ac repetitum; quidquid denique minus concinnum, atque perfectum offenderit, id, aut ad limam vocaverit, aut de integro extuderit, aut omnino perfecerit; idque tanto cum poematis universi commodo, tantaque cum Torquati ipsius voluptate, ut is sibi fortunatissimus visus sit, qui tantum emendatorem, nedum judicem, atque censorem invenisset. Haec, quod praeclarissimam Scipionis laudem habent, ne a nobis magis ornandi hominis gra-

tia, quam veritatis studio de eo praedicari videantur, singula Torquati ipsius testimonio sunt comprobanda. Cujus tamen ex litteris praecidemus, quae minus ad rem nostram facere videbantur, atque ea solum, quae necessaria sunt, de more interpretabimur. Ac de studio quidem, quo is Scipionem urgebat, ut perpoliendi poematis sui provinciam susciperet, haec leguntur in eadem Torquati epistola ad Lucam Scalabrinum, quam supra attulimus: „ Caeterum Scipio „ ne cesset rogo; pergat, quemadmodum aggressus „ est, castigare, ac perpolire Gothifredum meum: „ nihil enim ab ejus censura, atque stilo, nisi quod „ probatissimum est, poemati meo addi poterit. Equi- „ dem illud semper de Scipione speravi, in univer- „ so opere expoliendo, ac comendo plus illum lima „ sua perfecturum, quam ego mea „. [57] Et alio loco ad eundem Scipionem haec scribit „ Nunc ite- „ rum, Scipio, illud te pro singulari tua in me vo- „ luntate rogo, ut gloriae servias meae; neque gra- „ veris aliquid operae in edolandis, ac concinnandis „ versibus meis adhibere: nam et inculcati eorum „ non pauci sunt, et asperiores permulti; neque ego, „ quamvis omnia in iis sive limandis, sive etiam mu- „ tandis tentaverim, quidquam proficere potui. „ Haec igitur tua provincia sit, hac tuae sint par-

„ tes. Novi equidem quam bonus artifex sis, neque „ in condendis de integro versibus magis, quam in „ sarciendis [18] „. Quantopere autem probaverit, quae Scipionis judicio castigata ad eum afferebantur; quanto gaudio idem ea legerit semper; ut denique ob eam causam fortunam poematis sui sit gratulatus, cum ex plurimis ejusdem epistolis intelligi potest, tum praecipue ex XVIII. ex poeticis, quam ad eundem Scipionem scribit, et quae una hic instar omnium esse poterit. „ Et quoniam iterum de iis mentio in„cidit, quae in poemate meo a te sunt emenda„ta, illud equidem, Scipio, iterum praedicabo, quod „ saepe tibi aliis etiam ex meis litteris jam pridem „ intelligi debuit: nimirum omnia ferme ita mihi „ probari, ut quo ea saepius lego, eo majori sem„per iis legendis afficiar voluptate; ac simul judi„cium, diligentiam, amorem in me mirer tuum, si„mul poematis fortunam gratuler mei. Verum, „ quamvis singula arrideant, nihil tamen delectat ma„gis, quam versus ille „ non morì già, che sue virtu„ di accolse „. Equidem cum illum lego, quin me ri„deam nequeo, qui cum olim ad multam noctem la„borarim, ut eos versus mutarem, hilum proficere „ non potuerim; et quamvis versus quamplurimos, „ eosque multa varietate fecerim, nullum tamen ex-

„ tudi, qui perfectior, ac felicior sit illo, qui a te factus est [59]„. Quae porro omnia satis superque docere videntur, non solum quid de Scipionis doctrina semper Torquatus senserit; verum etiam quantum poema illius ex eadem perceperit concinnitatis. Ut vere possit illud affirmari; praeclarissimum hoc opus, cujus laus per universum terrarum orbem ferme omnium gentium linguis est celebrata, haud minimam suorum ornamentorum partem Scipionis cum doctrinae, tum elegantiae acceptam referre debere. Quod sane cum a multis scriptoribus testatum inveniamus, tum praecipue a Petro Antonio Serassio, qui cum de Torquati doctrina in ejus vita est loquutus, eamque omnibus, ut par erat, suae eloquentiae coloribus expresserit, nihil de summa ejus laude detrahi est arbitratus; cum generatim eadem ipsa de studio Scipionis in poemate illius expoliendo scripsit, quae a nobis de ejusdem viri diligentia sunt singillatim commemorata [60]. Neque hic illud est praetermittendum, quod plane singulare Scipionis studium in officio praestando declarare videtur; tantam nimirum in poemate illo expendendo accurationem ejus, diligentiamque fuisse, ut opus illud, quod, ut Torquato obsequeretur, inspiciendum, castigandumque curaverat, totum sua manu descripserit; idque sic emen-

date, et litteris sic ad speciem compositis, ut magis aut accurate, aut graphice fieri possit nihil. Hoc ubi ille ex Scipione ipso cognovit, dici vix potest quantis laetitiis incesserit, quod tam singulari honore amplissimus vir poema suum dignum haberet. Itaque, cum ob eam causam ei gratias ageret, illud ad gratissimam tantae humanitatis praedicationem testatus est „Non amplius esse cur ipse Iliadi invi„deret, quod a Rege Alexandro tanto honore ha„bita diceretur: cum nihil honorificentius esse pos„se putaret, quam id, quod poema suum a Scipione „accepisset„. Hunc codicem, qui maximo caeterorum omnium pretio est habendus a Hieronymo Baruffaldio docemur, clarissimae genti Valentiae Gonzagae jure quodam justissimae haereditatis obtigisse; eumque nos hic Romae apud Aloisium Valentium Gonzagam Cardinalem vidimus, qui in domestica biblioteca, qua utitur, tum selectissimorum librorum copia, tum autographis excellentium scriptorum locupletissima, [62] eum studiose asservat, maximaque habet in aestimatione. Quod quidem jure facit. Etenim, praeterquam codex hic amplissimae affinitatis est monumentum; a Gonzagarum quippe ei gente obvenit, quae ducentis ante amplius annis Valentiorum stirpi est inserta; nonnulla habet etiam,

quae in pervulgatis poematis illius exemplaribus, quae circumferuntur, secus impressa legimus; quae autem habet, ejusdem Baruffaldii judicio elegantius scripta esse censentur; et simul versibus caret illis, quos Scipio, quia, ut diximus, eos rejiciendos putabat, hic non descripsit [63]. Atque haec de ea laude, qua vir hic clarissimus ex tanti poetae judicio nobilitatus est, dicta sint satis. Quamvis enim Torquatus non in iis solum, quae a nobis sunt exposita, ejus judicio, atque opera usus sit, sed in plerisque etiam earum rerum, quas scripsit, eundem sibi consilio adesse voluerit; tamen singula persequi supervacaneum est, ac praeterea modus in scribendo nobis est adhibendus: praesertim cum ex his, quae hactenus commemorata sunt, illud confectum videamus, quod unum perspectum omnibus esse voluimus; tanta scilicet rerum poeticarum intelligentia Scipionem claruisse, ut a poeta aetatis suae omnium facile principe, judex, atque perfector clarissimi operis fuerit adhibitus.

Neque tamen hic unus poeta fuit, qui Scipionis consilio, atque opera in scriptorum suorum censura, atque emendatione usus est. Etenim etiam Joannes Baptista Guarinius, qui alter ex Aethereorum coetu prodiit, et illius aetatis poeta elegantissimus est ju-

dicatus, idem fecit; siquidem is non ante Pastoris Fidi fabulam, quam summo studio, ac venustate concinnaverat, aut in scena exhiberi, aut in hominum lucem typis emitti voluit, quam illam Scipionis oculo, ac cognitioni subjecerit; eandemque clarissimi viri judicio probatam esse senserit. In hoc etiam poemate inspiciendo quanto studio, ac diligentia allaboraverit Scipio; quanta humanitate idem de iis, quae corrigenda censuit, Guarinium monuerit; quam honorifico denique testimonio elegantissimum hoc opus probaverit, docent cum Scipionis, tum Guarinii litterae his de rebus scriptae, quae et una cum caeteris ejusdem poetae epistolis vulgatae sunt, et in synagoge epistolarum Zucchiana legi possunt. Atque utinam, quemadmodum ex iis epistolis cognoscimus, Scipionem a Guarinio censorem clarissimi operis fuisse adhibitum; ejusdemque censurae judicium gratissimum scriptori illi fuisse, doceremur item, quae nam illa fuerint, quae in eo poemate Scipioni castiganda, atque mutanda sunt visa. Verum haec sive (quod separatim fuerant a Guarinio scripta), ut usu venire solet, dilapsa interciderint; sive potius quia ille, ne censuram poematis sui proderent, ea minime vulganda esse judicaverit, ad nos non pervenerunt. Quod sane haud leviter nobis fe-

rendum est. Nihil enim ad clarorum scriptorum excellentiam intelligendam utilius est, quam ea nosse judicia, quae a viris intelligentibus de illorum libris sunt facta, sive quid in illis iidem laudandum, sive quid reprehendendum existimaverint. Verum ne, propterea quia hoc monumento caremus, caetera, quae de hujus poematis censura exposita a nobis sunt, in dubium revocari possint, his de rebus nunc cum Scipionis, tum Guarinii ipsius testimonia proferemus. Ac Scipio quidem in ea epistola, quam ad Guarinium scribit, postquam ei poema, quod sibi expendendum miserat, summo se studio, ac diligentia semel, atque iterum legisse significavit; idemque, ad exquisitam ejusdem elegantiam declarandam, ostendit; hujusmodi opus illud sibi judicari, ut, si quid peccaret, potius ob nimiam concinnitatem, atque ornamentorum copiam, quam quod ulla aut artis, aut elegantiae laude careret, peccare videretur; (ut in convivio, si accumbentibus singula melle delibuta, ac saccharo condita apponantur) haec addit „ Mitto tamen ad te nonnulla, quae in eodem „ perlegendo mihi singula quaeque rimanti notata „ sunt; eaque mitto, non quo elegantissimum opus „ tuum emendatore ullo indigeat, aut, sicubi ali„ quid corrigendum sit, id ita praestare me posse

„ putem, ut non multum de summa ejusdem operis „ venustate depereat, sed ut morem geram tibi, qui id „ a me postulasti [64] „. Cui epistolae sic Guarinius respondet „ Quod pro singulari tua humanitate, tan- „ to studio, ac diligentia in poemate meo inspicien- „ do allaborasti; idemque tam accurate, quae tibi „ in eo corrigenda visa sunt, ad me scripta misisti; „ ac demum quod tam honorifico auctoritatis tuae „ testimonio illud tibi tantopere probari significasti, „ pluribus nominibus obstrictum me valde esse tibi, „ maximamque gratiam habere profiteor. Profecto „ auctoritas tua tanti est apud me ponderis, ut ejus „ judicio universi terrarum orbis judicia graviora „ non ducam; neque adprobationi tuae omnes ve- „ terum tragicorum victorias putem ullo modo an- „ teferendas „ Tum, paucis interjectis, quae partim ad gratissimam officii illius praedicationem, partim ad gratias agendas pertinent, haec addit „ De iis vero, „ quae tam sapienter in opere meo tibi notanda cen- „ suisti, alias, cum otium nactus fuero, scribam ad „ te, quae oportere judicabo [65] „. Ex quibus omnibus, si minus ea noscimus, quae in Guariniano poemate aut emendata a Scipione sunt, aut emendatione digna judicata, illud certe planissime docemur, Guarinii fabulam Scipionis judicium subiisse; et cen-

surae ejus auctoritatem Sciptori illi elegantissimo fuisse gravissimam. Quod sane quale sit, et quantum valeat ad eam intelligentiae opinionem declarandam, qua Scipio in primis commendabatur, nemo non videt. Neque enim poeticae artis non is consultissimus esse debet, cujus sententiam in eo scribendi genere tanto studio ab iis viris exquisitam videmus, qui omnium judicio inter poetarum principes recensentur; adprobationem vero tanti habitam, ut qui sapientissimi fuere, auctoritati ejus unice sibi acquiescendum esse arbitrati sint.

Sed mirandum non est, Scipionis intelligentiam, atque operam in expendendis excellentium virorum scriptis, tanto litteris usui, atque adjumento fuisse, cum etiam leges veluti quasdam ab eo viro sapientissime traditas habeamus, quibus clarorum Scriptorum libri, et expendendi, et emendandi sunt. Ferebant graviter litterati viri, Balthassarem Castilioneum in elegantissimo opere, quod de Viro Aulico concinnaverat, interseruisse nonnulla, propter quae interdictum omnibus ejus libri lectione esset; illudque dolebant, quod propter paucula illa, quae censurae nota in eo digna fuerant judicata, reliqui operis etiam lectione abstinere cogerentur, quod et elegantissimum esset, et eo nomine, vel ipsorum censo-

rum judicio probatissimum haberetur. Itaque nemo erat bonarum litterarum paullo studiosior, quin id magnopere desideraret, ut nova ejus libri editio fieret, sublatis illis, quorum lectione aut infici aliqua ex parte mores, aut laedi vel minimum religio posset. Incubuerat in primis in eam cogitationem Bernardinus Marlianus Mantuanus, singularis ingenii, ac multarum litterarum vir, idemque Balthassaris memoriae studiosissimus, ut qui etiam ejusdem viri clarissimi vitam, quam habemus, scripserat, caeteraque ejusdem opera collegerat, vulgaturus omnia una cum libro de aulico, si tamen ejus libri emendandi potestas fieret. Is igitur, qua erat apud Scipionem gratia, eum per litteras etiam atque etiam rogavit, uti pro sua auctoritate (ea siquidem pollebat plurimum) ab iis, penes quos Romae arbitrium hujus rei esset, illud impetraret, ut in iis, quae censura digna judicata fuerant, castigari Balthassaris librum juberent, castigatumque deinde vulgari iterum paterentur. Indignum enim videri, opus hujusmodi, quod esset ab eo viro scriptum, qui Clementis VII. Pontificis Maximi ad Carolum V. Augustum Imperatorem orator fuisset, in ejusque muneris functione e vita decessisset, diutius, interdicti hujus causa, latere obscurum in Italia, cum extra

Italiam, excultarum nationum ferme omnium linguis redditum, in omnium manibus esset, ac non sine singulari voluptate, ac commodo legeretur. Nec recusavit provinciam Scipio, tum ut Marliano ipsi, quem in paucis diligebat, gratificaretur, tum praecipue, ut Balthassaris civis, ac consanguinei sui nomini prospectum esset. Itaque, negotio suscepto, non illud solum exprimendum a Censoribus curavit, ut emendandi operis ab ipsis potestas fieret, sed illud etiam cavere voluit, ne qui emendator apponeretur, arbitrio suo rem illam gereret: verum modum quendam adhiberet, quo ita religioni, ac moribus consultum vellet, nihil ut tamen de excellentis hujus operis venustate, atque elegantia detraheretur. Quapropter de librorum emendandorum ratione epistolam gravem, et doctam ad Camillum Castilioneum Balthassaris filium scripsit, in eaque leges, quas memorabamus, statuit, juxta quas ipse cum generatim clarorum virorum libros expendendos, tum praecipue opus hoc, quo de agebatur, corrigendum esse censebat. Est porro haec epistola hujusmodi, quae cum in singulis, quae habet, ingenium, eruditionem, judicium Scipionis probat, tum in hoc potissimum prudentiam commendat, atque aequitatem. Cum enim de ratione disserit, qua emendandi ii libri

sunt, quorum praecipua laus, stili concinnitate, atque sermonis lepore continetur, (cujus generis Balthassaris opus erat) hos ea lege castigatos vult, ut, demptis solummodo iis, quae aut religioni adversantia, aut noxia moribus deprehendantur, nihil praeterea addendum censeat, (nisi forte unum, aut alterum verbum sit adjiciendum) quo suppleantur ea, quae sunt rejecta. Praeterquam quod enim nova addere minime necessarium arbitratur ad id praestandum, quod censori propositum in emendando libro esse debet, illud praeterea inesse incommodi contendit, quod saepe non sine magno librorum ipsorum detrimento id fieri sit necesse: cum non omnium ingeniorum sit illud praestare, ut eadem venustate, ac lepore sint ea, quae inseruntur, atque illa fuerant, quae sunt repudiata. Tum fucum fieri legentibus dicit, si doctorum virorum scriptis admisceantur aliena, quae ab eodem fonte profecta haberi possint, a quo nullo modo profecta sunt: quod quidem, nisi a nativis adscititia distincta sint, quae inseruntur, a dolo haud videtur abesse. Plurima in hanc rem, cum erudite, tum ingeniose adijcit ex omni ratione, atque antiquitate deprompta, quae sane, et ad rem illuminandam plurimum faciunt, et ad leges ipsas, quas tradit, firmandas mirifice accommodata sunt. Haec nos

omnia libenter persequeremur, sunt enim singula memoratu dignissima, nisi Eminentissimus Vir, qui hos Commentarios edidit, a nobis admonitus, hanc Scipionis epistolam, quam pretio longe maximo habendam putabamus, in Castilioneorum Tabulariis Mantuae latere, eam ab humanitate Teresiae Castilioneae, Matronae spectatissimae, una cum caeteris epistolis, quae ad eandem hanc controversiam pertinent, facile impetrasset. Ea itaque suo loco cum caeteris monumentis a nobis afferetur: nec dubitamus, quin ex hoc monumento, quod nunc primum editur, ut ut breve sit, haud exiguum tamen cum Scipionis ingenio, ac judicio decus, tum commentariis ejus pretium sit accessurum. [66]

Quaeret fortasse quispiam, cur has Scipio leges ad Camillum Castilioneum scriperit, non autem ad Hieronymum Ciccarellium, a quo scimus deinde Balthassaris librum fuisse emendatum. Hoc vero quare factum sit, nos et ex aliis Scipionis epistolis, et ex Marliani ipsius vita cognoscimus, quam ab Irenaeo Affò diserte, atque erudite scriptam Carolus Valentius Gonzaga V. C. Hieronymo Tiraboschio, scriptori nostrae aetatis doctissimo, dedicavit. Putabat siquidem Scipio, pronum esse a Romanis librorum Censoribus impetrare, ut liber a Marliano ipso

Mantuae corrigeretur. Itaque ad Cammillum epistolam illam scripsit, quo is eam cum Marliano communicaret. Verum irrita omnis eius cautio cecidit. Neque enim, quemadmodum illud auctoritate sua consequutus est, ut emendari, atque edi denuo liber posset, illud item opere vel magno adhibito, impetrare unquam valuit, ut is extra urbem emendaretur; eaeque in eodem corrigendo servarentur leges, quas ipse servandas judicasset. Ejus itaque castigandi operis provincia Antonio Ciccarellio demandata est; isque, pro ingenio suo, Balthassaris Castilionei, tanti viri, opus emendare non dubitavit: neque id sine severitate: ut Cammillo Balthassaris ipsius filio visum est, cujus litteras habemus ad Scipionem scriptas, in quibus cum eo queritur, nimium severe cum patris sui opere actum esse.

Haec igitur tanta doctrinae commendatio, quae in ejus praesertim nobilitatis viro novum quiddam, ac tanquam prodigii simile putabatur, dici vix potest quantam Scipioni omnium ordinum aestimationem, atque benevolentiam conciliaverit; atque eorum praesertim, qui, cum ingenii, et doctrinae laude in primis censerentur, de ingenio, ac de doctrina ejus rectius poterant existimare. Igitur dijudicari non poterat plusne ille coleretur ab omnibus, an amaretur.

Quanquam vero haec tam mirifica omnium ordinum in eum voluntas non ita uni ejus doctrinae tribuenda est, ut non etiam caeteris virtutibus illis tribui debeat, quas idem cum praeclarissima doctrinae laude conjunctas habebat: quibus si caruisset, nunquam fortasse tantam apud omnes gratiam nactus fuisset. Etenim (quod ferme semper fieri videmus) quemadmodum opes, genus, amplitudo, ita et doctrina, qua homines inter caeteros eminent, nisi cum iis virtutibus conjungatur, quibus aliorum voluntates conciliantur; quamvis ad famam, atque admirationem inter homines excitandas plurimum valeat, saepius tamen non tam gratiam, ac benevolentiam parare, quam obtrectatorum invidiam, atque criminationem creare solet. Quibus incommodis si minus obnoxia Scipionis doctrina fuit, id ea propter est factum, quia, ille, ut nullis laudibus caruit, quibus excitatur hominum admiratio, ita etiam virtutibus iis fuit ornatissimus, quibus eorundem demerentur voluntates. Ac primum in tantis cum amplitudinis, tum ingenii ornamentis, quibus unus inter omnes maxime explandescebat, ea modestia commendabatur, ut intelligi non posset utra ille laude esset illustrior. Vestigium in eo arrogantiae animadvertisses nullum, ab ŏmni gloriae insolentia, atque doctrinae

ostentatione in vita semper abhorruit: neque id solum nihil unquam magnifice de se praedicando ostendit, verum etiam semper demisse sentiendo. Quod quis interpretetur utrum clarius moderationis indicium sit, an ingenii, et sapientiae? Etenim ut illud compertum est, arrogantiam semper cum inscitia conjunctam esse; ita illud etiam exploratissimum, a sapientia raro sejunctam esse modestiam. Quod ex eo etiam fit, quia qui sapientiores sunt plura in doctrinis vident, quam quae a se omnia nosci posse cognoscant; qui vero sunt hebetiores, quibus finibus scientia sua continetur, iisdem putant terminari sapientiam: itaque, ut longe a summa doctrinae laude se abesse putant, qui plura sciunt; ita omnia se nosse credunt, qui in summa rerum maximarum ignoratione versantur. Ex hoc igitur factum est, ut quo clarius sapientia sua Scipio eminebat, eo minus ejus laude excellere arbitraretur. Itaque si, cum aliquid in disputationem de doctrinis veniret, idem rogaretur, ut sententiam aperiret suam; non ille quidem, qua erat ingenii, ac naturae facilitate, scitantium voluntati repugnabat unquam, verum ita loquebatur, ut semper opinanti propior esset, quam affirmanti. Atque id etiam dum ipse tam recondita, ac nova ex omni doctrina deprompta in

medium ad ea, quae quaerebantur afferret, quae non solum mediocris scientiae viris ignota essent, verum etiam fugerent scientiam prudentissimorum: ut mirarentur omnes, tantas sapientiae opes tanta cum animi moderatione potuisse conjungi. Hanc hominis in summa ingenii, ac doctrinae laude modestiam ad vivum expressit Ansaldus Cebà in dialogo suo De Poemate heroico, cui nomen Gonzagae fecit, propterea quod eam, quam instituit disputationem, in Scipionis Gonzagae personam, in Prosperi Martinenghi, in Torquati Tassi contulit. Is enim, quamvis, ut consonum erat, docentis partes Martinengo tribuerit; (longe enim is dum viveret utrumque illorum aetate antecedebat) ita tamen Scipionem, qua interrogantem, qua disputantem facit, ut nec ingeniosiorem eum facere possit, nec modestiorem. Prodiit hic dialogus anno MDCXXI., haud ita multo post tempore quam Scipio, ac Torquatus e vivis excesserant. Verum tunc habitus fingitur, cum Torquatus poemati scribendo operam navabat suo, nec dum illud absolverat. Quod de industria factum ab Ansaldo nonnulli arbitrati sunt. Cum enim ille Torquati poema carpere constituisset, quod in aliquibus, ut ipse opinabatur, ad Aristotelis regulas minus esset exactum; neque, ob operis celebritatem, aperte auderet contra

illud dicere: id excogitavit, ut tunc temporis sermo ille institutus fingeretur, cum Torquati poema nondum in manibus hominum esset: ita ut quaecumque in epopoeja Martinengus servanda diceret, quae minus deinde a Torquato servata essent, ea neque ullo modo Torquatum attingere; neque, quod tanto ante scripta essent, contra poema ejus dici tunc potuisse viderentur. Hoc nimirum Ansaldus faciebat, quod etiam ex Crescimbenii testimonio compertum est, ut appareret, Hesterrem suam, hoc enim poema ipse fecerat, quia Aristotelis leges in ea religiosissime servarentur, propterea longe ei poemati praestare, quod a Torquato scriptum esset. Hanc disputationem nemo non videt non Torquatum modo attingere, sed etiam ad Scipionem, caeterosque illius carminis censores pertinere, ut qui in universo illo opere inspiciendo, aut, per imprudentiam, ea minus animadverterint, aut susque deque habuerint, minusque emendanda curaverint. Non est hujus loci, ut hos clarissimos viros ab hac criminatione vindicemus eam quaestionem ingredi, cujus tractatio ab iis, quae praecipue nobis narranda proposuimus, nimium nos avocaret. Hoc tamen reticendum nullo modo esse videtur; nihil horum, quae dissimulanter, ac tanquam aliud agens, criminatur Ansaldus, aut Scipionis, aut

censorum poematis illius scientiam fugisse; deque his Torquatum de consilii illius sententia a Scipione fuisse commonitum; illum vero, qui Aristotelis Epopoeiam, tanquam alterum Tulliani illius Crassi Oratorem, aut alteram Platonis Rempublicam duceret, id statuisse ab initio, in eoque semper perseverasse; in iis quidem, quae potiora essent, nunquam ab Aristotelis norma ne latum quidem unguem recedere; in caeteris vero, quae minoris momenti viderentur, aut ingenii sui ductum, aut aliorum excellentium poetarum exempla sequi; neque (quod ajunt) in verba magistri, ullo modo jurare velle: praesertim si tanta illa in Aristotele sequendo diligentia, ac prope religio poematis sui aut granditati, aut venustati officere interdum potius, quam prodesse posse videretur. Et vero nemo inficias iverit, eas Epopoejae leges ab Aristotele fuisse praescriptas, quarum si quis singulas servare velit, nullum Epos unquam conficere possit: nec sane poema ullum ex iis, quae clarissima habentur scimus adhuc extitisse, in quo leges eae singulae fuerint servatae. Qua in re si Ansaldus secus, ac Torquatus sentit, sentiat licet, dummodo tamen illud fateatur, non propterea minus praeclarum Torquati opus extitisse, neque ob eam causam Gothifredo illius Hesterrem ejus esse ullo modo prae-

ferendam, quae, ut diligentissime ab eo juxta Aristotelis leges scripta sit, ita tamen multis aliis cum naturae, tum ingenii luminibus caret, quae in epico poemate longe antiquiora sunt habenda, ut ob eam causam ab eodem Mario Crescimbenio, magnae in rebus poeticis intelligentiae viro, id de Ansaldo Cebà pronunciatum legamus „ Virum hunc, caeteroqui do- „ ctissimum, plus ad poematis leges tradendas va- „ luisse, quam ad poema scribendum „. Neque tamen eruditissimum hominem reprehendimus: quinimmo potius omni laude dignissimum judicamus. Est enim dialogus ille, ut summa doctrina conscriptus, ita et exquisita elegantia, et urbanissima festivitate. Ad haec illa laus accedit, quod in eo ita de poematis heroici legibus disseritur, nihil ut de Torquati ingenio, atque doctrina detrahatur: quod adeo cavet Ansaldus, ut nisi qui aut sagacior sit, aut illud cognitum habeat, quae in eo dialogo juxta Aristotelis leges servanda in poemate heroico praescribuntur, ea a Torquato minime esse singula quaeque servata, cognoscere nemo possit, hunc dialogum Torquatum ipsum carpere, ad ejusque poema, caeterosque ejusdem poematis censores pertinere [67]. Quam in scribendo temperantiam utinam imitarentur, ac sibi propriam vellent, qui de aliorum scriptis sententiam fer-

re, atque judicii sui auctoritatem interponere volunt: quam cito litteratorum dissidia, clamoresque conquiescerent: qui plerumque non tam ex veritatis studio, quam ex illiberali quadam viris doctissimis obtrectandi libidine oriri solent. Sed illuc revertamur. Hanc in ingenii sui opinione modestiam, quae tanquam ejus propria laus cognita, ab iis etiam, qui post ejus mortem scripserunt, celebrata est, nos cum in omnibus, quae ab eodem scripta sunt, cernimus, tum praecipue in commentariis ejus elucere usquequaque videmus: in quibus quippe, cum res suas omnes ingenue narrandas sibi proponat, ita parce, ac pudenter, in iis praecipue, quae aliquam ipsius laudem habent, semper loquitur, ut nihil unquam offendas, quod aut paullo gloriosius praedicatum de se, aut non modestissime expositum tibi videri possit. In quo quidem tanta usus est severitate, ut cum sua in litteratos viros studia, atque officia narrare sine ulla jactationis suspicione potuisset, eamque operam, quam in eorum scriptis expendendis plurimam haud semel adhibuit; ne forte ea commemorando, aut aliquid adrogare sibi, aut quidquam detrahere de laude illorum videretur, ita omnia dissimulavit, ut nullum in scriptores illos promeritorum ejus vestigium appareat. Quod eo pluris faciendum videtur, quia iidem

ipsi, ut paullo ante commemoravimus, qui sua scripta ejus judicium subire voluerunt, non solum Scipionis officium apertissime testati sint, acceptumque ab eo beneficium praesetulerint semper, sed etiam censuram, atque judicium ejus singularis sibi honoris, ac commendationis loco duxerint.

Sed quo ille in officio dissimulando cautior, eo fuit in praestando diligentior; semperque visus est nihil antiquius, aut jucundius habere, quam de omnibus benemereri. Hac etiam laude ita est ille illustratus, ut nullo humanitatis genere quisquam ei superior haberetur. Nemo siquidem illo suavior, nemo benignior, nemo liberalior. Amicorum ita studiosus fuit, ut quos ab adolescentia dilexerat, eos in omni vita habuerit carissimos, nunquam eorum temporibus defuerit, et cum eis in honore faverit, tum in calamitate opitulatus sit. Erga litteratos viros ita animo ferebatur, ut eos simul obsequio coleret, simul patrocinio tueretur. Erat Scipionis domus cum litteratorum omnium diversorium, tum perfugium amicorum, in quam nemo unus se reciperet, a quo unquam ejus praesidium desideraretur. Itaque Mutius Pansa idem ille, qui in suo libro De Bibliotheca Vaticana Scipionem, ob eximiam in omni disciplina excellentiam „ lumen, ac decus cum huma-

narum, tum divinarum doctrinarum dixit; cum eundem a singulari, qua praestabat, humanitate, laudare voluit „ amicorum, ac doctorum virorum omnium lumen, ac columen „ appellavit, qui non tam suis, quam aliorum commodis natus videretur. Idem de ejus humanitate, ac beneficentia caeteri omnes testati sunt, qui de eodem meminerunt; propter quam tantis eum laudibus extulerunt, ut nihil honorificentius testimoniis illis esse possit, quae ob eam caussam ei sunt tributa. Horum tamen elogia, licet amplissima sint, nos minime ducimus hic esse exponenda, cum de Scipionis humanitate, fide, beneficentia, ea suppetant monumenta, quibus per nos hanc viri clarissimi laudem dignoscere possumus. Nec tamen singula persequemur, cum et brevitati serviendum sit, et ad reliqua properandum. Itaque unus Torquatus Tassus, ille qui de Scipionis doctrina tam multa nobis testata reliquit, idem etiam plurima ad ejusdem humanitatem declarandam suppeditabit. Tanta enim in eum unum sunt a Scipione profecta, ut cum de hac ejus laude nobis scribendum sit, testem Torquato locupletiorem inveniamus neminem. Hae porro amoris significationes, quas a Scipionis humanitate plurimas hic unus accepit, docebunt quid de caeteris illis etiam nobis judicandum sit,

qui eidem viro beneficentissimo sua quaeque se accepta referre testarentur. Quod autem de Torquato uno ea perhibemus, id non sine causa facimus, sed ut clarius quae fuerit ea Scipionis virtus elucescat: cum illud apparebit, in eum etiam virum Scipionem sua studia contulisse, eumque omni beneficiorum genere cumulasse, qui quamvis ingenio maximus, atque doctrina clarissimus omnium judicio fuerit, ea tamen cum naturae, tum fortunae conditione ferme in omni vita usus est, quae, si minus ad abalienandas a se, haud certe ad sibi devinciendas amicorum voluntates comparata esse videretur. Quae ut clarius intelligantur, aliquid de hujus hominis indole, ac fortuna videtur esse dicendum.

Fuit Torquatus natura non difficili illa quidem semper, aut aspera, verum, quod habitudine corporis minus commoda esset; (bilis enim atrae morbo, quam μελαγχολιαν Graeci appellant laborabat) ita identidem tristitia incessebatur, ut non omnium horarum vir esset, et requiri interdum Torquatus in Torquato videretur. Siquidem cum tetri hujus humoris vis hominem urgeret, omnia suspiciose, inconstanter, morose agere, quidquid increpuisset pavere, nusquam apparentia cernere, insana appetere, saniora repudiare; neque solum invidiam, atque obtrecta-

tionem inimicorum, quorum ab acerbitate assidue agitatus est, indignari, sed in officio etiam, ac benefactis amicorum fastidire, atque irasci. Ad haec, in cumulum miseriae, illa res accedebat, quod idem, quamvis nobili natus loco esset, tamen tam angusta in re familiari versabatur, ut sine alienis opibus vix egestatem tolerare suam posset, nedum tueri dignitatem. Quod etsi nullo hominis vitio fieri perspectum omnibus esset, verum eorum culpa, qui nullo jure ejusdem fortunas vi occupatas tenerent: ex hoc tamen non fiebat, ut qui iniquissimam tanti viri vicem indigne se ferre dicerent, iidem etiam mederentur calamitati. Neque id satis fortunae fuit, quae ita hominem exercuit semper, ut quamvis ea varia, mutabilisque feratur, in hoc uno tamen vexando summa omni tempore constantia fuisse sit visa. Nam perinde quasi tantis aerumnis perferendis calamitosissimus vir nondum satis indigna vitae conditione uteretur, illud etiam effecit, ut idem apud Alfonsum Ducem Ferrariensium, cujus in aula inter eos, qui ab admissionibus sunt, apparebat, in eaque ob ingenii sui celebritatem unus omnium maxime florebat gratia, de repente propter interpositas nescio quas simultatum causas, ita graviter offenderet, ut a summa benevolentia in maximam invidiam prolapsus, gravissimas

ob eam causam acerbitates perferre coactus sit. Etenim in custodiam datus; quod, ad asperitatis famam declinandam, sanandi hominis causa Alfonsus a se fieri obtendebat, tamdiu infelicissimus vir in sordibus, et squalore inter dementes detentus est, donec satis est visum; siquidem ille mentis compos non esset, ut ad sanitatem posset restitui; sive potius, quemadmodum ab omnibus est judicatum, si nondum ille omnino esset de mente dejectus, uti de illa penitus deturbaretur. Reliqua vitae pars haud absimili conditione fuit. Nam, posteaquam est a custodia illa septem post annis egressus, eadem fortuna hominem, quemadmodum ab initio coeperat, constantissime insectata, eum dum vixit aegrimonia, morbo, inopia, solitudine, omni denique aerumnarum genere jactavit semper: neque unquam ab ingenio discessit, aut converti in melius visa est, nisi ut ei amarius illuderet. Quippe cum, mutatis parumper rebus, in eo jam ille esset, ut summo honore potiretur; ac decretam sibi a Clemente VIII. P. M. coronam lauream, (quod poetis maximum ornamentorum est,) a Senatu Romano publice in Capitolio acciperet; certisque pensionibus insuper auctus, laxius vitam vivere deinceps posset, proximus fastigio honorum, atque ex tanta jactatione portum pro-

pe jam ingressurus, vix dum devexa aetate, in morbum implicitus extinctus est: poetas ut doceret universos, musarum artes, nisi fortuna faveat, etiam in summo ingenio viris raro ab invidia esse, atque ab egestate sejunctas.

Hunc igitur hominem ita in toto vitae suae cursu a fortuna jactatum, ut prorsus ludibrio habitus ab ea videri possit, tanto est Scipio amore paene ab adolescentia complexus, eundemque adeo patrocinio suo texit, atque tutatus est semper: ut neminem unquam eo aut amiciorem, aut beneficentiorem se expertum esse in omni rerum suarum vicissitudine semper Torquatus praedicaverit. In quem illa prima humanissimae voluntatis significatio a Scipione extitit, cum eum Bononia egressum, quod injuriosius ab illius Urbis Praefecto secum actum putasset, Patavium, qua in urbe ipse eo tempore morabatur, ultro ad se ad Aethereorum coetum ornandum invitavit; advenientem hospitio excepit; ad mensam adhibuit; eaque omnia detulit, quibus ille, et studiis operam navare suis posset, et vivere cum dignitate. In quo magnam porro Scipio humanitatis laudem est consequutus: sive quia summo ingenio hominem, nullius rogatu, nec opinantem beneficio affecit, sive quia affecit in calamitate. Qua amoris

significatione adeo ille laetatus est, ut Bononiense illud incommodum sibi duxerit fuisse exoptandum, occasione cujus tantam esset gratiam apud Scipionem consequutus. Quo igitur tantae humanitatis memoriam testatam relinqueret, epigramma illud Etrusco sermone scripsit, elegans sane, ac nobile, quod primum fuit eorum, quae in coetu Aethereorum recitata ab eodem sunt; quo epigrammate ita Bononiensem contumeliam queritur, ut magis tamen Scipionis humanitatem extollat; illud nimirum ostendens, diligentiorem se in referenda gratia esse, quam in injuria ulciscenda[68]. Nec vero haec est illustrior grati animi significatio, quam viro de se optime merito tunc Torquatus dedit; verum illa fuit, cum idem sermones suos De Arte poetica, ac de Poemate heroico ad eum scripsit; de quibus supra mentio a nobis est facta. Quippe tunc, quo notiora omnibus essent, quae ab ejus beneficentia idem acceperat; simulque ut pateret quanta sapientia esset is, cujus sententiam sermonibus illis eliciendam curaret, epistolam adjecit, in qua multa cum de singulari ejus benefaciendi studio, tum de eximio ingenio, atque doctrina commemorabantur. Hanc tamen epistolam modestiae causa a caetero opere Scipio ipse sustulit, cum idem, postquam

Cardinalis creatus fuit , hunc sermonum librum Joanni Baptistae Licinio tradidit imprimendum : ut gravissime Torquatus tulerit, quod ex ejusdem epistolis cognosci potest , hos sermones sine ulla grati animi sui in Scipionem significatione foras prodiisse . 69 Diu apud Scipionem diversatus est Torquatus , tantoque semper apud eundem honore habitus est , ut nunquam antea ipse aut honestiori , aut suaviori vitae conditione se usum fuisse fateretur ; perpetuoque illi in ejusdem domo manere , omnique cura soluto vivere arbitratu suo licuisset , nisi aut ampliora sperasset, aut diutius manendo, viri amicissimi humanitate abuti veritus fuisset . Itaque Ferrariam cogitans , qua in urbe ipse honorificentissima quaeque sibi ab Estensibus pollicebatur , Scipionis beneficio diutius amplius uti noluit , veniamque ab eo petiit , ut illuc sibi proficisci liceret . Tulit id gravate Scipio , neque solum , quia suorum studiorum socium quasi , ac comitem , quem tanto amore complexus esset , a se distrahi videbat , verum etiam quia illud praesagiebat animo , eo ingenio hominem , qui aulicorum artes minime exploratas haberet , nullo modo aemulorum invidiam , atque obtrectationes esse devitaturum . Neque tamen ejus voluntati repugnare , aut obsistere ausus est , ne forte idem amici

commodis videretur obesse. Illud tamen pro sua in ipsum voluntate iterum, atque iterum cum per se, tum per amicos ei inculcare non destitit; videret quid consilii caperet, dum alio digredi a Scipione suo vellet, apud quem ferme fratris loco haberetur; illudque caveret, ne ex quo vitae genere otium, commoda, amplitudinem sibi sponderet, in eo labores, odia, maximasque molestiarum moles subire cogeretur. Difficile esse in aula virorum principum summo ingenio, ac doctrina hominem versari, quin ullis invidiae jaculis unquam appetatur: praesertim si is apud dominum, ut usu ferme semper venire solet, floreat gratia, et auctoritate: qua si careat, multo etiam gravius ipsi sit dolendum, cum nullo loco suam virtutem haberi sentiat. Haec, aliaque id genus, pro suo in amicum studio, quasi futura praesagiens, cum per se, cum per communes amicos monebat Scipio: 70 in quo non ille magis prudens, quam divinus est visus. Siquidem ita omnia acciderunt, quemadmodum ipse praesenserat eventura. Nam cum ad Estenses se Torquatus contulisset; ac primis quidem temporibus, secundissima quaeque nactus, ita illa in aula viveret, ut beatissimus esse, et caelum digito, quod ajunt, sibi attigisse videretur, non multum intercessit temporis, cum obtrectatorum artibus

tentari illa felicitas, et gratia coepit: itaque facta est tanta fortunae conversio, quantam nos non sine dolore in ejus vita legimus, unde tot illae molestiae manarunt, quibus tantus vir, dum vixit, miserandum in modum est exagitatus. Nostrum non est, ut appareat quanto consilio Scipio ab eo vitae genere Torquatum removendum curaverit, singula recensere, quae miserrimam illam fortunae, gratiaeque offensionem exceperunt; cum in promptu ea sint omnibus, qui ejusdem viri calamitosissimi historiam legant. Quod singularem Scipionis humanitatem declarat, illud sane est, quod is tanta fuit in amico juvando fide, atque constantia, ut apparuerit, beneficentiam ejus non temporariam, neque callidam fuisse; cum is non florenti se unquam venditarit, sed afflicto nunquam adesse desierit; ita ut multa in illum plura profecta sint a beneficentia ejus in calamitate, quam quae idem vel ab eo, vel a quopiam ullo incolumis sperare unquam potuisset. Neque vero tunc hic vir humanissimus in iis solum ei benevolentiam navavit, quae ad ejus scripta pertinebant: quam in curam quanto studio, atque accuratione incubuerit satis ea docent, quae a nobis exposita sunt, cum de censura ejus poematis scripsimus; sed etiam omni prorsus in re summo studio est opitulatus,

quotiescumque ille opera, consilio, opibus, patrocinio suo visus est indigere. Itaque, cum ille suspicionibus actus suis, nulla petita a Duce Alfonso venia, deseruisset aulam, atque, amicis insalutatis, Ferraria abscessisset; idemque errabundus per Italiam nullo certo in loco consisteret; dici vix potest quanto studio allaboraverit Scipio, ut eum ad saniora consilia revocaret, ex animo suspiciones evelleret, in Alfonsi gratiam reduceret. Quod quidem haud parvo labore ei scimus stetisse; cum utrumque magni negocii fuerit, et Alfonsum pacare, et Torquati animum delinire. Quo beneficio etsi frustra a se hominem affectum sensit: propterea quod paullo post ille, qui omnes sibi molestias, ac sollicitudines strueret, ad ingenium reversus, iterum et Estenses deseruit, et Ferraria discessit; nihilo tamen secius ipse in incepto perstitit, nullaque in se amicum destituit; verum iterum, eodemque illo, quo consueverat, studio eum opibus levavit, domum excepit, ac principum virorum patrociniis paratis texit, atque tutatus est. Quin, cum ille denuo fugae pertaesus suae, quieto animo se unquam futurum negaret, nisi iterum ad Estenses rediret: quamvis hoc minus Scipioni probaretur; quod nihil non metuendum ab illa tanta ingenii in-

constantia, atque mobilitate intelligeret: tamen, ne amicum contristaret, quem habebat carissimum, nullum aut studii, aut officii genus praetermisit, quo ei prodesset. Igitur, vel invitus, qua consilio usus, qua opibus, qua auctoritate, illud effecit, ut is Ferrariam nulla Alfonsi mala gratia posset reverti. Quae porro in eum studia eo pluris facienda ducimus, quia Torquatus, ut dictum est, in irrequieta illa animi, mentisque jactatione, plura quandoque admittebat, quibus a se quodammodo amicissimi viri studia, curasque avertere videbatur. Cum interdum quae paullo ante summo studio a Scipione contenderat, quaeque non sine magno illius labore, ac cura impetraverat, eadem mox, mutata voluntate, idem repudiaret; interdumque etiam ipsam hominis fidem, constantiamque suspectam haberet: ut mirum visum sit, tantam illius patientiam in Torquati natura perferenda fuisse [71]. Verum ille, qui ex Aristotele nosset, homines ingeniosos plerumque esse melancholicos, ob eamque causam plura eos tunc absurde facere, quae, si minus eo morbo laborarent, nullo modo essent facturi; tantum aberat, ut propter ea, quae dicta sunt, alienaretur a Torquato, ut quo ille minus aut officiose, aut constanter agere videbatur, eo majori cum miseratione, tum auxilio eum

dignum judicaret. Hoc cum multa declarant, tum illa praesertim, quae idem fecit, cum ea acciderunt, propter quae ille in custodiam est datus. Tunc enimvero, supra quam cuiquam credibile est, patuit quam benevolo animo Scipio in amicum esset, quantaque simul naturae bonitate. Etenim cum ille Ferrariam reversus illas nactus esset aerumnas, quae nunquam ab Alfonsi lenitate sibi sperandae videbantur, non modo homini in voluntariam calamitatem prolapso nihilo secius praesto fuit, quam si idem in illam imprudens incidisset: verum etiam ad ejus solatium, atque salutem ea praestitit, quibus non tam amici officia exhibere, quam parentis pietatem reddere visus est. Legendae omnino sunt illae epistolae, quas idem, dum in custodia illa haberetur, cum ad Scipionem, tum ad communes amicos dedit, ut intelligatur quanto studio vir humanissimus toto illo tempore ei subveniendum curaverit, ut semper litteris amicissimis consolatus sit, ut contra obtrectatorum invidiam, atque acerbitatem scriptis, et auctoritate defenderit, ut cognatos Italiae Principes ad ipsius salutem excitarit, ut ad eundem invisendum una cum Vincentio Mantuanorum Ducis Filio Ferrariam venerit, ut denique ad mitigandum Alfonsum ejusdem Vincentii Principis

opera usus, illud sit primum assequutus, ut multum de acerbiori illa in eo custodiendo asperitate remitteretur; deinde tandem ut, exeundi potestate facta, liber omnino e custodia illa dimitteretur. Haec singularia humanitatis, ac fidei documenta si quis non hujusmodi putet, ut propter ea nullo elogio satis digne commemorari Scipionis virtus possit, minus quam debet huic ejus laudi tribuet. Scimus tamen, aliquod tempus intercessisse, in quo is minus benevolo animo in Torquatum fuisse visus est: cum hic in epistolis suis queratur, se Romam reversum, non eadem urbanitate in Scipionis domo fuisse habitum, qua olim in ea fuerat, et quam vetus familiaritatis usus postulare videbatur. Verum, quae tunc minus urbane in eum facta sunt, cum idem ipse a servorum improbitate, quibus tunc Scipio utebatur, se in ejus domo pertulisse testetur; ea aut insciente domino, accidisse putanda sunt, aut, si illo sciente admissa, sic est colligendum, ea non inimico animo ab eodem in Torquatum esse profecta; sed ut illud experiretur etiam, num simulatis offensionibus a tanta illa animi perturbatione, atque inconstantia ad quietem aliquam, atque firmitatem posset eundem traducere. Quod ut credamus faciunt tum superiora omnia, quae amicissimo animo a Scipione in illum semper facta

esse scripsimus, tum etiam quae deinde summa cum benevolentia fecit. Atque haec causa fuit, cur Torquatus, qui, dum quieto animo esset, vinci beneficio a nemine unquam patiebatur, postquam Scipio e vivis excessit, ut tantae benevolentiae memoriam iis, quibus posset, monumentis posteritati testatam relinqueret, librum (ut suo loco dicemus) de Immortalitate scribere, in eoque Scipionem loquentem facere cogitavit, ut eo testimonio simul pateret, et quantis ipse beneficiis ab amicissimo viro in omni vita fuisset cumulatus; et quantis ille virtutibus immortalitatem nactus esset: qua de re leguntur Torquati ejusdem epistolae ad Antonium Constantinium scriptae [72]. Multa brevitatis studio missa facimus, quae de viri optimi studio, ac beneficentia cum in Torquatum ipsum, tum in alios possent commemorari: praesertim cum haec ipsa, quae de hoc uno perhibuimus plura fortasse sint, quam quae ad hanc ejus laudem declarandam necessaria esse videbantur. Sed cum ea, partim ob celebritatem hominis, qui beneficio est affectus; partim ob ipsius Scipionis constantiam, quae in amico calamitosissimo juvando tam mirifica apparuit, multa haberent, quae et legentibus non ingrata fore, et Scipionis ipsius naturam, ac virtutem praecipuo quodam modo illustrare vide-

rentur ; propterea fusius a nobis exponenda esse judicavimus .

Hanc humanissimae naturae laudem , qua Scipio illustrabatur , minus admirabilem singularis illa religio fecit , quam idem in omni vita primam rerum omnium habuit , coluitque impensissime . Hoc , ut nullis aliis testimoniis perhiberetur, satis ex his unis Commentariis pateret , qui cum multa nobis integritatis , modestiae , mansuetudinis , beneficentiae , caeterarumque virtutum exempla exhibent , quae sunt omnia ex illo fonte profecta ; tum plura etiam pietatis , ac religionis suppeditant monumenta . Inter quae illud laude dignissimum , quod is in clerum cooptatus , tanta in eo pietatis laude versatus est , ut ostenderit , non ad otium , aut ad dignitatis amplificationem , sed ad morum sanctitatem , cunctarumque virtutum exercitationem illud a se vitae genus fuisse susceptum . Itaque nihil ab se desiderari unquam est passus , quod ad religionem hominis , qui sacris addictus esset , pertinere videretur . Cultu fuit modico, qui neque effusus, neque insolens esset, neque tamen infra dignitatem . Et vero , si Bibliothecam excipias, quam Mutius Pansa ornatissimam fuisse memorat, et Sacellum domesticum, cujus eum scimus religionis causa fuisse studiossimum : nihil praete-

rea habuit, quod aut magnopere sumptuosum esset, aut religiosi Principis modum, ac continentiam excederet. Sacerdotii sui fructibus ita usus est, ut magnam eorum partem in sacris aedibus sive de integro exaedificandis, sive splendidiori cultu exornandis, locupletandisque erogaverit. Templum maximum, quod est in oppido Martiniano, quo in oppido ipse dominabatur, a fundamentis sua impensa excitavit; tantumque operis in ea pecuniae penuria inchoavit, cum sustinere sumptus vix posset; quo multo clarius pietatem prodidit suam, cum in ea re perficienda non opibus, quae sibi supervacaneae essent, usus sit, sed quibus ipse ad vitam, dignitatemque tuendam indigeret. Mariae Dominae N, cujus aedes ad Portam Flaminiam in Urbe est; cui Titulo non primus omnium praefuit, ut Ciacconius, ac Maraccius scripsere, verum alter a Cardinali Novocomensi, ut ex Landuccio habemus, qui illius aedis scripsit historiam, domesticam sacrarii sui suppellectilem auro, argento, sericisque pretiosam totam legavit; quod etiam ex eodem scriptore cognoscimus [73]. Porro erga sanctissimam Dei Parentem ita animo ferebatur, ut nullum obsequii, atque honoris genus esset, quo non eam coleret, ac veneraretur. Quare Marraccius idem in libro, quem „ Purpuram Marianam „

nuncupavit, quod in eo ex omni aetate recenseantur qui ex Patribus purpuratis Mariam Dominam praecipuo studio, ac religione coluerunt, Scipionem amplissime laudat, quod peculiari quodam amoris sensu in eandem raperetur. Scipionis pietatem cum omnes, qui cum eo consueverunt, tum praecipue reveriti sunt viri illius aetatis sanctissimi Philippus Nerius, Carolus Borromaeus Cardinalis, et Aloisius Gonzaga, quibus eundem propter quandam morum similitudinem scimus fuisse carissimum. Quam ille operam in Urbe Borromaeo navaverit, cum in coetum nobilium adolescentium Cisalpinorum ab eodem adlectus, pios sermones in Basilica Ambrosiana, ex aequo, ut fieri a lectissimis illis sodalibus consueverat, ad populum habuit, hi ipsi commentarii docent, in quibus eum in illa pietatis exercitatione biennio versatum fuisse legimus, summaque cum animi voluptate versatum: ut vel ex hoc ipso quivis intelligat, quam recte de ejus pietate vir ille sanctissimus senserit, qui in eorum coetum Scipionem adsciverit, inter quos, nisi qui religiosissimus esset, neminem recenseret. Nec minus ejusdem officia in re, quae ad Dei gloriam pertinebat, Aloisius Gonzaga est expertus, qui, ut apud Bollandianos memoriae est proditum, ejus unius studiis, atque auctoritati acceptum retulit,

se, quod tamdiu in votis habebat, humanis rebus nuncium remittere potuisse. Nam cum nulla ratione innocentissimus ille adolescens Ferdinandi Principis Castilionensium, patris sui, expugnare voluntatem posset, veniamque ab eodem impetrare, ut, principatu abdicato, in quem, quod maximus natu ex ejus liberis esset, aetatis jure succedere ipsi debebat, in Societate Jesu id vitae genus susciperet, ad quod caelesti instinctu fuerat vocatus; Scipionem rogavit, ut in tam difficili negotio sibi apud parentem adesset. Paruit Scipio libentissimo animo animo consanguineo suo tam justa petenti; eaque provincia suscepta, tantum apud Principem Ferdinandum suasionibus potuit, atque auctoritate, ut ille tandem manus dederit; neque amplius filio repugnare ausus, rem illam totam ipsius Scipionis arbitrio permiserit [74]. Itaque Aloisius ejus opera voti tandem compos effectus gratissima memoria hoc ejus officium recoluit semper; ab eoque tempore tanquam alterum salutis suae parentem, deque se omnium optime meritum, ut ipse praedicabat, Scipionem agnovit, atque dilexit. Neque habita solum beneficio gratia, verum etiam relata est. Quippe sanctissimi adolescentis consuetudine ita ille se a caducarum rerum studio, atque admiratione) quod idem

de se testabatur) abstrahi paullatim sensit ; ut, quamvis in vita caelestia illis antiquiora semper habuisset, multo tamen vehementius eorum desiderio, est in dies inflammatus, ex quo ei et Aloisii sensus cognoscere, et admiranda illa virtutis exempla intueri contigit : ut magnum operae suae in eo juvando fructum se percepisse diceret, ac laetaretur [75]. Neque hic illud est praetereundum, quod ibidem legitur ; cum id et praesagii loco haberi possit, et ad beneficii gratiam declarandam pertineat. Etenim quodam die, cum is aegrotanti graviter Aloisio assideret : ad eum enim invisendum, dum morbo illo decumberet, quo tandem extintus est, assidue ventitabat : quamvis, quod arthriticus esset, supportari illuc manibus famulorum necesse esset : idemque inter loquendum dixisset ; praesentire se, quod valetudine adeo infirma, totque incommodis obnoxia uteretur, minime vitalem esse futurum. „ Recte „ igitur feceris, illico Aloisius excepit, si ad mi„ grationem hanc, cujus tempus haud longe abesse „ conjicis, toto te studio comparaveris ; nec, qua „ es sapientia vir, minimi beneficii loco ponendum „ duxeris, quod instinctu quodam mentis admoni„ tus hoc ipsum appropinquare praesentias : neque „ enim sine Dei consilio, ut haec in nobis experia-

„ mur fieri existimandum est „ . Quae verba neutiquam temere fuisse a prudentissimo illo adolescente prolata, docuit tum motus quidam animi, summa tamen cum tranquillitate conjunctus, quo subinde corripi se Scipio sensit, tum mors ejus ipsa, quae non multo post tempore est audita [76]. Etenim cum idem mutandi caeli causa, ut solebat, in Martinianum suum se contulisset; ibique, domesticis rebus compositis, ita corporis valetudini operam daret, ut tamen, Aloisii admonitu, qui jam eo tempore e vita migraverat, majori studio animae vacaret suae, atque aeterna meditaretur, in morbum incidit; cujus vis in dies ingravescens, cum nulla medicorum arte cohiberi potuerit, hominem extinxit. Quamdiu autem ille aeger decubuerit; quonam morbi genere extinctus sit, nos memoriae proditum non invenimus [77]. Hoc tamen multorum litteris testatum est, Scipionis mortem cum caeteris ipsius vitae partibus mirifice consentaneam fuisse. Scimus enim, non domesticos solum, sed etiam externos, qui viri clarissimi virtutem cognitam habuerunt, ad leniendam acerbitatem vulneris, quod ex ejus interitu acceperant, hanc consolationem adhibuisse; quod is scilicet summam religionem, admirabilemque animi securitatem in illo pleno aleae tempore osten-

disset. Desideratus est vir immortalitate dignissimus v. Id. Jan. Anno MDXCIII., quinquagenario vix major; ea nimirum aetate cum, nisi morbi, ac mors intercessisset, nihil tam magni ac praeclari erat, quod non a religione, doctrina, humanitate ejus tum Ecclesia, tum litterae polliceri sibi potuissent. Elatus funere, ut par erat, amplissimo: quod tamen, haud clarius frequentia fecit, quo celebratum est, quam lacrimae, quibus est honestatum. Quod omnino ita fieri oportuit, cum nemo ex ullo ordine inveniretur, qui non aliquo beneficio a Scipione fuisset affectus; nemo simul, qui doctrinae, humanitatis, modestiae, religionis ejus exempla non commemoraret. Verum cum singuli ubique, tum praecipue Fratres ejus doluerunt, qui etsi semper ipsius liberalitatem, atque benevolentiam senserant, maxime tamen paullo ante quam is moreretur erant experti. Etenim is, qua erat animi magnitudine, in bonis partiendis, quae familiae suae post multas controversias ex Vespasiani Gonzagae patruelis sui haereditate tandem fuerant adjudicata, ea largitate usus erat, ut, minima quadam illorum parte sibi retenta, caetera omnia fratribus habenda reliquerit: ne scilicet suorum commodorum cupidior, quam domesticae concordiae studiosus videretur [78]. Nec minus apertis dolo-

ris indiciis ejus viri mortem, ubi de ea Romam perlatum est Patres Cardinales universi sunt prosequuti, qui, Scipione extincto, clarissimum sui Collegii lumen extinctum esse senserunt; et Clemens VIII. Pontifex Maximus, qui cum singularem hominis integritatem, modestiam, doctrinam, nosset, propterea eum faciebat plurimi, habebatque carissimum. Itaque postquam a Julio Caesare Gonzaga fratre ejus certior est factus, eum e vita migrasse: litteris responso datis, jacturam, quam ipse fecerat in tanti viri interitu gravissimis verbis doluit; et, commemoratis ejusdem virtutibus, amplissimo omnium testimonio Scipionis memoriam honestavit [79].

Ad has principum virorum amoris in Scipionem significationes accessit luctus litteratorum, qui eo acerbius tanti viri desiderium tulere, quod is ea semper in id genus homines voluntate fuerat, ut qui litterarum ornamentum, ac decus esset, idem doctorum omnium patronus, parensque amantissimus haberetur. Porro qui fuerint in ejus obitu horum virorum sensus, quanto praesidio eorum unusquisque, Scipione extincto, se spoliatum doluerit, quae testimonia in orbitate illa acerbissima virtuti, ac promeritis ejus ab omnibus tributa fuerint, ut caetera omittantur, declarat epistola illa,

quam eorum omnium dolentissime Joannes Baptista Guarinius, eo demortuo, ad Ferdinandum Gonzagam ipsius Fratrem consolandi gratia scripsit. „ Amisit „ Mantua, ait ille, eximium ornamentum suum, Man- „ tuanorum Dux consanguineum praestantissimum, „ vestra domus parentem optimum, Roma Ponti- „ ficem designatum, Ecclesia defensorem acerri- „ mum, Patres Cardinales coronae margaritum suae, „ litterae decus praeclarissimum, litterati viri cer- „ tissimum patrocinium, orbis denique terrarum vi- „ rum omni virtutum, omni ornamentorum genere „ cumulatissimum. Verum, ut maxima ab omnibus „ in tam cari capitis casu jactura sit facta, nemini „ tamen gravius quam mihi esse dolendum sentio; „ cum caeteri habeant fortasse aliquid, quo tanto „ in dolore reparare damna tristissimae orbitatis „ queant: mihi autem uni, quo refici in solitudine „ mea possim, suppetat nihil. Ecquem enim patro- „ num unquam aut vetustiori, aut arctiori, aut fir- „ miori amicitiae necessitudine, quam qua mecum „ Scipio devinctus fuerat, conjunctum inveniam? „ quem cariorem? quem prudentiorem? quem ami- „ ciorem experiri unquam possim? Qui, quo me „ amore a prima est aetate complexus, eodem ita „ constanter in omni fortuna dilexit, ut nec loco-

„ rum disjunctione,nec dignitatis ipsius amplificatio„ne, nec rerum mearum vicissitudine, ullo unquam „ tempore illius in me, aut voluntatis imminutio, „ aut consuetudinis immutatio sit facta. Quem etsi „ tanquam dominum ego et coluerim, et obser„ vaverim semper, ille tamen a me amicus, quam „ dominus haberi maluit. Amicus autem cujusmodi? „ nempe is, quo nec fideliorem ullum, nec inte„ griorem, nec meorum commodorum studiosiorem „ optare mihi unquam poteram; cum idem amicus, „ idem studiorum socius, idem scriptorum judex, „ idem laborum levamen, idem denique mihi tem„ porum praesidium, vitae solatium esset „ [80] Extat etiam Torquati Tassi in Scipionis morte epistola, haud illa quidem ita dolenter ad Constantinium scripta; hujusmodi tamen, quae gratissimi in Scipionem animi indicia habet; cum in ea ille, quod a nobis supra memoratum est, ad memoriam tanti viri propagandam librum de Immortalitate scribere se velle dicat, in eoque Scipionem ipsum facere loquentem [81]: quod tamen scriptor ille clarissimus morte interceptus haudquaquam praestitit. Academiae Patavina, Mantuana, Bononiensis, quarum prima Scipionem, ut vidimus, Collegii, splendorisque sui auctorem agnoscebat, reliquae et collegam studiosissi-


mum habuerant, et patronum beneficentissimum fuerant expertae, nullum officii genus praetermisere, quo communis doloris acerbitatem in ejus interitu testarentur. Indictum a coetibus singulis collegae, ac patrono optimo funus, laudationes habitae, recitata de more carmina, omnibus denique honoris, ac grati animi significationibus viro de singulis optime merito parentatum est. Et ex Bononiensi Academia quidem elogium etiam ejus, effigiemque editam haberemus in eo libro, ubi monumenta, et icones eorum, qui ex collegio illo fuerunt, expressae exhibentur, si Scipionis familiae posteri domesticarum laudum in eodem ornando aut minus negligentes, aut paullo studiosiores extitissent. Siquidem Academici illi, qui anno MDCLXXII. monumenta ea protulerunt, in ipso operis initio dolent „ se, „ cum maxime cuperent, quem honorem caeteris col- „ legis suis in libro illo tribuebant, eum Scipioni „ Gonzagae Cardinali, viro sapientissimo, et Torqua- „ ti Tassi patrono, atque amico familiarissimo, qui „ Bononiensis Academiae decus fuisset, ob eam, quam diximus causam, minime potuisset tribuere „ [82]. Verum, quod studium in Scipionis posteris in ejus memoriam ab omnibus desideratum est, id post ipsius mortem Franciscus Episcopus Mantuanorum, Fer-

dinandus, ac Julius Caesar, fratres amantissimi, fratri optimo praestiterunt, qui in Martyris Sebastiani templo, quod in oppido Martiniano conditum a Gonzagarum familia extat, intra cellam Sanctissimae Crucis, quo in loco humatum Scipionis corpus fuerat, anno ab obitu ejus proximo sepulcrum excitandum, exornandumque curaverunt, in eoque simulacrum ejus constituerunt e marmore cum inscriptione praeclara.

Quae omnia, quemadmodum caetera etiam monumenta, si qua ad ejus memoriam ornandam pertinebant, lineari opere graphice omnia describenda, eaque dispersim in his Commentariorum libris repraesentanda curavit Aloisius Valentius Gonzaga V. E. qui non magis vetustissimae affinitatis splendore, quam religionis, doctrinae, paribusque naturae ornamentis cum Scipione conjunctus, ut clarissimi Affinis imaginem quam simillimam laudibus suis refert, ita etiam in ejusdem memoria honestanda caeterorum omnium cum alienorum, tum domesticorum studia longe antevertit. Siquidem, Commentariis ejus tanto hoc nitore editis, eo doctissimum virum ornat monumento, quo nescio, an alio ullo, aut splendidius illustrari, aut stabilius ornari tanta virtus possit. In quo illud nobis laetandum est, quod ita Scipionis memoriae, ac peren-

nitati prospectum eo honore sit, ut non minus simul Aloisii Valentii Gonzagae Cardinalis immortalitati consultum videamus. Quamdiu enim praeclara haec Scipionis extabunt monumenta; extabunt autem, dum virtuti, ac litteris honor suus erit, semper; tamdiu etiam studium, ac munificentia ejus commemorabitur, a quo haec e tenebris in lucem, atque celebritatem hominum vocata, et intermortuam paene tot annorum vetustate spectatissima virtute, ac doctrina viri memoriam excitaverunt, et cum historiam, tum Latinas litteras tanto auxerunt ornamento.

FINIS.


D· O· M·
OFFICIO ATQVE ELEGANTIA SINGVLARI
VIXIT ANNOS L·MENSEM I·DIES XXII
OBIIT XI·JANVARII M·D·XCIII

ADNOTATIONES ET MONUMENTA

Numerorum notae (1) (2) etc. respondent numeris, quos in toto opere apposuimus locis singulis, qui illustrandi his adnotationibus sunt: ita ut adnotatio, quae hic proxime consequitur numerum 1., aut 2., etc. respondeat ei loco, qui in commentariis est eodem numero 1., aut 2. notatus, et sic deinceps continenter.

Pag. 5. (1) Franciscum Gonzagam Cardinalem nonnulli quidem inter Episcopos Mantuanos, ac Bononienses recensent: haud tamen recte. Etsi enim Franciscus idem Mantuanam, idem Bononiensem Ecclesiam administraverit, nunquam tamen consecratus Episcopus earum Ecclesiarum fuit; idque cum ex multis monumentis, tum praecipue ex ejusdem Francisci testamento patet, quod Bononiae conditum, obsignatumque ab eodem fuit XIII. Cal. Nov. Anno MCCCCXXCIII., atque inter ea monumenta latet, quae olim in tabulario Vastallensi asservabantur, nunc vero Parmae sunt, nosque hic *Schedas Vastallenses* nominabimus. In eo siquidem testamento non ille se Episcopum Mantuanorum, ac Bononiensium inscribit, sed solum Cathedralium Ecclesiarum Mantuanae, et Bononiensis administratorem.

Ibid. (2) Neque Ludovicus consecratus unquam Episcopus Mantuanorum fuit; isque etiam, quamvis Mantuanae Ecclesiae praefuerit, sola tamen Mantuani Electi appellatione usus, ut consuetudo temporum illorum ferebat, ei Ecclesiae praefuit. Sane Irenaeus Affò Vir clarissimus, ac de iis commentariis optime meritus, ut infra num. 31. ostendemus; (de cujus singulari eruditione cum in omnibus, tum praecipue in iis, quae ad Gonzagarum familias pertinent, satis ii libri testantur, qui ab eodem editi in lucem sunt) in ejusdem Ludovici vita, quam scriptam habet, nec dum tamen publici juris fecit, pluribus rationibus, ac monumentis id adversus Donesmondii, atque Ughellii auctoritatem persuadet. Etenim cum hi Scriptores affirmare non dubitaverint, Ludovicum et Episcopum Lamosensium fuisse, et Francisci Cardinalis fratris Suffraganeum in Episcopatu Mantuano, certissimis documentis id falsum esse ostendit; docetque, Franciscum Cardinalem tunc e vita functum esse, cum Ludovicus nondum quartum supra vigesimum aetatis annum attigisset, idemque nullis majoribus ordinibus initiatus, unis Prothonotarii honoribus fungeretur. Hunc propterea ab illo, antequam moreretur, fratri suo Marchioni Mantuanorum enixe commendatum fuisse, ut is a Romano Pontifice eum Mantuanae Ecclesiae praeficiendum curaret: quod ille, Electi nomine impetrato, a Pontifice Maximo consequutus est.

Pag. 6. (3) Neque in Gazolum, neque in Sablonetam, caeteraque illa oppida imperium ullum Joanni Francisco Gonzagae fuit, dum

frater ejus Cardinalis viveret, qui iis in oppidis dominabatur. Id solum Joannes Franciscus habuit, ut ex Patris testamento haeres fratris constitutus esset: cui propterea obvenire illa oppida ex haereditate deberent, postquam frater e vivis excederet: quemadmodum Castrum Goffridum, et Hostilianum, Ludovico e vita functo, Rodulpho fratri natu minori in haereditatem cessere, quod is Ludovici haeres a fratre fuisset institutus.

Pag. *6.* (4) Philibertus Campanilius in libro suo „ De nobilium familiarum Insignibus „ quem Neapoli edidit anno MDCX. cum de Bauciorum gente, (quae nostro sermone *Del Balzo*) scribit, quaeritque, unde nam opinio haec invaluerit, nimirum, ejus gentis auctorem unum ex tribus illis Magis fuisse, qui instinctu divinitatis praeeuntem stellam, quae in Oriente apparuerat, sequuti, in Judaeam ad Jesum infantem adorandum profecti sunt: hoc (quod etiam Scipio opinatur) ex eo factum perhibet, quod scilicet in Baucierum Insigni stella esset. Quae sane indicia quam inania sint, quis non videt? Sed ignoscendum Scipioni est, si ea forte credidit: siquidem in ea aetate vivebat, in qua temere speciosa quaeque credebantur, nulla in hujusmodi rebus examinandis adhibita severitate: multo quidem secus, atque his temporibus accidit, in quibus eo criticorum processit severitas, ut vera quandoque repudiare malint, quam non explorata credere. Caeterum hanc communem apud omnes de familiae hujus origine opinionem fuisse declarat haec inscriptio, quae Gazoli in S. Petri in Antoniae Bauciae sepulcro legitur.

ANTONIAE · BAVCIAE
QVAM · FAMILIAM · AB · VNO · EX · TRIBVS
MAGIS · ORIGINEM · DVCERE
VETVS · ET · CONSTANS · FAMA · EST
VXORI · IO. FRANCISCI · MARCHIONIS · DE · GONZAGA
FEMINAE · LECTISSIMAE
ET · NVMERO · AC · VIRTVTE · FILIORVM
NEPOTVM · PRONEPOTVM · QVOS · VIDIT
HAVD · PAVLLO · FELICIORI
ATQVE · ISABELLA · EIVS · SOROR · FRIDERICI · VLTIMI
NEAPOLITANORVM · REGIS · FVERIT
SCIPIO · ET · PYRRHVS · FRATRES
MARCHIONES · DE · GONZAGA · ABNEPOTES
ABAVIAE · DE · FAMILIA · SVA · OPTIME · MERITAE
P. P.
VIXIT ANNIS XCVII.
OBIIT ANNO SALVTIS MDXXXVIII.

Praestat tamen Sansovinio credere, qui in libro „ De familiis illustribus „ scribit, nobilissimam hanc Bauciorum gentem cum Carolo primo, Rege Neapolitanorum, ex Gallia in Italiam migrasse, ibique ad summam amplitudinem pervenisse.

Pag. 7. (5) Joannis Francisci Flisci haec filia fuit, qui tunc Ge-

nuae dominabatur: duodevigesimum agebat annum Francisca, cum Ludovico nupsit anno MCDXCVIII. ut patet ex epistolis Ludovici Electi Mantuani, quae inter schedas Vastallenses asservantur.

Pag. 9. (6) Qui fuerit natalis dies Scipionis ex Commentariis ejus non eruitur: quin neque annus pateret, nisi in Commentariorum autographo adnotatus ab eodem Scipione fuisset in margine. Ex libris autem Marii Crescimbenii de Italica Poesi Vol. 2. p. 2. lib. 4. p. 266., et ex titulo, qui Scipionis ipsius sepulcro inscriptus legitur, de quo infra in lib. IV. horum Commentariorum, docemur, eum anno MDXLII. XI. Cal. Dec. natum esse.

Pag. 19. (7) Itaque ex eo tempore Scipio etiam vestitu incessit eo, quo uti Clerici consuescerent: id autem facere incepit prid. non. Octobr. die S. Francisco Assisiati sacra: quod docemur ex epistola, quam triduo post Franciscus Ferdinandi filius ad Patrem dedit; ex qua haec habemus.

„ Io avviso V.Ecc.come e'l giorno di S. Francesco me vestette non „ solamente di abito: ma anco ho dato principio alli costumi de' buo- „ ni en megliori; (Et paucis interjectis,) „ Poi essendo io in abi- „ to clericale, et non avendo alcuno, che mi seguiti nel medesimo „ abito ho pensato scriver due parole a V. E. de vestir misser Giovan- „ ni mi maestro del medesimo abito „. Ex Shed. Vastall.

Pag. 19. (8) Desideratur tamen Francisci nomen in Historia Almi Gymnasii Ferrariensis, quam scripsit Ferdinandus Corsettus V. C. In ea enim, cum omnes illustres adolescentes Cl. Auctor recenseat, qui in Ferrariensi illa Academia instituti, alius alio aut doctrinae, aut honoris genere deinde floruerunt, Franciscum nostrum imprudens præteriit: qui sane, tum quia eo loco natus, tum quia purpurae honoribus deinde auctus est, inter praecipua illius Gymnasii decora erat recensendus. Ingenii autem laude claruisse Franciscum luculentissimo ex testimonio patet, quod Adolescenti egregio Hercules Gonzaga Cardinalis dedit, cum sacerdotia aliquot ei in Sicilia parare volens; (quod Franciscus in eo Regno natus esset, dum Pater ejusdem Ferdinandus pro rege Siciliam administraret,) his verbis scripsit ad eum, qui tunc Regi Catholico erat a confessionibus, ut ejus opera sacerdotia illa Francisco impetraret.

„ Il giovine, se ben non passa venti due anni, è di creanza, ed „ aspetto tale, che avanzano assai l'età, e gli anni suoi. Oltre che „ nelle lettere così Greche, come Latine, e nelle cose di Filosofia, alla „ quale in abito di prete ha dato, e da continua opera nello Studio di „ Padova, è tanto introdotto, e va facendo tal profitto, che promette „ di se una riuscita veramente degna del sangue suo „ Extat hoc monumentum in tomo 2. epistolarum ejusdem Herculis Cardinalis, quae in Biblioth. Estensi manu scriptae asservantur.

Pag. 20. (9) Multarum litterarum, et singularis pudentiae fuit Julius Gabriellius, vir nobilissimo genere Eugubii natus: quippe ex ea familia, quae ei urbi olim dominata est. Eo viro Hercules Gonzaga

Cardinalis a secretis usus est, eidemque Scipionem suum Latinis, Graecisque litteris tradidit instituendum. Multa illa, quae Gabriellius ex Graecis scriptoribus Latina fecit; Oratio, quam idem ad Patres Concilii Tridentini habuit; Epistolarum Latinarum liber, quem praelis Villetti anno 1569. Venetiis edidit, ac Scipioni nostro dedicavit, quod idem Scipio memorat, ostendunt, quantum vir hic clarissimus in utriusque linguae cognitione sit habendus: cum singula, quae ab eo scripta sunt, singularem hominis intelligentiam, ac scribendi elegantiam commendent. Huic igitur viro eximia illa Scipionis, cum in Latinis, tum in Graecis litteris praestantia accepta referri debet; nec minus illa vitae integritas, atque urbanitas, qua praecipue clarissimus adolescens commendabatur. Neque enim Gabriellius litterarum solum, sed morum potissimum, atque urbanitatis appositus magister Scipioni fuit. In quo nescio uter felicior a nobis sit judicandus; Scipio ne? qui litterarum, atque humanitatis omnis cupidissimus eum magistrum nactus erat, unde omnia haec affatim haurire poterat; an Gabriellius? qui in eum adolescentem inciderat, qui frenis potius cohibendus, quam calcaribus admonendus erat, cum ad omnem doctrinae, morumque laudem inflammato animo raperetur.

Non alienum erit afferre hoc loco Latinam epistolam, quam Gabriellius idem ad Scipionem adolescentulum scripsit, dum is, intermissis autumni tempore studiis literarum, apud Aemiliam matrem una cum fratribus rusticabatur. Patebit ex ea simul, et quo institutionis genere apud Herculem Gonzagam Scipio uteretur; et quam elegantem, doctum, ac benevolum magistrum idem in Gabriellio nactus esset.

JULIUS GABRIELLIUS

SCIPIONI GONZAGAE MARCHIONI S. P. D.

Homo caeterorum animantium praestantissimus, non ad ocium, vel ad jocum natus est, ac procreatus, sed ad contemplandum, et ad agendum; et quidem ea, quae digna sint tam excellenti natura, quae ipsi a Deo Opt. Max. tributa est. Mihi enim profecto non tam ociosi videntur ii, qui nihil vel contemplantur, vel agunt, quam qui ea, quae minime sunt homine digna. Id nimirum intelligentes Stoici, tempus sic definiebant, ut dicerent, χρονον ειναι κατηθυσεως: quod scilicet omne tempus, in quo aliquid non efficiatur, pereat, et pro nihilo sit habendum. Idem omnes omnium aetatum, atque gentium sapientes judicaverunt, et multis rationibus, institutis, factisque comprobaverunt. Itaque Romae M. Cato etiam in ipsa Curia, dum Senatores convenirent, Graecos libros lectitare solebat, et Lacedaemone Ephori si quem cessantem reperissent, eum clamoribus, conviciis, atque adeo verberibus male accipiebant: vere enim opinabantur, nihil Civitati perniciosius esse inertia, ac desidia. Quamobrem, si fieri posset, nunquam omnino cessandum, assidue nobis vigilandum esset, et ad graviora studia incumbendum; praesertim cum vitae no-

strae spatium brevissimum sit. Sed quoniam hoc imbecillitas humani generis minime patitur, dantur multae laborum intermissiones, animique relaxationes. Hinc somni, convivia, joci, ludi, spectacula, et hujusmodi alia. Judicatum est enim, vitam nostram his duabus rebus tempore susceptis maxime contineri, labore scilicet, et quiete; illo quidem tanquam proprio, quotidianoque cibo; hac vero, velut medicina, vel condimento: ita ut neque gravissimi viri dubitarint, ubi seriis rebus consuluissent, jocosis etiam temporis nonnihil tribuere. Nam et de Scipione, Laelioque audivit olim P. Crassus Q. Saevolam cum diceret, eos animi causa conchas, atque calculos ad Cajetam, Lucrinamque lacum legere consuesse; et de Socrate memoriae proditum est, non erubuisse tantum virum cum parvulis filiis quasi repuerascentem ludere arundine, quomodo fit, inter eos equitantem. Id ergo cum priscis illis temporibus severissimis non reprehenderetur, ne in aetate quidem provectis, dummodo tempestive, ac modice fieret; multo certe magis idem nunc concedendum erit adolescentioribus, permittendusque aliquis jocus, et ludus huic aetati; ne nimium compressa, aut ad maturitatem pervenire non possit, aut alieniore tempore vehementius se efferat. Haec, multaque alia tum assidua librorum lectione, tum longo rerum usu edoctus Hercules Cardinalis amplissimus, cum te, quae ipsius est humanitas, et in bonis ingeniis adjuvandis liberalitas, domi suae instituendum susceperit, omnem curam adhibet, ut non solum probis moribus, et interioribus litteris erudiaris, sed etiam musica, iisque musicae generibus exorneris, quae ingenuum hominem decent, et majoris momenti disciplinis nihil prorsus officiunt, ut habeas etiam facultatem ocii honeste traducendi, et animi a negotiis, curisque difficilioribus recreandi. Nam caeteras quidem oblectationes, et voluptates minus honestas novit ille praeclare rejiciendas funditus esse, et quasi infestissimos scopulos vitandas. Hae namque sunt circea illa pocula, hae homines in belluas convertunt, virtutumque omnium insignia extinguunt, et plane obruunt. Vera, ac solida voluptas ex sola virtute percipitur, non aliunde pendet, hominisque ea est propria, quippe quae propriam, et perfectam ipsius actionem consequitur: aliae serviles prorsus, atque adeo ferinae putandae sunt. Verum quia voluptatum desiderium pariter cum corpore exoriri videtur, estque nobis penitus insitum; recta autem ratio, et virtutes, ex quibus, ut diximus, incorrupta voluptas gignitur, non possunt sine longo tempore, multoque labore acquiri: hinc fit, ut plerique, decepti specie boni, a recta via deflectant, et falsas voluptates sectentur. Atqui deberent adolescentes, opinor, sicut in doctrinis addiscendis multis praeceptorum postulatis, vel praeter animi sui sensum assentiuntur, ita in conformanda vitae ratione rectis, ac fidelibus consiliariorum monitis fidem habere; et quamvis ipsorum appetitus aliter ferret, eas tamen veras voluptates ducere, quae tales existimantur a viris probis, ac virtute praeditis. Quemadmodum enim iis, qui adversa valetudine utuntur, res natura dul-

ces, amarae saepius videntur, sic qui mente sunt minime sana, ac perturbata, nequeunt de his, quae ad animum pertinent, recte judicare. Itaque standum est proborum virorum judicio, quo nos ipsi verae voluptatis sensum percipere possimus. Interim vero frenanda cupiditas, reprimendae libidines, perferendi labores, ad virtutem toto pectore contendendum. Quamobrem ego, ut libere loquar, soleo dissentire a nonnullis, qui videntur nescio quomodo vereri, ne ista vitae, ac disciplinae ratio, qua tu jampridem, eodem Cardinale autore, uteris, durior sit, et constrictior. Non est ita, crede mihi, vel potius ipsi. Novit vir sapientissimus, tuique amantissimus, vias adolescentiae lubricas esse, multasque ei illecebras, et escas malorum paratas videt; nec ignorat, cum mediocritas, in qua posita est ipsa virtus, facilius optari, quam comparari possit, satius esse ad alteram partem primum declinare, quae in minorem cadat vituperationem, et ad quam simus natura minus proclives, ac propensi, ut inde sensim nos retrahentes, ad ipsum medium accedamus. Quis autem nescit, omnes homines ad voluptates tam cupide ferri, ut qui eas nimis aspernetur, atque rejiciat, nemo fere inveniatur, ut ne nomen quidem omnino huic vitio impositum sit. Ille igitur prudentissime, amantissimeque facit, praesertim cum, pro ratione temporum, facultatem tibi non deneget animi tui his solatiis recreandi, quibus corroborentur, non extinguantur virtutum quasi igniculi, qui quidem in te perspicue lucent; quemadmodum nunc fecit, cum te ab Urbe, tamquam e carcere, rus emisit, ubi una cum praestantissima omnium femina Æmilia matre tua, et fratribus suavissimis, corporis, animique vires ex his caloribus colligas, atque reficias, ut eo firmior postea, et alacrior ad litterarum studia te referas. Interea autem ego quidem non putavi absurdum aliquid ad te scribere, ut quemadmodum Laelius ille cum Scipione suo solitus erat rusticari, ita ipse cum eo caeteris rebus minime omnium comparandus, amore certe, ac studio tui non longe fortasse inferior, etiam ruri tecum, mi ornatissime Scipio, quodammodo essem. Quanquam sentio, me benevolentia provectum, plura, et majora attulisse, quam hujus epistolae propositum postularet: quae si forte graviora fuerint, quam istius aetatis imbecillitas ferre posse videatur, acumine certe ingenii tui, et magno bonarum disciplinarum desiderio sublevabuntur: et quidem non erit inutile his jam vocibus aures tuas assuescere. Nam cum mirificam tui expectationem concitaveris, oportet, te nihil leve, aut vulgare meditari: praesertim cum natura tibi ingenium praestans dederit, disciplinam egregiam nactus sis, et patronum amplissimum, atque optimum, cujus praecipua voluntas, et spes, quam de te concepisse videtur, debet semper tibi in oculis atque in animo versari. Etenim licet intelligere, eum maximam spei suae partem in vobis duobus alumnis suis collocasse, in te, inquam, et in Francisco Ferdinandi fratris sui filio, qui nunc in Patavino Gymnasio magna cum laude, et praeclara ingenii existimatione bonis artibus, ac disciplinis studet. Atque id quidem ille non injuria: prospicit enim, fore, ut nomen suum per

vos posteris quoque commendetur, ipseque in vobis, tanquam in praeclaris suis operibus, etiam post mortem vivat quodammodo, et conquiescat. Quae ne eum opinio, et spes fallat, debetis vos (quod diligenter facitis) omni cura, industria, studio, labore eniti, atque contendere. Da operam valetudini, meque dilige. Mantua VII. Idus Quintilis MDLVII.

Pag. 10. (10) Et Donesmondius in sua Chronologia, et Amadejus in libro „ Serie de' Primicerii della Basilica di S. Andrea „ quam exhibet pag. 206. libri „ Fioretto di Stefano Giunta „ quem librum idem auctum edidit, cum de his duobus Primiceriis scribunt, non eos Gonzagas, sed Boschettios nominant. Hoc itaque Scipionis testimonio Scriptores ii videntur corrigendi. Nisi forte major fides habenda ducatur iis, quos saepe errasse novimus, cum de rebus Mantuanis scripsere, quam Scipioni, qui et illa aetate vixit, et in Archidiaconi munere Galeatio avunculo suo successit. Praeterea in historia manu scripta Pauli Floretae, quae Virorum illustrium familiae Gonzagae elogia habet, quaeque aetate ferme Scipionis scripta est, haec leguntur in Scipionis elogio.

„ In questo mentre Gio: Maria Gonzaga, uomo di Chiesa, e Pri-
„ micerio di S. Andrea di Mantova, dignità principale dopo quella
„ del Vescovo, desideroso di rinunziare all' abito religioso, e di
„ godere una libertà secolaresca, effettuò il desiderio suo, cedendo
„ tale prelatura al fratello Galeazzo, in quei tempi Archidiacono
„ nella Cattedrale di Mantova: per la qual cessione il Car-
„ dinal Ercole adoperossi, che Paolo IV. nominò Scipione Archi-
„ diacono di detta Chiesa „

Ad haec illud addatur, quod nos Sigismundi Gonzagae, qui etiam Aemiliae frater fuit, epistolas plures habemus ad Vespasianum Gonzagam scriptas, in quibus idem et Aemiliam, Scipionis Matrem, Sororem suam vocat, et se numquam Boschettium, semper autem Gonzagam inscribit. Quae omnia satis esse videntur, ut etiam Campanae corrigatur error, qui in Genealogia Gonzagarum describenda Aemiliam non Gonzagam, sed Boschettiam Gautiam nominat, a quo fortasse Donesmondius deceptus est, qui ut in sua Chronologia Aemiliae Fratres Boschettios dixit, sic in Vita Francisci Gonzagae Aemiliam ipsam Boschettiam appellavit.

Pag. 24. (11) Non ex Scipione solum cognoscimus, Herculem Gonzagam in eo fuisse, ut in comitiis illis prope Pontifex Maximus eligeretur; sed hoc ipsum perhibet etiam Julius Castellanius in ejusdem Herculis vita, quam adjecit libro, cui titulus „ Componimenti vol-
„ gari, e Latini di diversi in morte del Cardinal Ercole Gonzaga
„ Mantova appresso Giacomo Ruffinelli; ediditque anno 1564. „ Praeterea ex Schedis Vastallensibus deprehenditur, etiam manasse per Italiam, ac vulgo creditum, illum vere Pontificem creatum fuisse. Afferre ex his schedis placet epistolam, quam Franciscus Estensis, qui id crediderat, gratulandi gratia dedit ad Caesarem Gonzagam Melficti Principem, ac Vastallae Dominum XV. Cal. Novem. MDLIX. Ferrariae.

„ Avendo inteso con mio grandissimo piacere in quest' ora Monsi-
„ gnore Illustrissimo suo essere stato meritamente creato Papa, non
„ ho voluto mancare di rallegrarmene con V. Ecc. col mezzo della
„ presente, che le sarà portata a posta dal presente mio Staffiero „

Tribuendum autem ipsius Herculis voluntati fuisse, quod res illa successu caruerit, ut a Scipione, ita etiam docemur ex epistola, quam Bernardinus Pia 3. Idus Nov. ejusdem anni ad eundem Caesarem his verbis dedit.

„ L' atto che cristianamente, e santissimamente fece l' altro di
„ Monsignor Illm̃o, e Rm̃o con i Cardinali adherenti in esortarli a non
„ volere stare più oltre fermi nella persona sua, ma a pensare a fa-
„ re un buon Papa, acciò non patisca più oltre tanto detrimento la
„ Cristianità, è stato da chi ha poco giudizio interpretato diversamen-
„ te da quel, che si deve, e che merita così gran bontà: ma dagli
„ uomini, che hanno congiunto il giudizio col timor di Dio, è stato,
„ ed è tenuto per santissimo etc. „. Ex Sch. Vastall.

Herculem Cardinalem imitatus est paullo post Cardinalis Carpensis, verum nec voluntate pari, nec eadem de causa: siquidem quod ille ultro, ac nemine impellente fecerat, hic necessario facere fuit coactus: quod etiam ex altera ejusdem Piae epistola patet, quam VII. Cal. Jan. ad eundem Caesarem dedit.

„ E ben vero, che quella del Cardinal nostro fu volontaria, e sen-
„ za condizione, e fatta nel colmo delle speranze sue; et quella di
„ Carpi è stata forzata havendo vista la rottura di Farnese, et Ca-
„ raffa esser seguita per conto suo „ ex iisd. Sched.

Pag. 25. (12) Nimirum Camillam Borromaeam, feminam lectissimam, ac Caroli Borromaei Cardinalis, Viri sanctissimi, sororem.

Pag. 26. (13) Quamvis dubitare debeat nemo, quin certissima sint, quae hic de Herculis perseverantia in detrectando Tridentinae legationis munere perhibentur a Scipione: praesertim cum paullo ante visum sit, quo Hercules fuerit animo in Pontificatu ipso, qui maximus honorum est, recusando: tamen quo clarius pateat, nihil esse hac clarissimi viri virtute testatius, proferemus ex iisdem Schedis Vastallensibus, quae ad hanc rem apertius declarandam pertinent: Ac primum ipsius Herculis ad Caesarem Gonzagam epistolam datam Tridenti postridie Cal. Jan. A. MDLXI.

„ Illm̃o Signor Figliuolo caro.

„ Non ho ricevuto lettera da V. S. dopo che sono in questo tra-
„ vaglio della legazione al Concilio, che mi sia piaciuta, salvo que-
„ sta de' xx. del passato, nella quale mi scrive di aver parlato a No-
„ stro Signore; et che, se ben Sua Santità aveva preso sdegno della
„ mia ricusazione, per le cause, che ella aveva addotte; nondime-
„ no finì il ragionamento dicendo; che mireria in levarmi questo pe-
„ so da dosso: che è appunto quella cosa, che sopra tutte le altre
„ desidero; non per non voler obedire, ma per non aver quelle
„ parti, che a tanto carico si convengono. „

In altera vero, quam ad eundem dedit prid. non. ejusdem mensis sic scribit.

„ Persevero nella medesima opinione, non ostante quello, che
„ Nostro Signore mi ha scritto, et Monsignor Illm̃o Borromeo, et
„ V. S., risoluto più tosto di patire qualsivoglia male, che di metter-
„ mi ad impresa, la quale sappia certo di non poter sostenere secon-
„ do il bisogno della Chiesa di Dio „

Alia item epistola est Bernardini Piae ad Caesarem missa IV. id. Jan. ejusdem anni, ex qua cognoscimus etiam, quae voluntas Pontificis in eodem Viro legando fuerit.

„ Continua pur tuttavia il Papa in voler legato del Concilio Mon-
„ signor Illm̃o, e Rm̃o nostro, con quanto repugni Sua Signoria Il-
„ lustrissima di volere accettare il carico: et dopo di aver letta la lette-
„ ra scrittagli ultimamente dal Signor Cardinale, la Beatitudine Sua
„ ha detto: „ Volemo pubblicarlo legato al primo Concistoro: andarà
„ bene, andarà bene „ ex Sch. Vastall.

Pag. 32. 114) Qui Herculis Gonzagae Cardinalis virtutes noscat, ac prolixam ejusdem in Scipionem suum voluntatem, haud certe mirabitur, ex tam luctuoso occursu, qui acerbissimi funeris indicium esset, tanto dolore Scipionem fuisse affectum, utpote qui uno tempore, et tam exploratae virtutis exemplis se orbatum videret, et dum fortunae cursum initurus esset, tam experientem ducem amisisse cognosceret. Ac dolorem quidem suum Scipio versibus elegantissimis testatus est, quos hic placet referre, cum ex iis et singularis clarissimi adolescentis in poetica laude praestantia, et grata ejusdem in patronum suum beneficentissimum voluntas mirifice pateat.

Son questi, in cui si spazia orrida morte,
Quei chiari lumi, che con guardo altero
Dal cieco Mondo all' erto almo sentiero
Del Ciel mi fur benigne, e fide scorte?
Son queste, ch' ora scorgo, e fredde, e smorte,
Le mani invitte, che con giusto impero
Tenner tant' anni il patrio scettro, e fero
Cader già più d' un mostro audace, e forte?
E' questa quella venerabil chioma,
Che, come d' ostro, ancor di gemme cinta
Sperò lieta veder l' antica Roma?
Ben l' usata figura, oimè, ne avanza,
Ma 'l vigor giace, e con lui giace estinta
La pietà, la giustizia, e la speranza.

Legitur hoc epigramma in libro „ Raccolta di Componimenti degli Accademici Invaghiti in Morte del Cardinal Ercole Gonzaga „ quorum carminum Syllogen una cum ejusdem Herculis vita Julius Castellanius edidit. Nec tamen in orbitate sua animum despondit Scipio: quin illud noscens, suos cuique mores fortunam fingere debere, ex eo tempore ita est erectus, ut fortunae injuriam industria sua sibi statuerit compensandam, ac propriis viribus ad eam laudem esse enitendum, in qua paranda Herculis favore haud amplius uti liceret. Itaque ex eo tempore is uti emblemate illo coepit, quo nihil accomodatius, erat

cum ad solitudinem, tum ad constantiam suam significandam. In eo enim Triremis expressa cernitur quae,contractis velis,quod ventis in medio mari destituta sit, remorum ope provehi nititur, habetque epigraphen „*propriis nitar* „. Atque hoc est emblema, quo cusum eidem Scipioni,, numisma,, illud fuit, quod exhibetur et in Museo Mazzucheliano, et in Eruditis Epistolis Affonianis „ Delle Zecche e monete di tutti i „ Principi di Casa Gonzaga, che fuor di Mantova signoreggiarono „ et iterum, Eminentissimi horum commentariorum Editoris cura in fronte libri IV. expressum cernitur. Hoc de Emblemate sic Torquatus Tassus in Dialogo suo „ Delle Imprese,, pag. 63. scripsit.

„ Il Sig. Scipion Gonzaga dignissimo molt'anni prima di questo grado, a cui lo ha inalzato il suo proprio merito, e la nobiltà degli antecessori essendo abbandonato dal favore della fortuna, o per la morte del Cardinal di Mantova, o per le discordie intrinseche della sua casa, prese per impresa la Galea, alla quale essendo mancato il vento, si avvolgono le vele, e si prendono i remi col motto, *propriis nitar*,, Etiam Hercules Tassus in suo „ Trattato della realtà, e perfezione dell' imprese „ haec habet.

„ Singolarissima fu nella dianzi detta proporzione il *propriis nitar* „ con nave c'ha le vele avvolte di Scipione Cardinale Gonzaga; il „ quale abbandonato dal suffragio sperato, si propose farsi da se la „ fortuna sua col proprio valore siccome fece „ Verum (ut erant tempora illa, in quibus et plurimi res hujusmodi fiebant, et magna ingenii vis in iis Emblematibus excogitandis declarari putabatur) nemo de Scipioniano emblemate fusius scripsit, quam Camillus Camillius apud Simeonem Birallium in volumine I. cui Titulus „ Imprese scelte „ pag. 50. cujus verba referre hic etiam placet: neque tam quod eam rem pluribus illustrari censeam oportere, quam quod Camillius nonnulla de Scipione nostro commemorat; quae plane digna quae noscantur sunt, ac praeterea quia hoc Camillii testimonium nobis ad alia loca illustranda esse usui debet.

„ Tratta dall' arte è ancor quella impresa, ch' io vi porto „ appresso. Una Galera, che con le vele calate dà tuttavolta de „ remi in acqua, e dice: *Propriis nitar*. Il nome dell' Autor di que„ sta Impresa solamente può far piena fede senz' altro argomento del „ pregio di essa in ciascuna sua parte. Imperoche del singolarissi„ mo ingegno del Signor Scipion Gonzaga era uscita già più tempo. „ Per la quale non mostrava, secondo me, di voler altra cosa di „ se al mondo scoprire, e dello intendimento del suo cuore, se non „ che, siccome il predetto Vascello e strumento da solcar l' aque „ marine adopera, e le vele, quando il vento gli presta favore, a con„ durla con molta agevolezza al luogo destinato, ed i remi, che „ con arte ingegnosa, e grandissima fatica pur là medesimamente la „ fanno pervenire, non ostanti l' onde turbate, e rigogliose, che „ minaccian di romperla, e di sommergerla nella loro oscura pro„ fondità: parimente il nominato Signore conoscendo bene il mare „ della nostra vita non si varcare sempre mai, anzi molto di ra-

„ do passarsi quieto , e tranquillo , per gli affari humani , che più
„ constrastanti , e feroci assai si pruovano , che favorevoli , e man-
„ sueti ; egli al cessare de favori del mondo , intesi ottimamente , e
„ communemente per le vele gonfiate dal vento , non si smarriva
„ nel cuor suo , per l'onde turbate , e tempestose ; ma volgendosi
„ a quella , che è proprio veramente dell' uomo degno di tal nome,
„ metteva la mano della considerazione all' opera della prudenza,
„ della costanza , della sofferenza , e della vigilanza coll' altre for-
„ ze , ch' usar deonsi in ischifare , o sopravanzare i pericoli , e le
„ percosse , che si ricevono giornalmente da chiunque vive in que-
„ sto infedele pelago mondano . E come queste parti , e virtù son
„ proprie dell' uomo , e non d' altro animal terreno ; così egli pro-
„ pri suoi arnesi gli addimandava , e da se stesso pendenti , e non
„ altronde venenti , o altrove riguardanti . Questo così fatto intendi-
„ mento si viene a render tanto lodevole , quanto conosce bene ogni
„ nobile intelletto , esser molto più degno di lode colui , che le sue
„ operazioni compisce , e scuopre , che siano uscite anzi dalla virtù,
„ dall' ingegno , e dalla studiosa esercitazion propria , e veramente
„ di lui stesso ; che a colui già non avviene , al quale venga soccor-
„ so di fuore , e spiri favor , e grazia d' ogni intorno . Savio dunque ,
„ ed accorto proponimento alla sua vita venne lo scoperto così fat-
„ to per la predetta Figura , e parole da quel coraggioso altrettanto ,
„ che studioso , ed ingegnoso Signore . Il quale divisamento , e di-
„ segno , così è più da essere preggiato , come s' intende essere stato
„ ottimamente colorito da lui ; sicchè fu di quelli , che non men
„ bello è riuscito nel riporsi in opera , che si fusse nel linearsi :
„ mentre ch' esso , doppo chè gli venne meno per morte il molto
„ benigno favore portogli sempre mai da Ercole il vecchio, Cardinale
„ di Mantova ; mostrò , che non gli mancasse già animo , nè ardire
„ di saper reggersi degnamente , e saviamente governarsi . Nella
„ quale intenzione par , che si venga insieme scoprendo , non men
„ lodevole la memoria , ch' esso Autore mostrò sempre di tenere
„ d' esso Cardinale , e la divozione , che manifestò verso i gran me-
„ riti di lui ; che la molta costanza propria , e la fermezza nelle
„ cose avverse . Le quali parti , e virtù ha di poi così avuto bisogno
„ di dover mandare ad effetto , che nel eleggersi , che ei fece di que-
„ sta impresa , parve , che ei si formasse proprio il pronostico di
„ quanto egli ha da poi incontrato . Perciochè , se in molte occorren-
„ ze seguite colla sua mera virtù , ed ingegno saputo non si fosse
„ ajutare e reggere diritto in piedi , agevolmente sarebbe forse ca-
„ duto a basso . E queste per avventura furono le cagioni , che nell'
„ Academia degli Eterei dato gli fu il nome dell' *Affannato* ; nome,
„ che suona conforme a quegli accidenti , che tanto gli recaron da
„ fare , e conforme all' uso proprio del legno , a cui si convien sol-
„ car l' acque del mare , tutto a forze di braccia , e di remi vogan-
„ do , onde è detto di simili vogatori , che si portano il vento ne'
„ remi , e nelle proprie mani . Nè perciò si dovrà dire , che altri

„ quì scoprisse alcuna arroganza, o prosunzione di se medesimo: „ mostrando forse, che si fidasse tanto in se stesso, e nel suo valore, che egli togliesse, o non curasse della grazia del grande „ Iddio: poichè non si dice già: *perveniam*, o *vincam*, od altro „ concetto tale; ma *nitar*: cioè sforzarommi, e farò ogni opera, „ ch' in me sia, e di me uscir possa; lasciando poi, e fidanza riponendo, ch' il vero ajuto dal Signore Iddio debba venire; il quale „ non abbandona mai quelli, che dirittamente confidano in lui; ed „ occupano se medesimi nelle nobili, e giuste occupazioni in questa vita. Ma quanto bene fosse governato così savio proponimento da quel valorosissimo Signore, e Principe, e come bene „ coll' ingegno, e destrezza sua sapesse guidare la barca della sua „ vita, guardisi ultimamente al felice porto, dove si vide condotta doppo le tempestose procelle superate, e gli aspri scogli per lui „ schifati in questo così pericoloso Egeo del Mondo, e vedrassi con „ effetto, che appresso al degno titolo di Patriarca di Gerusalemme „ ottenne la dignità, e 'l grado quasi supremo in Santa Chiesa del „ Cardinalato; al quale, per memoria d' huomini, non pervenne „ mai persona con maggior desiderio, contento, e speciale allegrezza dell' universal delle genti, di quello è cosa notissima al mondo, non che a Roma, che lo vide, esservi arrivato lui. Così come „ altrettanto è cosa nota in quanto dolore poco appresso n' habbia „ lassato l' uno, e l' altra (si fatte sono le contentezze humane) „ con la sua mortal partenza; ma però indrizzato verso le divine „ allegrezze, e perpetue felicità, come ne giova sperare certamente.

Ex Scipione Bargaglio autem noscimus, eum non *l' Affannato* in Aethereorum Academia appellatum fuisse verum *l' Ardito*, cum alterum illud nomen sibi fecerit in Academia *degli Invaghiti*, quam etiam ut mox videbimus suo nomine ornavit, ac propterea epigramma illud, quod supra exhibuimus, inter ea carmina legitur, quae ab hoc Academicorum coetu in Herculis Cardinalis morte prodiere.

Pag. 36. (15) De Aethereorum Academia, quam ex lectissimis ingeniis constituit Scipio, plura a multis scripta sunt, quos in libro IV. horum commentariorum videre est, ubi de ea nos etiam scribimus. Hic tantum liceat animadvertere, errasse Erythraeum in sua Pinacotheca, cumque eo Quadrium in Lib. „ Istoria, e ragione di ogni volgar Poesia „ caeterosque etiam, qui eos sunt sequuti, cum Aethereorum Academiae initia statuerunt anno MDLXVII. Hi fortasse, quod viderint, horum Academicorum carmina hoc anno Patavii in lucem prodiisse, idcirco arbitrati sunt, ibidem hunc coetum tum primum haberi esse coeptum. At vero cum sciamus Scipionem eodem hoc anno Patavio discessisse; cum videamus, quae idem de illorum Academicorum numero scribit, scribere anno MDLXIII., hunc enim annum ipse in margine autographi apposuit; cumque praeterea notum sit, anno ab illo proximo MDLXIV. Carolum Donium opus suum De Picturis Aethereorum Academicorum nomini inscriptum protulisse, quod etiam Apostolus Zeno animadvertit in libro „ Note alla Bibliot. del Fonta-

nini „ tom.2. pag. 412. intelligimus etiam, hos Academicorum coetus haberi primum coepisse anno MDLXIII. Verum privatim tantum eos hoc anno coactos fuisse dicendum est: etenim cogi palam coeptos esse nonnisi anno proximo MDLXIV. declarat Stephani Sanctinii Oratio Venetiis hoc anno apud Bevilaquam edita, cui titulus „ Stephani Sanctinii Corneliani Oratio pro Aethereorum Academiae initio Patavii „ habita kal. Jan. MDLXIIII. Illustrissimo Scipione Gonzaga Principe „. Hujus academiae insigne est Currus alatus cum suo auriga, qui geminis equis in caelum rapitur; horum alter albo colore est, alter fusco, at hic ruenti similis, ille vero in altum assurgenti. Auriga flagello elato, pronus ipse, atque increpitantis instar, pendet in verbera. Epigraphe haec est „ *Victor se tollit ad auras* „ Emblema hoc in fronte libri I. horum commentariorum graphice vides expressum.

Neque Aethereorum Academia solum hoc anno initia habuit, verum illa etiam, cui nomen „ *Degli Invaghiti* „ quidquid secus alii opinentur: de qua miror nihil memoriae a Scipione proditum in iis commentariis fuisse, praesertim cum ille suo nomine hoc collegium etiam ornaverit idemque saepius officiis juverit, et auctoritate. Etenim, et in Schedis Vastallensibus epistola extat Scipionis, qua ipse gratias Academicis illis agit, quod in illorum numerum fuisset cooptatus, seque id summo honoris loco ponere profitetur; et ex alia item Stephani Sanctinii epistola docemur, ejusdem Scipionis auctoritate perfectum esse ut Hieronymus Ruscellius, qui de Academicis illis obloquutus, graviter cum apud ipsos, tum apud Caesarem Gonzagam ejusdem Academiae auctorem offendisset, purgare se apud Caesarem, atque Academiam ejus debuerit. Praeterea, ut supra memoratum est num. 14., Scipionis Epigramma in Herculis Cardinalis mortem legitur inter carmina illa, quae in ejusdem Cardinalis parentalibus ex hac Academia prodiere: de qua plura persequi non est necesse, cum in Bernardini Marliani Vita, quam Irenaeus Affò scripsit, omnia quae ad eam pertinent luculenter exposita legi possint. Horum Academicorum emblema fuit Aquila Solem intuens cum epigraphe „ *Nil pulcrius* „ quod emblema idcirco in fronte libri II. repraesentatum est, ut appareat, hunc etiam coetum a Scipione fuisse ornatum.

Pag. 52. (16) Ex Diomede Borghesio cognoscimus, Doctoris Lauream Scipionem accepisse x. cal. Martias anni MDLVI. Hujus autem clarissimi viri monumentum nullo modo est hic omittendum, cum hujusmodi habeat Scipionis elogium, quod cum iis conferri possit, quibus M. Antonius Muretus, et Hippolytus Capilupius, viri doctissimi, singularem egregii adolescentis virtutem honestarunt, ut videre est in IV. horum commentariorum libro, ubi ea a nobis relata sunt. Hac igitur epistola Borghesius Scipioni inscribit partem V. carminum suorum, quae praelis Laurentii Pasquati Venetiis sunt impressa.

„ Avendo io già meco stesso conchiuso di dedicar queste rime a „ chi della Poetica avesse cognizione: mi son finalmente risoluto di consacrarle a V. S. Illma; perciocchè nella Latina, et nella nostra Toscana bellissima poesia cotali frutti avete prodotto, che gli uomini

„ giudizioſi ſtanno in dubbio ſe al voſtro Marone, et al noſtro Petrar-
„ ca dare il primiero luogo oggi ſi debbia. Non mi inoltrerò in rac-
„ contare quanto tra i maggiori Filoſofi voi ſiate ſtimato, eſſendo
„ meglio (come volgarmente ſi dice) tacere, che dirne poco; nè in
„ far paleſe quanto nella ſacra Scrittura, habbiate fatto profitto, avendo
„ voi dianz' ieri, mentre che dal nobiliſſimo Collegio Padovano, aſ-
„ ſentendo ciaſcuno, foſte al dottorato aſſunto, con mio grandiſſimo
„ piacere, e con altiſſimo ſtupore di tutti gli aſcoltanti dimoſtro,
„ che in coſi verde età (che a XXII. anni ſiete a pena arrivato) perfet-
„ to Teologo eſſere ſi poſſa. Et come voi eloquentiſſimo ſiate, et
„ tutte le migliori ſcienzie poſſediate, vieppiù dai voſtri coſtumi,
„ (ſiccome di Socrate parlò Seneca), che dalle parole dottrina ap-
„ prende chi voſco familiarmente converſa. Di maniera che poſcia
„ che io ſono venuto a Padova, per fare ſtampare queſto mio poema
„ in caſa di V. S. Illma dico ſecuramente con Claudiano.

„ La preſenza minor rende la fama.

„ Si conoſce dunque apertamente, che voi ſiete degniſſimo figlio
„ del glorioſo, et ſempre nelle altrui lingue vivo Sig. Carlo da
„ Gazzuolo, a cui nell'arme omai ſi agguaglia il valoroſiſſimo Sig.
„ Pirro voſtro fratello, col quale voi prendendo la ſcorta delle lettere
„ di pari in verſo l'eternità camminate „.

Quod ſane teſtimonium, ob eximiam hominis, a quo profe-
ctum eſt, claritatem, plurimi a nobis faciendum eſſe nemo non videt.

Pag. 71. (17) Ita porro Franciſcus Scipionis frater et innocentia, et aſperitate vitae, et rerum admirandarum claritudine illuſtratus eſt, ut miraculis etiam inſignis fuerit, et inter praecipua religioſiſſimi illius Ordinis, cui nomen dedit, lumina recenſeatur. Summus Magiſter, poſt omnium honorum gradus, familiae Franciſcanae factus, multis commodis ordinem auxit ſuum. A Pontificibus Maximis, a Regibus ob eximiam, qua illuſtrabatur, ſanctitatem, et in rebus gerendis prudentiam, in graviſſimis negotiis tranſigendis adhibitus legationibus ſuis magno uſui cum civili, tum Chriſtianae rei fuit. Tum Epiſcopus creatus, Cefaludenſem primum Eccleſiam in Sicilia, deinde Ticinenſem, ac demum Mantuanam multos annos in exemplum rexit, religionis ſtudio, vigilantia, liberalitate, providentia, Epiſcoporum, qui ſanctiſſimi in Eccleſia habiti ſunt, exempla non imitatus ſolum, ſed etiam aemulatus. Clariſſimi hujus viri vitam ſcriptis perſequuti ſunt Caeſar Saccus Mantuanus, et uberius Hippolytus Doneſmondius, eamque edidere alter Mantuae per Oſannas A. MDCXXIV. alter Venetiis per Sarſinam A. MDCXXV. Praeterea multa de hujus viri virtutibus memoriae conſignata inveniuntur cum in Chron. Ord. Fratrum Franciſcalium, tum in Hiſtoriis Mantuanis.

Pag. 106. (18) Corrigendus itaque eſt Doneſmondius (niſi forte id oſcitantis Typographi incuriae tribui velit,) qui in Vita Franciſci Gonzagae lib. I. pag. VI. narrat, Alfonſum anno MDLXXIX. mortuum eſſe: cum ex Scipione cognoſcamus, eum anno MDLXIX., decem nempe ante annis, Turonis interiiſſe.

Pag. 133. (19) Legenda est vita Joannis Francisci Commendonii Cardinalis a Gratiano Scripta ex qua lib. 3. cap. 8. patet, hanc exortam inter Pium, ac Maximilianum Cesarem controversiam diremptam fuisse partim eloquentia Commendonii, qui apud Caesarem Pontificis factum defendit, partim pecunia, quae a Cosmi filio Caesari ob eam causam persoluta est.

Pag. 190. (20) His omnibus, quae in eo libro de tota, hac controversia inter Scipionem, et Guillelmum Ducem Mantuanorum, cum vere, tum dilucide perhibentur, pronum est ea refellere, quae minus distinctene dicam, an vere, an utrumque? de Gazoli, ac Dosuli turbis Possevinius narrat in Historia familiae Gonzagae: qui sane scriptor, ut Guillelmum ornet suum, nihil pensi habet et Scipionis, ejusque fratrum laudi, et causae ipsius veritati deesse. Apparet praeterea causa, propter quam Scipio non Caesaris, ut Morerius perhibet, sed Caroli filius, a Gregorio XIII. in custodiam ire jussus fuerit, quam causam idem Morerius in dictionario suo reticet.

Pag. 200. (21) De Bartholomaeo Caranza, deque tota illa causa, quae tunc est agitata, et a multis scriptum est, et multa etiam scripta. Nullius autem scriptoris auctoritas gravior videtur habenda, quam Scipionis, tum quia vir prudentissimo judicio fuit, tum etiam quia spectator interfuit. Ex his igitur, quae ab eo viro litteris hic consignata leguntur, magnam lucem habere illa possunt, ut nos totam illam causam plane perpectam habeamus.

Pag. 207. (22) In historia manuscripta Ordinis S. Francisci, cui Titulus „ Cronica dei XXIV. Generali dell' Ordine minoritico „ Haec in vita Fratris Eliae habemus.

„ Hic Frater Helya Generalis circa annum MCCXXXVIII., ut dicit
„ Frater Bernardus de Bessa in Chronica Generalium, vocato Romam
„ Capitulo generali, postquam illam duplicatam Ecclesiam Assisiis cum
„ campanis, et campanili perfecit, fuit a ministerio absolutus „.

Quo ex monumento, ut deceptum vulgi opinione Scipionem fuisse patet, qui triplici ordine Assisii templum constructum dixerit; ita et illud cognoscitur, hanc opinionem non a primis illis temporibus, quemadmodum putabatur, sed posteriori aetate ortam esse, et paene ad haec nostra tempore in vulgus manasse. Caeterum in exploratu est, in fimum illum templi ordinem, qui positus infra terram credebatur, commentitium omnino esse, ac nullo unquam tempore extitisse. Ex Sched Car. Val. Gonz.

Pag. 211. (23) Aemiliae sepulcro hic est titulus inscriptus.

AEMILIAE · GONZAGAE · MARCHIONISSAE
MVLIERI · ET · EXIMIA · CORPORIS · PVLCRITVDINE
ET · VIRTVTE · ANIMI · AC · CONSILIO
ADMIRABILI · PRAEDITAE
QVAE
A · CAROLO · GONZAGA · AETATE · FLORENS
VIDVA · RELICTA · PVDICISSIME · VIXIT
PARVVLOS · LIBEROS
ET · QVAE · EORVM · DITIONE · TENEBANTVR
SAPIENTISSIME · GVBERNAVIT
QVAEQVE · SACELLVM · HOC · SALVTIFERAE · CRVCI
DICAVIT · AC · DOTAVIT · IN · EOQVE
HOC · SEPVLCRVM · SIBI · LIBERISQVE · SVIS
POSTERISQVE · EORVM · EXTRVXIT
PYRRHVS · SCIPIO · FERDINANDVS · ET
IVLIVS · CAESAR · MARCHIONES
ET · SACRI · ROM. IMPER. PRINCIPES
FILII · SVPERSTITES · MATRI · OPT. MERITAE
P. P.
VIXIT · ANNOS · LVI. MENS. II. DIES. IV.
OBIIT . III. NONAS . APRILIS
ANNO . MDLXXIII.

Pag. 223. (24) Sive a Pomponianis castris (ut ait Scipio), sive a Pomponiorum aliquo praediolo, ut ego suspicor: Graecae enim inflexionis *iscos* est, et sic diminutiva aliqua a Graecis efferuntur: gens vero Pomponia et Graecorum hominum, et studiorum cupidissima fuit: sive, ut alii putant, a Pompejorum familia nomen Pomponisco fuerit; illud certe extra omnem controversiam positum videtur, et vetustissimam hujusce oppidi appellationem esse, et a Romanis manasse. De Pompejorum gente quidem aliqua in eo oppido vestigia inventa sunt: at non item de Pomponiis castris, quorum, si loci appellationem excipias, nulla praeterea nobis indicia extant. Ad Pompejorum familiam Sarcophagum illud pertinet, quod olim Pomponisci inventum fuit, diuque ibidem servatum; nunc vero Museum Mantuanum ornat, ejusque Sarcophagi inscriptio una cum caeteris titulis, qui in eodem Museo sunt, edita est, quin tamen ulla mentio Pomponisci facta sit, unde illa prodiit, quae facienda esse omnino videbatur. Est haec autem inscriptio.

POMPEIAE · CELERINAE
Q · POMPEIVS · PRIMVS
D. ET · POMPEIA · THYMELE M.
PARENTES · FIL. INCOMPARAB
VIX. ANN. XIX. M. XI. D. V.
ET · SIBI · VIVI · FEC.

Irenaeus Affò primus omnium de hoc monumento loquutus est tum in libro „ Dissertazione su la vera origine di Guastalla „ tum in epistolis suis „ Delle zecche, e monete di tutti i Principi di Casa Gonzaga, che fuori di Mantova signoreggiarono „ ubi de numismatibus Pomponisci cusis disserit.

Julius Caesar Scipionis frater hujus oppidi Dominus Pomponiscum multis locis munivit, atque ornavit, idemque anno MDLXXVIII. arcem illam aedificare est aggressus, quae nunc eo in oppido extat, ut inscriptio docet, quae in eadem arce legitur.

IVLIVS · CAESAR · GONZAGA
MARCHIO
S. R. I. PRINCEPS
AC · CAESARIS · POCILLATOR
ANNVM · AGENS · XXV.
ANNO · GRATIAE · MDLXXVIII.
III · CAL · MAIAS
PRIMVM · HVIVS · CASTRI · LAPIDEM
POSVIT

Pag. 223. (25) Vitelliana, quae nostro sermone nunc *Viadana* appellatur, a multis quidem nomen a Vitellianis castris creditur habuisse; idque etiam Scipio arbitratus est: verum cum de Vitelliana in historiis nullum vestigium appareat, res non ita certa est, ut dubitari de ea origine nihil possit. Nos certe non ante annum MLXXVII. ejus oppidi nomen in monumentis innotescere coepisse deprehendimus. Siquidem hoc legimus primum in Diplomate Henrici IV. Caesaris anni MLXXVII. quod a Ludovico Muratorio vulgatum est in Antiquitatibus Estensibus Par. I. c. 7. pag. 40. ibi enim haec habemus „ In „ Comitatu Brissiensi, Casale Majore, Videliano, Pomponesco. „

Pag. 263. (26) Scipionem non modo non petentem, sed nec opinantem quidem, civibus omnibus plaudentibus, a Sixto quinto, qui virtutem hominis probe nosset, ultro Patriarcham Jerosolymitanum renunciatum fuisse, docet etiam Antonii Querenghi epistola ad Nicolaum Barisonium Canonicum Patavinum, Scipionis amicissimum; quam afferre placet, cum ex ea intelligi possit etiam qui sensus fuerit Civitatis universae cum Clarissimum Virum eo honore auctum vidit, et quae de eodem expectatio fuerit excitata.

„ Lunedì S. Santità dichiarò Patriarca di Gerusalemme con universale esultazione, ed applauso il Sig. Scipione Gonzaga, il quale ne „ è restato consolatissimo, per essere questa un arra di cose maggiori, „ e per essersi mosso il Papa da se medesimo a dargli questa onorevolezza. Stette però per un giorno detto Signore con grande ansietà, perchè nel medesimo Concistoro Sua Santità determinò, che de caetero „ ognuno, che asseguisse dignità alcuna, verbi grazia, Vescovati, e „ Cardinalati, perdesse ipso facto ogni Benefizio, ed Uffizio venale, „ che avesse. Ma uscì di questo travaglio con molto onor suo, e „ si crede certo, che fra poco tempo sarà adoprato, ma non in Polonia „ Ex Sched. March. Caroli Valentii Gonzagae.

Plures praeterea inveniuntur epistolae ad Scipionem hoc tempore a multis gratulandi gratia scriptae, quarum singulas referre supervacaneum duco; cum nihil habeant, quod videatur magnopere ad haec ipsa illustranda pertinere. Illa vero, quae minime praetereunda censeo, sunt ea, quae a Torquato Tasso scripta ad Scipionem patronum, et amicum suum studiosissimum habemus, cum is etiam, quod ille novo honore honestatus, tanta dignitate auctus esset, gratulandi gratia dialogum „ De dignitate „ scripsit, gravem sane, ac nobilem, eumque Clarissimi Viri nomini nuncupavit. Praeterquam enim Epistola, qua Torquatus Scipioni Dialogum inscribit suum luculentum illius habet elogium, ita etiam sapienter de Episcopatu ipso loquitur, ut his temporibus praesertim, quibus inter nos haec ipsa agitantur, operae pretium sit ea quoque legere, quae a poeta hoc eximio scripta sunt. Hanc Torquati Epistolam ut hic iterum proferam, auctor mihi est etiam Ioannes Vincentius Bolgenius, Vir doctissimus, qui hoc ipso tempore, quo haec scribuntur a me, probatissimam Doctorum omnium judicio de Episcopatu disputationem protulit, quae mirifice cum hac Torquati epistola consentit.

All' Illmo, e Rev. Sig. Scipione Gonzaga Patriarca di Gerusalemme.

„ Signor, e Padron osservandiss. La dignità della Città vien dal „ Principe, e all' altre fu accresciuta dai Principi del mondo; ma solo „ a Gerusalemme l' accrebbe Cristo medesimo, e in lei volle esser „ coronato di spine, e trionfar della morte. E se niuno dopo S. Pie„ tro ebbe maggior dignità di S. Jacopo il Giusto, il quale fu non so„ lamente fra i dodici eletti, ma de' tre più cari discepoli del Figliuolo „ d' Iddio, che ascesero seco nel monte, e videro la sua gloria; al „ nostro tempo ancora quelli, che succedono al santo Figliuolo di „ Giuseppe debbono essere onorati dopo il Successore di Pietro, e „ Vicario di Cristo sovra tutti gli altri Vescovi, e Patriarchi. Laon„ de avendo Sua Beatitudine, che non lascia alcuna buona opera, ed „ alcuna virtù senza premio, esaltata V. S. Illma a sì alta dignità, „ l' ha posta nel sommo grado della riputazione, che si conveniva „ alla sua prudenza, al sapere, alla nobiltà, e alla servitù di molti „ anni: e datole gran parte di quel pensiero, che si conviene a' Ve„ scovi, di riunire questo gran Vescovado, il quale è uno, come è „ una la Chiesa. E benchè molti siano i rivi delle operazioni, e molti „ i rami pieni de' suoi fatti, e molti i raggi, che ella semina della sua „ dottrina; uno è nondimeno il fonte, uno il tronco, fondato sovra „ tenacissima radice, uno il sole, che sparge la chiarissima luce: e „ l' unità si conserva nell' origine, ed un capo solamente regge molte „ membra: parte delle quali sono divise da questo corpo per l' ere„ tica pravità: parte per l' Ottomanna tirannide, la quale usurpa le „ più belle parti dell' Oriente, e del Mezzo giorno. Ma V. S. Reve„ rendiss. con gli altri può considerare i mezzi, co' quali si possano „ ricongiungere; acciocchè uno sia l' ovile, ed uno il Pastore; sic„ come una è la fede, ed uno il battesimo. E se la qualità dei tempi „ porta alcun impedimento nell' azione, niuno almeno può impedire,

„ che ella non contempli i misterj altissimi della celeste Gerusalem-
„ me, che è l'idea della Chiesa. Talchè le opere mie a gran pena ar-
„ direbbero di appresentarsele, ove la cortesia da me conosciuta non
„ mi assicurasse al modo usato, dal quale tratti gli altri debbono pren-
„ dere esempio. Le mando adunque il mio nuovo Dialogo della Di-
„ gnità a rallegrarsi della sua nuova dignità. E le bacio le mani.
Vol. IX. Op. Torq. Tassi edit. Venet. pag. 414. epist. 656.

Pag. 264. (27) Quanti a Sixto quinto Pontifice Scipionis pietas, virtusque haberetur, idemque quam cuperet Vincentio Duci Mantuanorum gratificari, qui eum rogaverat, ut Scipionem primo quoque tempore purpura ornaret,non aliunde apertius doceri possumus,quam ex ejusdem Pontificis litteris, quibus se excusat apud Ducem ipsum, quod non ei statim favere potuerit, illam intererens causam, quod serius ac oportebat ejus litterae, quibus hoc ipse rogabatur, ad se pervenissent; neque tunc augere numerum candidatorum, quos jam Cardinales designaverat, gravissimis de causis posset; illudque pollicetur, se suo tempore (quod anno proximo praestitit) clarissimi Viri rationem habiturum. Est haec Pontificis Epistola totidem verbis descriptam ex Tomo Brev. Sixti V. pag. 277. Ex sch. Vatic.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO DVCI MANTVAE

SIXTUS PP. V.

Dilecte fili Nobilis Vir Salutem, et Apostolicam benedictionem.

„ Nostra perpetua cura, et studium catholicae Ecclesiae amplitu-
„ dinis nostrae imbecillitati a Deo commissae facit, ut eorum potis-
„ simum opera nobis utendum esse censeamus, eosque amplissimis
„ dignitatibus ornandos judicemus, quorum insignem pietatem, rerum
„ usum, prudentiam, doctrinam, integritatem sanctae Ecclesiae orna-
„ mento, ejusque rebus adjumento esse posse intelligimus. Fecimus
„ igitur hac ipsa quarta feria jejunii mensis Decembris, vetere Roma-
„ norum Pontificum instituto, S. R. E. Cardinales Hieronymum de
„ Ruvere Archiepiscopum Taurinensem, Virum generis nobilitate, et
„ duorum ex ea familia Pontificum splendore, et propria virtute il-
„ lustrem; Philippum Lenoncurtium Episcopum Antissiodorensem,
„ cujus magna semper fuerunt in Rempublicam Christianam merita,
„ de quibus gravissimorum virorum testimonia accepimus; Hiero-
„ nymum Bernerium Episcopum Asculanum,Theologum, et vitae inte-
„ gritate, et doctrinae commendatione insignem; Antonium Mariam
„ Gallum Episcopum Perusinum,familiarem nostrum, nobis probatum,
„ atque ob multas virtutes in primis carum; Constantinum Fratrem
„ Ordinis Minorum, Theologum eximium, inque optimis sacrorum
„ doctorum libris versatissimum; Hieronymum Mathaejum Camerae
„ nostrae Apostolicae Auditorem, et Benedictum Justinianum, Thesau-
„ rarium nostrum, viros in juris tum civilis, tum canonici doctrina
„ exercitatissimos, inque omnibus negotiis magna semper cum inte-
„ gritate, et laude versatos; Ascanium Columnam et nobilitate, et do-

„ ctrina excellenti, et gravissimo Majestatis Regis Catholici judicio
„ laudatissimum. De Venerabile Fratre Scipione Gonzaga Patriarcha
„ Hierosolymitanorum, de quo ipsi etiam ad Nobilitatem tuam scribe-
„ mus, quem summopere nobis commendas, cujus semper pieta-
„ tem, et virtutem eximiam plurimi fecimus; idcirco non potuimus
„ tuae postulationi gratificari, quia jam constitutum cum animo nostro
„ habebamus, quos potissimum hoc tempore ornare vellemus, cum
„ nobis redditae sunt tuae litterae, cumque numerum augere prohibe-
„ bamur gravissimis de causis. Suo autem tempore, si vita suppetet,
„ magnam ejus quoque rationem habebimus. Datum Romae ap. S. Pe-
„ trum Sub. Annul. Piscator. die 17. Nov. 1558. Pont. Nostri an. II.

Antonius Boccapadulius

Ex Hippolyto Donesmondio, a quo scripta est vita Francisci Gonzagae Episcopi Mantuanorum, qui Scipionis frater natu major fuit, ut supra dictum est, habemus, Franciscum quo tempore haec agitabantur, Romae una cum Scipione fuisse; ac tunc dubitatum esse, uter eorum Cardinalis crearetur; cum alter ab Rege Hispaniarum, alter a Duce Mantuanorum Pontifici commendati essent, ut eos in sacrum Patrum Purpuratorum numerum primo quoque tempore adlegeret. Cum autem uterque eorum justissimis de causis in amplissimum illum ordinem adscribi simul haud possent, propterea rogatum enixe Franciscum a Scipione fuisse, ut sibi tunc in honoris illius petitione concederet: quod diceret; fieri non posse, ut is, tanti Regis patrocinio fultus, diutius eo honore careret: se vero non ita firmis praesidiis pollere, ut sine periculo oblatam fortunam posset dimittere. Additque Donesmondius, Franciscum, qui susque deque humana omnia haberet; nihilque minus vellet, quam novis honorum curis implicari, obsequutum facile Scipionis voluntati esse, suaque, si qua erant, studia Fratri libentissimo animo dimisisse. Horum tamen neutrum tunc Cardinalem esse creatum. Verum ex iis, quae nos in allatis Pontificis epistolis legimus, intelligimus aperte, cur Scipioni hic honor fuerit prolatus. Porro si maturius Sixtus a Duce Mantuanorum fuisset rogatus, qua Pontifex erat cum in Gonzagas universos, tum in Ducem ipsum voluntate, Scipio maturius etiam Cardinalis creatus fuisset, qui honor ut ei paullo post collatus est: ita nunquam Francisco Fratri, ne post mortem Scipionis quidem, tributus fuit, quod accidisset certe, si tantis illis Regis Hispaniarum praesidiis fultus in honoris contentionem aliquam cum Scipione venisset.

Pag. 267. (28) Extat Epistola Querenghi ad Nicolaum Barisonium Canonicum Patavinum, qua haec ipsa docemur.

„ Il Sig. Scipione è risuscitato: già ognuno lo tiene per Cardinalis-
„ simo: io perchè assai desidero, assai temo: Pur il Sig. Cardinal di Ve-
„ rona questa sera mi ha detto, che sarà infallibilmente. Dicono essere
„ arrivato un corriere del Duca di Mantova, che promette tre mila
„ scudi di pensione a detto Sig. Scipione: piaccia a Dio, che riesca etc.
„ Roma 6. Novemb. ex Sched. Marchionis Carol. Val. Gonz.

Pag. 216. (29) Corrigendus igitur Antonius Possevinus est, qui in

historia familiae Gonzagae lib. 8. pag. 786. et 787. Scipionem Cardinalem creatum memorat anno 1585. cum Guillelmus etiam inter vivos degeret: quorum utrumque falsum est. Emendandus item Juncta in suo „ Fioretto „ pag. 90. a quo habemus, eum Purpurae honores adeptum anno 1588.; iisque addendus Donesmondius, qui in historia Mantuana Ecclesiastica Junctae auctoritatem sequutus eadem atque ille scripsit; cum tamen idem in vita Francisci Gonzagae Episcopi Mantuani, qui Scipionis frater fuit, scripsisset, eum inter Patres purpuratos adlectum anno 1587. eo nempe anno, quo vere Scipio Cardinalis renunciatus est.

Quanta omnium ordinum voluptate Scipio Cardinalis renunciatus fuerit, satis supra ex iis novimus, quae Camillus Camillius scripsit, cum de Scipionis Emblemate est loquutus „ E vedrassi con effetto, che appresso „ al degno titolo di Patriarca di Gerusalemme ottenne la dignità, e il „ grado quasi supremo in S. Chiesa del Cardinalato, al quale, per „ memoria di uomini, non pervenne mai persona con maggior desiderio, „ contento, e speciale allegrezza dell' universal delle genti, di quello „ è cosa notissima al mondo, non che a Roma, che lo vide, esservi „ arrivato lui „ Vide adnotat. n. 14.

Idem ex Joan. Francisco Mussato, Viro Scipionis amicissimo, docemur, qui etiam hac epistola, quam genere quodam scribendi suo exaravit, Scipioni est gratulatus. Ex Sch. March. Valent. Gonzagae.

Illmo et Rmo Sig. e Padne Colmo.

„ Ecco pur adempirsi, e prevalere al di V. S. Illma, secondo il „ ver troppo umile il mio, secondo la singolar sua modestia troppo alto „ di lei concetto, quando rallegrandomi seco, due anni sono, della „ sua promozione al Patriarcato, ed all' allegrezza presente aggiungendo, ed accumulando, fui non falso, benchè umilmente, e cortesemente da lei ributtato, indovino di quel che al presente con infinito universale contento di tutti i buoni, di tutti i savj, di tutti i dotti, „ e singolar mio, che nè buono, nè savio, nè dotto, ma di tutti essi „ amator sono, veggiam venir vero, ed andarsi avvicinando a quel segno „ supremo, a quell' ultima meta olimpiaca, della quale non è in questa „ vita, ove più oltre potere aspirare. Godo io dunque non sol del „ presente; ma trionfando il mio vero, e dal giudizio approvato di „ chi nel provvedere a' fedeli ogni altra cosa può, che ingannarsi, „ del suo da una cotal falsità virtuosa offuscato parere con ogni spirito „ anelo a quell' altra palma, alla quale se con l' ale de' suoi gran meriti mi conduco, ben sarà vero, che disviluppato una volta di là, ove „ ora mai troppo mi vo attempando, la verrò ad adorare, e con l' uno, „ e con l' altro uomo mio, siccome la riverisco ora, ed inchino, e „ mi rallegro con lei con l' intrinseco solo, e con questa carta, e col „ desiderio, e co' voti, e a Dio nostro Signore continui preghi, la total „ sublimità, e maggioranza, ed altezza le auguro sempre; lei al posseder della quale, me al goderne, e al parteciparne coll' allegrezza, se al principio, e moltopiù là che al mezzo risponde il fine, „ di me vivo in speranza, di lei quasi in certezza, che siam riservati.

„ Iddio conservando finché al ciel sia maturo il presente Pastore, e
„ ministro, e preparator suo di tanti altri, e di questo bene, ed intanto
„ in lei maturando quello, che alla vista, ed al pelo ancor pare acer-
„ bo, benchè al senno, al valor, ed ai meriti sia più che a tempo, per
„ edificazione, ed esaltazione della santa Gerusalemme sua l'acconsen-
„ ta. Ed a V. S. Illma e Rma bacio umilissimamente le mani.

Di V. S. Illma e Rma = Padova 25. Decemb. 1587.

Umilmo Servitore Gio: Franco Mussato.

In libro etiam cui titulus „ De Missione Legatorum Japonensium ad Romanam Curiam „ qui totus est ex charta serica, inpressus in Machaensi portu Sinici regni in domo Soc. Jesu cum permissu Ordinarii anno 1590. et nunc inter libros Sinenses extat in Bibl. Coll. Rom. haec in Colloquio 29. pag. 326. leguntur de Scipione, qui legatis Mantuam advenientibus, ut idem etiam lib. 3. suor. Comment. memorat, obviam prodiit Mantuani Ducis nomine.

„ Obviam se nobis obtulit ad suburbium cum summa humanitate Il-
„ lustrissimus vir Scipio Gonzaga Ducis consanguineus ejus absentiam
„ excusans, quod non ita recta esset valetudine. Hic est Scipio ille, qui
„ cum summo honore Patriarcha Hierosolymitanus, et paullo post om-
„ nium applausu, magnaque animorum nostrorum laetitia a Sixto V.
„ Cardinalis creatus est. „

Nemo tamen majores laetitiae significationes litteris suis Scipioni dedit, quam Joannes Baptista Guarinius, vir cum poeticae artis laude praestantissimus, tum Scipionis ejusdem studiosissimus, a quo hanc epistolam habemus, quae et inter eas, quas Guarinius idem collectas edidit, et in Sylloge Zucchiana Epistolarum selectarum legitur.

Illmo, e Rmo Signore.

„ In questo punto, nel quale intendo, che V. S. Illma, e Rma
„ è fatta Cardinale, ne rendo grazie a Dio benedetto; e poi colla ma-
„ no corro alla penna seguendola tutto il resto e del corpo, e dell'
„ animo giubilante per infinita, e smisurata allegrezza, la quale ha
„ però fondamenti sì nobili, che non ardisco di seco rallegrarmene
„ per mio conto. Et, se ben miro, è ben ragionevole, che servito-
„ re così divoto impari ad essere modesto da Signore in ogni cosa
„ tanto magnanimo. Rallegromi col Ponteficato, la cui memoria per
„ una tanta, e sì giudiciosa elezione sarà sempre benedetta, e lodata.
„ Rallegromi con la Corona de' Cardinali, a cui mancava si ricca gioja.
„ Rallegromi con Santa Chiesa, nel cui beato campo si degna promo-
„ zione hà seminato un Pontefice. Rallegromi col mondo, che si
„ lagnava della tardanza. Rallegromi con la virtù esaltata in soggetto,
„ che non hà parte con la fortuna. Rallegromi con la grand'anima del
„ Cardinal Hercole, che risorge nel grado di chi lo rassomiglia nel
„ merito. Rallegromi con la sua casa, per l'acquisto di protettore sì
„ valoroso. Rallegromi finalmente con VS. Illma, e Rma, non che
„ sia in luogo, che la faccia risplendere, ma che sia in luogo capace
„ del suo splendore: ed io fra tante publiche, e grandi, e segnalate ca-
„ gioni ardirò di mischiare la mia privata allegrezza? la quale però

„ se si misurasse coll'obligo, o fosse ragguardevole per l'affetto, sa-
„ rebbe senza fallo maggiore di tutte le altre. Padron mio, io non mi
„ avvidi mai, se non ora di esser legato; nè altra catena, che quella
„ del mio Principe naturale sarebbe stata bastevole a ritenermi, ch' io
„ non fossi volato subito ad inchinarla. Ma così forse è stato permes-
„ so da chi n' ha cura, per non lasciarmi traboccare ad atto, che alla
„ sua dignità non convenga. Che se io fossi giunto in persona, pote-
„ va di leggieri avvenire, che l'affetto precorresse la riverenza, ed io
„ l'avessi prima abbracciata, che riverita. Or che ne vien lo spirito,
„ compirà egli con più decoro. Supplico ben VS. Illma, e Rma, che
„ quando ella si troverà meno occupata dalle visite grandi, si degni di
„ introdurlo, e gradirlo: che quantunque egli sia invisibile, non è però
„ incomprensibile, massimamente dalla benignità di quell' animo,
„ che tante volte l' ha favorito sì, che fissamente guardandolo, il ve-
„ drà segnato ancora dell'antico carattere de la sua nobilissima gra-
„ zia, ne la quale umilmente raccomandandomi, bacio le mani a VS.
„ Illma, e Rma, e le prego il colmo di ogni felicità „.

Unde tantus hic Guarinii in Scipionem amor, unde tanta virtutis ejus opinio, videre est in quarto Commentariorum libro, cum de utriusque viri studiis perhibetur.

Vincentius vero Dux Mantuanorum qui post Guillelmi patris mortem enixe Scipioni apud Pontificem favit, collatum Scipioni honorem gratulatus, Pontifici gratias egit, eique voluptatem suam significavit. Nosque epistolam hic exhibemus, quam ei Pontifex responso dedit. T. 29. Brev. Sixti PP. V.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO DUCI MANTUAE

SIXTUS PP. V.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem, et apostolicam benedictionem

„ Gratum tibi fuisse factum nostrum in creando dilecto filio no-
„ stro Scipione Gonzaga Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinale, gratis-
„ simum nobis est, idque etiam sine tuis litteris certum habebamus.
„ Fuerunt nihilominus tuae litterae, quas attulit dilectus filius Com-
„ mendator S. Georgii, nobis jucundissimae. Perspectam tibi esse et
„ in hoc facto, et antea nostram erga te voluntatem laetamur. Erit
„ semper paterna, neque ullam ejus declarandae facultatem omitte-
„ mus. Caetera ex eodem Commendatore cognosces. Datum Romae
„ apud S. Petrum die vigesima Januarii MDLXXXVIII. Pontificatus no-
„ stri anno III.

Antonius Boccapadulius

Neque, in communi gratulatione, Scipionis laudi Poetarum studia defuerunt, qui, carminibus editis, simul voluptatem declararunt suam, simul clarissimi viri virtutem celebrarunt, ex quibus nos duos tantum afferemus, Josephum Castalionem scilicet, et Julium Capilupium, quorum alter Panegyri, alter Centone, quem vocant, (hoc enim carminis genere mirifice illa aetate homines delectabantur) Scipioni par-

tum honorem gratulati sunt. Ac primum exhibebimus eam epistolam, qua Panegyris ipsa Nicolao Barisonio a Castalione oblata est, cum ex ea etiam communis laetitiae indicia habeantur.

NICOLAO BARISONIO PATRITIO ET CANONICO PATAVINO

JOS. CASTALIO S. P. D.

,, Innumeri sunt, qui singulares Scipionis Gonzagae Cardinalis
,, amplissimi virtutes mirifice colunt. In eorum numero ipse adeo
,, semper excelluisti, ut non immerito ille te vicissim arctissima pro-
,, sequatur benevolentia. Quantum igitur voluptatis amicissimi tibi
,, Principis nova attulerit dignitatis accessio, et ipse per me satis
,, intelligebam, et luculentius cognoscere potui ex elegantissimis
,, tuis litteris ad Antonium Querengum, virum ingenii, et doctrinae
,, gloria florentissimum, scriptis, in quibus non tuam tantum, sed
,, communem totius Patavinae Urbis laetitiam ita describis, ut dum
,, significandae voluptati operam solum impendis, ingenii quoque
,, nobilissimi vires ostendas. Quod igitur a me nuper de ipsius Car-
,, dinalis laudibus compositum carmen est, id jure optimo ad te po-
,, tissimum mittendum judicavi. Neque vero cuiquam aptius, quam
,, tibi scriptiones poeticae dicari possunt. Pauci enim, vel nulli
,, sunt, qui sive id genus aliquid pangendum sit, sive dijudicandum,
,, tibi, V.C., mereant anteferri. Sed ego nunc non judicem te, cujus
,, severitatem reformido, sed fautorem deposco. Tu carminis inele-
,, gantiam argumenti nobilitate compensa, meque ama. Vale.

Romae Kal. Jan. MDLXXXVIII.

In Cardinalatum Illustrissimi Principis

SCIPIONIS GONZAGAE

JOSEPHI CASTALIONIS PANEGYRIS

Dicite, Castalides, nostri nova gaudia saecli:
Sit carmen summo dignum diademate, et ostro.
E gyro interiore abiens sol luminis horas
Ampliat, et terras majori lampade lustrat.
It sine nube dies, rapidi sine flamine Cauri.
Bruma nitet, placidique imitatur tempora veris.
Cuncta favent, Gonzaga, tibi, gratantur honori
Cuncta tuo. Cum sole novo nova purpura fulget.
Optatam populis, optatam Regibus aeque
Rettulit Hesperiae lucem formosus Apollo.
Dilectum populis, dilectum Regibus aeque,
Ardenti rutilare caput dat murice Sixtus,
Concilioque Patrum conscribens inserit alto
Sixtus ab integro referens faelicia saecla,
Italiae praesens numen, sidusque salubre.

Terrarum hic justo tractans moderamine habenas
Unus rem Latii potuit fulcire ruentis,
Et trepidas longa formidine solvere gentes.
Nam neque nunc miseros vexat discordia cives,
Funestasque domos sceleratis eruit armis.
Non fora, non squallent infesta vagantibus arva
Exsulibus, sed agunt reseratis otia portis
Oppida, pampineisque admittit vitibus ulmos
Rusticus, et validis invertit rura juvencis.
Tutus iter nunc luce facit, nunc nocte viator.
Hoc etiam laeti volitabunt Principe nautae
Per mare pacatum, et Romana potentia rursus
Deletis totum pandet praedonibus aequor.
Tu vero multos Romae spectate per annos,
Scipio, et aeternis delecte ad culmen honorum
Judiciis, majora animo jam concipe, teque
Praesidium populis promitte fidelibus ingens.
Quod tibi spondebat primaevo in flore juventae
Nota Pio virtus animi, gravioribus annis
Praestitit excelsi clemens sapientia Sixti,
Anxia, quem pro te Gulielmi cura propinqui
Saepe fatigavit precibus, flexitque volentem.
Adfuit absolvens Vincentius orsa parentis
Inclytus, et dignus magnorum sanguine Regum,
Qui gravidam imperiisque domum, gravidamque triumphis
Arduus excepit nuper, populosque regendos.
Ipsa caput quondam Tyrrhenae Mantua gentis
Fert juga caelestis juvenis mitissima collo,
Magnanimi Ducis imperiis, et amore beata.
Te Ferdinandus Latii pars magna Senatus,
Atque idem imperii Magnus Dux juvit Etrusci.
Nec qui Gonzagae nomen fortissimus heros
Intulit in Celtas gentis, Ligerimque coercet.
Nec consanguinei tibi purpura defuit ingens.
Ipse tuo invictus laetatur honore Philippus,
Qui regit Hesperiam, qui leges ponit Eoo,
Atque alio populos frenat sub Sole jacentes.
Gaudia sublimem pertentant quanta Rodulphum?
Quem penes imperiique decus, nomenque Latini
Sistit ab Augusto ductum longissimus ordo.
Tantorum o felix studiis, Regumque favore,
O votum commune virum, o spes maxima rerum.
Sed tibi tantorum studium, Regumque favorem
Cana fides, candorque animi, mansuetaque corda,
Nataque non parvis prudentia rebus agendis,
Et peperit studiis instructum pectus honestis.
Magnanimo dignum te praedicat Hercule Roma,

Hercule, qui roseo protexit saepe galero
Res Italas, sancti columen, splendorque Senatus,
Illius alta sequens certo vestigia gressu
Invenies famae praeconia quanta perennis?
Dissita compones concordi foedera Regum
Eloquio, afflictisque feres, Pater optime, quondam
Rebus opem, condesque novum mortalibus aevum.
Jamque agitas reparare Dei labentia templa,
Muneribusque sacras dotare ingentibus aedes.
Quanta bonis per te nascuntur commoda! quantum
Perfugium per te miseris aperitur amicis!
Te Patre, desierit certe chorus omnis egere
Doctorum, Vates solatia tanta manebant.
Vos ergo ingenium, quibus est divinius, almam
Concelebrate diem, dignisque ad sidera mecum
Carminibus tantas certatim attollite laudes.

SCIPIONI GONZAGAE S. R. E. CARDINALI AMPLISS.

Gratulandi causa Julius Roscius Hortinius Julii Capilupii Carmen offert.

Julius ingressus Pindi per amoena vireta
    More patrum, patrias colligit inde rosas:
Et quas per varias Maro texuit ante corollas
    Inserit in varios florida dicta modos.
Tu Gonzaga, tuis, quas Patria mittit ab hortis
    In sertum lectas sume Maronis opes;
Et tibi frons quamvis Romano fulgeat Ostro,
    Non minor e patria est qui tibi venit honos.

JULII CAPILUPII CENTO

Ad Illustrissimum, ac Reverendissimum Cardinalem

SCIPIONEM GONZAGAM

MINCIUS

Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem;
Fatidicae Mantus Tiberini ad fluminis undam
Carmina sunt dicenda: neget quis dicere laudes?
Scipiadas vocat ingenti clamore Citheron;
Delius inspirat vates, aperitque futura,
Vos, o Calliope, precor, aspirate canenti,
Quae mihi praedixit velatus arundine glauca
Mincius in ripa, gelidique sub aetheris axe
Purior electro, caelo gratissimus amnis,

Populeas inter frondes, lucosque sonantes,
Cum primum viridante toro consederat herba.
Ille canit, pulsae referunt ad sidera valles.
Audite, o proceres ait, et spes discite vestras,
Accipite ergo animis, atque haec mea figite dicta:
Non injussa cano; pertentant gaudia pectus,
Ore favete omnes, laetasque advertite mentes.
Jam nova progenies Caeli ventura sub axem,
Quod votis optastis, adest, nec Romula quondam
Ullo se tantum tellus jactabit Alumno.
Vatis fatidicae venit jam carminis aetas;
Nec longum in medio tempus; Justissimus unus
Per gentes erit, haud ulli virtute secundus.
Namque fore illustrem fama, factisque canebat
Insignem pietate virum volventibus annis,
Cui genus a proavis ingens: insigne paternum:
Quatuor hic primum nigrantes terga volucres
Signa tibi dicam, pedibus Jovis armiger uncis.
Alta petens, genti nomen dedit, armaque finxit.
Quod jam non dubiis poteris cognoscere signis.
Pauca tibi e multis, tu condita mente teneto,
Expediam, si prima domus repetatur origo.
Ante diem clauso componet vesper olympo.
Hic rem Romanam, Tyrio conspectus in Ostro,
Lustrabit studio recolens, opibusque juvabit.
Consilia in melius referet: Mavortis ad urbem
Jura dabit, legesque viris, ritusque sacrorum:
Ille reget dictis animos; nec parva sequetur
Gloria, lecta diu, et multo spectata labore
Succedet fama, qua Sol utrumque recurrens
Aspicit Oceanum, vivusque per ora feretur
Hoc virtutis opus. Referam tibi, Mantua, palmas
Mantua dives avis, totum vulgata per orbem.
Quare agite, o juvenes, tantarum in munere laudum
Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras.
Nymphae, noster amor, praestanti corpore Nymphae,
Cingite fronde comas, juvat indulgere choreis,
Donaque ferre viro, solemnes ducere pompas.
Nos vero haec patriam grati referemus ad Urbem.
O decus, o famae merito pars maxima nostrae,
Flos veterum, virtusque virum, mea maxima cura,
Adsis o tandem, per spem surgentis Juli,
Hanc primum tutare domum, genus acre Luporum,
Adsis, o, placidusque juves, et sidera caelo
Dextra feras, meriti tanti non immemor unquam,
Aggredere, o magnos (aderit jam tempus) honores,
Cara Dei soboles, magnum decus, addite divis.

Olli se quantis attollet gloria rebus.
At tu, magne Pater, Caeli cui sidera parent,
Infernique lacus, atque altae moenia Romae,
Sis bonus, o Felixque tuis, de Montibus Altis
Missus in imperium magnum, sedesque beatas
Huc adsis: nostrumque leves quemcumque laborem.
Tuque adeo, decus hoc aevi? quas dicere grates?
Quasve referre parem? est insignis gloria facti.
Undique visendi studio Romana propago
Circumfusa ruit, voces ad sidera jactant
Intonsi montes, omnes uno ore Latini.
Laetitia, ludisque viae, plausuque fremebant:
Non opis est nostrae grates persolvere dignas.
Nec gens ulla tuos aeque celebrabit honores.
Quid memorem portas, strepitumque, et strata viarum?
Inspectura domos solido de marmore templa?
Tot congesta manu praeruptis oppida saxis?
Artis, opisque tuae, scenis decora alta futuris?
Fluminaque antiquos subter labentia muros?
Et fontes sacros, divini gloria Ruris?
Nec vidisse semel satis est, juvat usque morari,
Quin etiam saliente sitim restinguere rivo?
Adde tot egregias urbes, operumque laborem,
Quas vestrae fecere manus: recludere fontes
Cura tibi, insano juvat indulgere labori.
Quid majora sequar? liceat tua dicere facta.
Saxum antiquum, ingens, aequataque machina caelo
Stabat acuta silex, penetrali in sede sub auras
Erecta ingentes cineres, atque ossa perempti
Caesaris, et nomen multos servata per annos,
Per loca senta situ nunquam concessa moveri:
Tantae molis erat, summo cum monte videmus
(Horrendum dictu) vasta se mole moventem.
Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum
Subjiciunt lapsus, tacitam se pondere prodit.
Obstupuere animi, mediaque in valle Theatri
Insedit dorso insurgens, altissima visu
Ergo alte vestiga oculis, venerabile Lignum
Vertice se attollens, corpus miserabile Nati
Hic quondam multo vitam cum sanguine fudit.
Heu pietas! heu prisca fides! Christique decoram
Caesariem, sparsi rorabant sanguine vepres.
Proh scelus! ingenti concussa est pondere tellus.
Impiaque aeternam timuerunt saecula noctem.
Nate Patris summi, nimium crudele tulisti
Supplicium, (ea visa salus morientibus una)
Causa mali tanti sceleris vestigia nostri.

Submissi petimus terram, sperare salutem
Da Pater hoc nobis, pacem te poscimus omnes,
Et duplices cum voce manus tollemus ad astra:
Sola in te suprema salus; miserere tuorum:
Spondeo digna tuis ingentibus omnia coeptis.
Fortunate senex, facta est pulcherrima Roma.
Salve magna parens, multos dominata per annos.
Magna virum tibi res, antiquae laudis, et artis,
Dives opum variarum, ostroque insignis, et auro
Ipsa caput populis tot jam labentibus annis,
Hospitium antiquum, decus, et tutamen in armis
Magnanimum Heroum, genus insuperabile bello
Quod superest oro, septem subjecta Trioni
Gensque virum truncis, et duro robore nata,
Et pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus,
Omnis Arabs, omnes vertentes terga Sabaei
Numina sola colant, tibi serviat ultima Thule:
Carmina quae vultis cognoscite, carmina vobis,
Huic aliud mercedis erit: celebrate faventes
Scipiadas laudes, ultro occurramus ad undam.
Collis Aventini, hic etiam sua proemia laudi..
Sol ruit interea, et montes umbrantur opaci.
Durate, et vosmet rebus servate secundis.
Haec ubi dicta, lacu fluvius se condidit alto
Mincius, et rebus nox abstulit atra colorem.

Ex Amadei Commentario, de quo infra adnotat. 36. scimus, Scipioni Cardinali cusum fuisse honoris ergo numisma, cujus in altera parte expressa effigies ejus cernitur, circumque eam inscriptum legitur „ *Scipio Gonzaga Cardinalis* „ In altera stat ara, ac fumantem acerram habet impositam cum epigraphe „ *Decus adjicit* „ Cum autem hoc numisma nec in Museo Mazzuchelliano sit, ubi alterum Scipioni adolescenti cusum affertur, nec nos sciamus, an vere usquam extet, propterea hic temere una cum caeteris Scipionis monumentis expressum afferre ausi non sumus.

Pag. 271. (31) Haud temere suspicantur aliqui, alteram etiam Commentariorum partem a Scipione fuisse scriptam. Et vero vix credibile videtur, clarissimum virum, qui in ipso commentariorum suorum exordio illud pollicetur, se, si vita, ac facultas suppetat, nunquam a scribendo destiturum; postquam tam accurate singula, quae sibi privato viro acciderunt, memoriae prodidit, scribere tunc desiisse, cum, purpuram adeptus, majorem rerum ordinem sibi nasci intelligebat, unde amplissima quaeque suppeditarentur, quae litteris consignaret. Ut enim ille, propter adversae valetudinis incommoda, toto honoris sui tempore haud multam reipublicae operam navare potuerit: fuerunt tamen haud pauca, sive privata, sive publica, eaque gravissima, in quibus necessario versari ejus opera, atque industria debuit: de quibus nihil memoriae esse proditum ab

homine praesertim hujusmodi, qui in eam consuetudinem venerat, ut singula colligeret, scriptisque persequeretur, neque ego persuadere mihi ullo modo possum. At cur illa non parent, haec autem extant? Quid si vix extant haec ipsa? Profecto nisi Irenaeus Affò V. C., qua est in ejusmodi monumentis cognoscendis intelligentia, dum Vastallae vetustas, ac pulverulentas quasdam chartas excuteret, quae olim ad Bozuli tabularium pertinebant, in hunc Commentariorum codicem, cum nihil tale speraret, incidisset; hic liber aut tineis, blattisque corrosus interiisset, aut omnino oblitus in tenebris semper delituisset. Hic igitur vir Scipionis opus, quod praeter expectationem invenerat, omni studio describendum curavit; exemplum ex eo descriptum semel, atque iterum cum autographo contulit, tum Carolo Valentio Gonzagae Marchioni, viro eruditissimo, ac Mantuanorum monumentorum maxime cupido obtulit habendum: a quo tandem Aloisius frater Cardinalis dono acceptum, tanto hoc nitore vulgandum curavit. Quorsum autem haec? nimirum, ut intelligatur, mirum videri non debere, si caetera, quae aliqui a Scipione scripta suspicantur, aut nondum prodierint, aut etiam interciderint, cum potius mirum videri debeat, quod haec ipsa inventa sint. Quem tandem exitum Scipionis Codex habuerit, Irenaeus idem Affò Carolum Marchionem docet hac epistola:

ECCELLENZA

„ Qualche maligno influsso, direbbero gli Astrologi, pendeva la „ settimana scaduta sopra noi due: poichè V. Ecc. era cruciata da suoi „ malori; ed io sono stato soggetto ad un infortunio, che mi ha colmato di stordimento. Giovedì scorso, correndo il 23. di questo „ mese fattomi accendere un cerino per suggellar a cera-spagna una „ lettera, mi dimenticai di spegnerlo: ed alzatomi dallo scrittojo senza „ altro pensare, e consegnate le lettere, uscii di stanza e mi recai „ in Chiesa per veder travagliare alcuni lavoranti. Dopo mezz'ora tornando in camera trovai lo scrittojo tutto una fiamma, per l'ammasso grande di carte, e di libri, che vi eran sopra. Quante cose abbia io perduto non glie lo dirò: le basti il sapere, che il mio caro „ Originale de' Commentarj del Cardinal Scipione Gonzaga perì nelle „ fiamme, rimanendone soltanto pochi frammenti inutili. Se io tardava pochi minuti, il fuoco mi divorava anche la copia di V. Ecc. ma „ Iddio benedetto non l' ha permesso, affinchè rimanga questa si bell' „ opera pubblicata, dopo essere stata quasi due interi secoli sconosciuta, ed in continuo pericolo di perire. Nella lettera, che unirò „ alla copia suddetta, converrà che ricordi questa mia disavventura, „ alla quale deve riparare V. Ecc. col dare alle stampe l'opera: talchè „ se il tempo distruggitore à pur voluto che perisca tra le mie mani „ ciò, cui dir posso di aver salvato la vita; vegga a suo scorno moltiplicati gli esemplari di questo bellissimo libro; e siane gloria al „ nome del Card. Scipione, ed abbiane eterno merito quello del Sig. „ Marchese Carlo Valenti Gonzaga etc.

„ Guastalla 26. Ottobre 1777.

Ex Sched. March. Caroli Valentii Gonzagae.

Haec idcirco a nobis singula memoriae prodenda judicavimus, tum ne sua laude fraudaretur doctissimus hujus Codicis inventor; tum ne quid in ejus codicis editione desideraretur ex iis, quae ad horum Commentatiorum historiam pertinent..

Pag. 274. (32) Haec sunt Iani Nicii Erythraei sive Joan. Victorii Rossii verba in Scipionis vita.

„ Sed purpura illa visa est quidam quasi canalis fuisse, unde „ intolerabilis in eum vis morbi influeret; vel potius tunicae illius „ similis, quam Hercules sanguine Centauri tinctam induerat: „ nam podagra, nescio an ex Orco prodiens, tam tetros, tamque „ acerbos illi ciere dolores coepit, ut primum illam egregiam oris „ venustatem, ac speciem, tum vitam ademerint. „

Et Virg.Ceparius in vita S.Alois.Gonz.Par.2.Cap.28.haec scribit „ „ Col Cardinale Scipione in particolare, che per essere gottoso si fa- „ ceva portare, e pareva non sapesse partire dal letto suo „.

Ibi.(33) Sic Joannes Baptista Guarinius in epistola ad Scipionem, quae extat in lib.„ lettere del Cav.Guarini Siena presso il Ciotti pag. 165. „ Mi fu poscia gravissimo l' intendere, che Ella pur fosse en- „ trata in conclave con podagra: siccome ora mi giova credere, „ che libera ne sia uscita: e fora ben ragionevole, che nell' uscire „ di carcere ci avesse lasciati i ceppi. „

Pag. 276. (34) Expendit hanc rem totam, pro sua humanitate, Augustinus de Levis Ord. Eremitarum S. Augustini, Magister Coenobii Casalensis, vir doctus aeque, ac urbanus, qui rogatus, ut inquireret, num in tabulariis Casalensibus extaret aliquid, unde pateret, Scipionem Montisferrati provinciam administrasse, eundemque optimo administrationis genere usum esse: (multum enim ad rem nostram pertinebat ea cognoscere; cum id unum munus Scipioni Cardinali commissum inveniatur, in quo prudentiam in regendo ille suam probare potuerit) haec, quae a nobis exposita sunt, invenit: quae, ut paucula sint: (neque enim, propter temporis brevitatem, quo provinciam illam rexit Scipio, plura esse potuerunt) tamen indicia habent ejus virtutis, quam idem in gravioribus negotiis ostendisset, si haec per valetudinem ei gerenda potuissent committi.

Pag. 277. (35) Corruptam tamen morborum causa suavissimam illam oris formam fuisse, qua Scipio, dum bona valetudine utebatur, insignis erat, declarat effigies ejus ipsa, quae in fronte horum commentariorum exhibetur. Est ea enim ex imagine illa expicta, quam e Scipionis vultu expressam habemus, cum ille Cardinalis esset: nimirum cum jam morborum suorum causa macie sensim confici, ac deformari incepisset. Caeterum, eum egregia forma, gratissimoque ore fuisse, paene a singulis, qui de illo meminerunt, memoriae proditum invenimus: inter quos, praeter Muretum, de quo in libro IV. perhibuimus, ac Josephum Malatestam, de quo infra num. 36. aliosque: haec in sua pinacotheca habet Janus Nicius Erythraeus.

„ Primum oris, ac corporis tanta erat dignitas, ut nemo esset,

„ moribus tam agrestibus, tam immanibus, tam feris, quin ejus non „ solum ad se oculos, verum etiam amorem ac studium alliceret. In Scip. Gonzagae Card. Elogio.

Pag. 279. (36) Mutius Pansa in historia Bibliothecae Vaticanae, quam idem dedicavit Scipioni, in eo loco ubi privatorum bibliothecas recenset, quae celebriores tunc in Urbe haberentur, de ea scribens, quam sibi instruxerat Scipio, his verbis Cl. Viri sapientiam laudat. „ Il Chiarissimo Cardinale Scipione Gonzaga nato per essere specchio, e lume sì delle umane, che delle divine Scienze, ha una „ così maravigliosa Biblioteca, che di celebratissima ricordazione, e „ degna di un tal Principe mi pare „ pag. 328. Bibliot. Vatic.

Amadejus etiam in historia rerum Mantuanarum, quae Mantuae manuscripta asservatur de Scipione scribens ad ann. 1593. haec memorat „ Spiccò assaissimo per la sua profonda sapienza nelle accademie di „ Padova (degli Eterei) e di Bologna (dei Gelati) essendo riescito „ facondo Rettorico, Poeta, Filosofo, Mattematico, etc. „

Nec minus de ejus sapientia honorifice in Scipionis Elogio Erythraeus „ Primum Graecae, Latinaeque linguae intelligentia, tum „ optimarum artium notitia claruit, omnisque liberalis, et digna homine nobili ab eo est percepta doctrina; sed praesertim Theologiae, „ quae erat illi in amoribus, atque deliciis, plus operae tribuit „

Josephus etiam Malatesta in suo „ Dialogo della nuova poesia, o sia Difesa del Furioso „ Verona 1589. pag. 7. cum amicos recenset, quibus Aloisius Estensis Cardinalis familiarius utebatur, ita Scipionis mores, ingenium, et sapientiam laudat „ Tra questi di grazia, e di merito non è punto secondo a niuno il Signor Scipione Gonzaga, il quale per gli stretti rispetti, che passano tra le due serenissime case „ d'Este, e Gonzaga, possiede luogo di molta autorità, e riputazione appresso alla grazia del nostro Principe. E veramente non è „ onore, nè favore alcuno, che alla gran qualità di questo Signore non si convenga: perchè, lasciando stare ora da parte i chiarissimi titoli, che egli riporta dalla nobiltà della stirpe, e dall'essere Principe dell' Impero, sono tante, e così eccellenti le doti della „ persona, e dell' animo suo, che con lo splendore di queste pare, „ che in certo modo abbia voluto vincere, e superare lo splendore „ ancorchè chiarissimo de' suoi natali. Perchè, oltre ad una profonda, e singolare scienza, ha così distinta cognizione di tutte le arti „ liberali, che quel che non ne sa egli pare, che non se ne possa „ sapere da niuno; è ancor di efficace eloquenza, di pronta, e salsa urbanità, di soavissimi costumi, di giocondissimo aspetto, e „ pieno di grazia in tutti i suoi gesti. Onde vien riputato, che nella corte di Roma non sia oggi, e non sia stato per un pezzo il più „ ben qualificato Signore di Lui. „

Nec vero dubito, quin per nos ipsi de ea laude, quam Scipio in gravioribus doctrinis erat assequutus, possemus judicare, si quae ab eodem in eo genere scripta fuerunt vulgata fuissent. Illum certe non carmina solum scripsisse, sed attigisse etiam aliquid gravius.

cognoscimus ex Diomedis Borghesii epistola, qua ei partem tertiam suarum Epistolarum dedicat anno 1584. „ Mando a V. S. Illma la „ parte terza delle mie lettere discorsive, desideroso che essa, la „ quale dotata di ingegno divino va consecrando colla propria penna „ il suo chiaro, e venerato nome all' immortalità, si degni di scri„ vermi quello, che ne paja a lei etc.„ Quibus verbis, nisi forte commentarios hos ipsos indicatos vult, carmina certe, ut aliquis opinatus est, hic non designat: cum Scipio ipse testetur, se, ex quo, constituta jam Patavii Aethereorum Academia, Romam commigravit, versus amplius nullos scripsisse. Aliquid igitur gravius pertractandum in manibus ille habuisse dicendus est, quo nos caremus.

Pag. 385. (37) Haud absimili, minusve honorifico elogio Scipionis laudes persequutus est egregius ille Mureti olim discipulus, et ejusdem Bibliothecae haeres Franciscus Bencius e Soc. Jesu in ea epistola, qua is post Mureti ipsius mortem alteram orationum ejus partem Scipioni Cardinali inscripsit. Hanc etiam epistolam afferre hic placet, quo in promptu omnia sint, ex quibus intelligi possit, Scipionis virtutem nullo unquam tempore non praeclarissimam fuisse; eumque cum in privata fortuna, tum in amplitudine honorum apud omnes admirationem excitasse.

FRANCISCUS BENCIUS S. J.

SCIPIONI GONZAGAE CARDINALI S. P. D.

„ Quod facturus fuerat M. Antonius Muretus in edendo posteriore volumine Orationum suarum, si adhuc viveret: quod post „ ejus obitum fratris filius summa spe, et animi, et ingenii adole„ scens, nisi immatura morte praereptus fuisset; id mihi viri opti„ mi, tibique addictissimi, M. Antonius Lanfrancus, et Ludovicus „ Rivaldus ab hoc instituti haeredes ad pias causas, ut facerem, et „ valde quidem ex mea voluntate, persuaserunt. Tuae enim ampli„ tudini destinatus liber exit in publicum, et velut postuma proles „ te tutorem requirit: hoc profecto justius, quo viginti ab hinc an„ nis germanum ejus fratrem in tuum patrocinium accepisti: hoc „ confidentius, quo a tua dignitate nunc ampliore majus sperare or„ namentum, et praesidium meritissimo potest. Neque vero tam„ diu distulissemus expectatam a multis, et expetitam editionem, „ nisi in conquirendis orationibus, quae partim a Mureti adversariis „ erant dispersae, partim ab amicis fuerunt exprimendae (etsi non „ repertae omnes, et harum aliquot imperfectae) multum fuisset „ elaborandum: hoc dum efficimus quadriennium effluxit. Et sequen„ tur deinceps alia divini illius ingenii monumenta. Utinam autem „ qualis tua erit tutela commendati operis, talis mea esset commen„ dantis facultas: ostenderem profecto, Mureti orationes propter „ summam verborum elegantiam, et copiam rerum pulcherrimarum „ tibi viro eruditissimo, politissimoque proprie commendatas; et te „ propter incredibilem magnitudinem animi, gravitatem, fidem,

„ sapienter delectum, qui earum commendationem susciperes, fuis-
„ se. Sed Mureti eloquentia laudationem meam non desiderat, et
„ laus tua ita vere, accurateque est a praestantissimo oratore, viro-
„ que sapientissimo in epistola ad prius volumen expressa, ut ea ad-
„ ducti omnes, etiam qui te non viderunt, singulares virtutes tuas
„ admirari, ac suspicere cogantur. Quanquam mihi sunt et aliae
„ caussae tum communes multae cum meis sodalibus, quorum omnium
„ eximia est erga te observantia, tum propriae aliquot meae. Tot
„ enim extiterunt tuae erga me humanitatis argumenta, tamque il-
„ lustria, ut magnopere laetatus sim, exstitisse tempus, quo intel-
„ ligerent omnes, et tu in primis, Bencium, Mureti discipulum,
„ hoc etiam a Magistro didicisse, ut in Scipione Gonzaga Cardinale a-
„ mando, et colendo nemini concedat. Utriusque rei indicium erit
„ novum hoc munus, quod tibi, ut renovet memoriam mortui, et
„ declaret voluntatem superstitis, ipsum vero sub umbra tui prae-
„ sidii nunquam intereat, offertur. Vale. E Collegio Romano.

Sperabam equidem, plures me in Bibliotheca Secreta Collegii Romani inter Bencii scripta cum Scipionis, tum Bencii ipsius epistolas inventurum, cum eas inibi esse Oldoinus scriptum reliquerit in suo Athenaeo Romano ubi de Scipione loquitur. Verum praeter Epistolas duas Scipionis ipsius manu ad Bencium scriptas, alias invenire nullas potui; nec vero praeter eas aliae ullae unquam ibi fuerunt, ut apparet ex recensione paginarum codicis illius,ubi eae simul collectae extant. Harum primam nunc exhibemus, quae,ut nihil habeat aliud, praeter quam significationes amoris, quo in Bencium Scipio ferebatur: tamen cum edita nunquam fuerit, cumque, quod potissimum est, singularem illam humanitatem, ac prolixam in litteratos viros voluntatem, qua Scipio illustrabatur, apertissime ostendat, digna propterea visa est, quae a nobis exhiberetur. Alteram autem tunc afferemus cum de Scipionis morte sermo erit: habet enim illa epistola nonnulla, unde indicia haberi possint, quo morbi genere clarissimus hic vir interierit, quod a nemine, quod sciam, memoriae proditum est.

SCIPIO CARDINALIS GONZAGA

FRANCISCO BENCIO S. D.

„ Nulla tibi causa erat, Benci, cur verereris, cum ad me scri-
„ beres, ne quis te levitatis accusaret. Neque enim ii accusari so-
„ lent, qui amicorum absentum recordantur, ac tum maxime mu-
„ tuum amorem vigere ostendunt, cum longius absunt: immo vero,
„ ut egregius ille orator ajebat, hoc solidae amicitiae argumentum
„ est. Praeterea si tu in tuum, ut dicitur, sinum inspicias, atque
„ tuam ipse virtutem intuearis, eruditionem, caeterasque animi tui
„ plaeclaras dotes, quae vel ignotis te carissimum reddunt, non mi-
„ hi solum, qui multos ab hinc annos amo te ex animo, neque te
„ unquam amare desinam, quoad tu is qui es esse desinas, quidnam
„ te a scribendo retardare poterat, aut hunc tibi scrupulum inji-

„ cere, quod nimis mecum familiariter ageres, si ad me scriberes?
„ Quare agendae tibi gratiae, non levitas tua accusanda videtur.
„ Quod si quis tamen usque adeo obstinato animo sit, ut te accu-
„ sandum judicet, tuam in scribendo tarditatem accuset. Atque equi-
„ dem cogitabam ipse adversus tabulas tuas inofficiosi querelam, cum
„ hae mihi litterae tuae perlatae sunt, quae et hanc cogitationem
„ ademerunt, et tanta me voluptate profuderunt, ut facere non pos-
„ sim, quin te rogem, ut quam saepissime, modo per occupationes
„ liceat, posthac ad me scribas; illudque tibi persuadeas velim, quem-
„ admodum nihil hoc mihi potest gratius accidere, ita me summo-
„ pere cupere, hinc tibi aliquam offerri occasionem, qua mea,
„ quam tibi perpetuo paratam polliceor, opera utaris: ut eo ipso
„ tempore, quo tu amorem in me tuum declaras, ego meam prope
„ in te singularem benevolentiam re ipsa patefaciam. Vale.
„ Romae XII. Kal. Quintil. MDXCII.

Scipio Card. Gonzaga.

Pag. 285. (38) Vide quae allata sunt ad notam 36. ubi Malatestae etiam testimonium legitur.

Pag. 288. (39) Quo studio in litteras, atque in memoriam litteratorum Aloisius Valentius Gonzaga V. E. feratur, cum docent haec monumenta ipsa, quae tanto studio idem edenda curavit, eaque opera, quam navavit diligentissimam, ut omnia colligerentur, quae ad hos commentarios Scipionis ornandos pertinerent; tum, ut praetereantur caetera, declarant ea, quae idem in renovanda memoria Dantis Aligherii Poetae doctissimi, ac celebratissimi praestitit. Etenim cum Vir Eminentissimus sepulcrum illius nequaquam tanti poetae celebritati par Ravennae offendisset; indigne ferens, monumentum hominis, cujus scriptis adeo Italia illustrabatur, situ, ac squallore obsitum nullo in honore esse, multis aureorum millibus de suo erogatis totum e marmore restituendum, atque in speciem exornandum curavit, tota plaudente Aemilia, quam provinciam eo tempore V. E. summa cum aequitatis, ac vigilantiae laude admininistrabat. Haec caeteraque ejus in litteras, atque in litteratorum Virorum memoriam merita haud patiebantur, me ingrato animo voluntati ejusdem repugnare, cum praesertim ab eo rogarer, ut hujus absolvendi operis provinciam susciperem. In quo si temere fortasse videbor fecisse, quod, tenuitatis meae conscius, id operis aggressus sum, ingrati certe animi redargui non potero, qui Viri Eminentissimi, ac de litteris optime meriti voluntati minime repugnandum judicaverim.

Pag. 291. (40) Placet hic etiam afferre ejusdem Hippolyti Capilupii elegiam ad Scipionem adolescentem, qua eum Patavii studiorum causa agentem rus invitat, quae tum quia ad Cl. Adolescentem scripta est, tum quia declarat quibus officiis a Viris doctis idem coleretur, praetereunda non fuit.

Hippolytus Capilupius ad Scipionem Gonzagam Marchionem.

Dum Patavi studio musarum incensus ad urbem
Pervigilas noctes, pervigilasque dies,
Hic ego formosi succensus ruris amore
Noctes, atque dies otia laetus ago.
Tu rerum tentas naturam noscere, nullus
Quam penitus chartis explicuisse valet:
Ipse fruor donis, quae dat natura benigna,
Et larga nobis explicat usque manu;
Usque manu larga nobis hic munera mille
Praebet, et innumeras prodiga fundit opes:
Illa tamen, Gonzaga, tibi quoque munera servat,
Qualia vix hortus praebuit Hesperidum:
Huc adsis: tibi non uvae, non aurea mala,
Non deerunt plenis roscida mella favis.
Hic hyacinthus hiat, hic lilia tempore florent
Alba suo, hic vernant mista ligustra rosis.
Et tenui resonant frondentes murmure sylvae,
Et passim dulci voce queruntur aves:
Hic etiam lepores latitant, saliuntque per herbas,
Quos cane sectari fas tibi semper erit.
Stagnaque non absunt molli circumlita musco,
Hic poteris pisces fallere arundinibus,
Nec labyrinthus abest contextus flore virenti,
Cujus odoratas me juvat ire vias;
Mille viis fallor, tamen est gratissimus error,
Nam mihi per flexus semper it aura comes.
Nec procul a nobis fluviorum maximus arvis
Eridanus liquidis in mare currit aquis,
Hic levibus nautas Zephyris dare vela videbis,
Pronaque remigiis sollicitare vada.
Jam venias, jam rumpe moras, huc te via ducet,
Qua nulla in toto pulchrior orbe viret:
Illius omne solum stratum bene olentibus herbis
Integit umbriferis populus alta comis.
Si nos invises, non te venisse pigebit,
Tempora (crede mihi) non tibi tarda fluent.
Nam si, posthabitis interdum ruris amoeni
Deliciis, libris invigilare voles:
Non libri deerunt, nec qui per amoena locorum
Ad Sophiam ducant te breviore via.
Hic Federicus, simul et Ferrarius adsunt:
Egregius tibi dux alter, et alter erit;
Ille tibi mores naturae ostendere, hic omnes
Metiri terras, et supera alta potest.

In Carminib. Capilupiorum Romae editis par. 2. pag. 89.

Pag. 292. (41) Joanni Andres Hispano, Viro doctissimo, neque urbanitate minus, quam scriptis claro, hoc monumentum acceptum referimus. Ille enim ex tabulariis Mantuanis, et hoc ultro obtulit, et rogatus alia multa investiganda, ac describenda curavit, quae ad Scipionis memoriam pertinebant: nihil non praeterea praestiturus, quo et Scipionem ipsum ornare, et Aloisii Valentii Gonzagae V. E. studiis obsequi posset. Ut igitur pateat, quid in Graecis Scriptoribus Latine interpretandis Scipio adolescentulus potuerit, particulam ejus libri, quem idem ex Xenophonte Latinum fecit, una cum ejus epistola ad Herculem Gonzagam Cardinalem, de qua meminimus, hic habes.

Illustrissimo, ac Reverendissimo

HERCULI GONZAGAE CARDINALI MANTUAE

PATRONO AMPLISSIMO

SCIPIO GONZAGA S. D.

„ Non oblivione promissi, aut instituti mei per aliquot men„ ses nullam ad te lucubrationem detuli; sed quoniam (ut scis) ad„ versa valetudine retardatus, litterarum studia saepius intermisi; „ propterea nihil scribere potui, quod tibi aut testimonium observan„ tiae meae esset, aut mearum exercitationum specimen exhiberet. „ Nunc vero cum Latinum fecerim primum Xenophontis librum de „ dictis, et factis Socratis, visum est mihi eum tibi tradere, ut fructus „ aliquis meorum studiorum extet; tuque eum (si libuerit) legere „ possis. Nam existimabam fore, ut multum delectationis inde per„ ciperes. Dum enim accusatorum, et calumniatorum crimina re„ felluntur, complura ab illo sapientissimo viro divine dicta, factaque „ commemorantur. Ac denique pleraque afferuntur ad philosophiam „ de moribus pertinentia, quam dicebatur Socrates a caelestibus „ rebus ad vitae humanae usum, atque commodum transtulisse. „ Hunc igitur libenter accipe, caeterosque expecta, si Deus juverit, „ tuque pro tua benignitate meis studiis favere non destiteris. Vale.
Mantuae V. Cal. Quint. MDLVIII.

Xenophontis de dictis, et factis memorabilibus Socratis lib. 1.

„ Saepenumero admiratus sum, quibusnam rationibus hi, qui „ Socratem accusarunt, Atheniensibus persuaserint, eum visum „ mortis supplicio a civitate afficiendum esse. Nam accusatio in il„ lum talis fere erat. Delinquit Socrates, quippe qui, quos Civitas „ Deos colit, eos ipse rejicit, alia vero nova numina introducit. „ Delinquit item, quoniam adolescentes corrumpit. Primum igitur „ quod patrios Deos negligeret, quonam signo usi, comprobant? „ Patebat sane, eum saepe tum domi, tum in publicis civitatis aris „ sacra facere, et palam vaticiniis uti. Nam pervagatum erat, quod „ Socrates diceret, Doemonem sibi omnia significare; ex quo pro-

„ fecto maxime mihi videntur ipsum accusasse, quod nova numina „ inferret. Ille vero nihil novius inferebat, quam alii, quicunque „ divinationi fidem habentes, auguriis, oraculis, portentis, et „ sacrificiis utuntur. Siquidem neque isti opinantur, aves, vel ea „ quae occurrunt, scire, quae nam vaticinantibus utilia sint, sed „ ipsos Deos his nunciis haec significare. At plerique dicunt, sese „ ab avibus, et ab his, quae occurrunt, tum revocari, tum incita- „ ri. Socrates autem quemadmodum sentiebat, ita dicebat; nempe „ Doemonem ipsum cuncta indicare: itaque familiares suos admone- „ bat quae agenda, quaeve non agenda essent, tanquam Doemone „ praedicente. Et iis quidem, qui ipsi parebant, utilitati erat; eos „ autem, qui spernebant, valde poenitebat. Atque quis audeat ne- „ gare, noluisse eum neque arrogantem, neque stultum sociis videri? „ Subiisset autem utramque culpam, tanquam si res a Deo significa- „ tas praedicens mendax deprehensus fuisset. Manifestum est igitur, „ nihil eum praedicturum fuisse, nisi credidisset, vera fore. Haec „ autem quisnam alii ulli crediderit, praeterquam Deo? Diis au- „ tem qui crederet, quomodo Deos esse non putabat? Mos prae- „ terea, et consuetudo ipsius erat, ut amicos ea, quae necessaria „ essent, ita agere admoneret, quomodo censebat optime agi posse. „ De incertis vero, atque obscuris jubebat oracula petere, et con- „ sulere, num agenda essent; dicebatque tum domos, tum civitates „ recte institutas vaticinio indigere. Nam aedificandi, fabricandi, „ agri colendi, hominibus imperandi, computandi, rei familiaris, „ aut militaris gubernandae peritiam, censebat doctrina quidem, ac „ disciplina contineri; at vel in his ipsis ajebat, Deos sibi maxima re- „ servasse, quorum nihil hominibus manifestum esset. Neque enim „ ei, qui recte agrum conseruerit, exploratum esse, quis nam fru- „ ctum sit percepturus; neque ei, qui scite domum aedificaverit, „ quis eam habitaturus sit; neque imperatori, expediatne bellum „ gerere; neque civili viro, an sua intersit, civitati praeesse; ne- „ que ei, qui delectationis causa pulchram uxorem duxerit, an ob „ illam aliquid molestiae, et incommodi accepturus sit; neque demum „ ei, qui potentes in civitate affines acquisierit, an propterea futu- „ rum sit, ut ipsa patria privetur. Eos autem, qui nihil horum „ a Diis pendere, sed omnia humani ingenii esse putarent, insanire „ dicebat. etc. Ex Tabul. Mantuan.

Pag. 295. (42) Petrus Antonius Serassius in Vita Torquati Tassi libro 1. pag. 117. adnot. 5. haec ex Donio perhibet „ Anton Fran- „ cesco Doni nella dedicatoria, che fa agl' Illustrissimi Signori Aca- „ demici Eterei del suo libro intitolato Pitture, ed impresso in Pa- „ dova per Grazioso Percacino 1564. ci ha lasciata memoria dei sog- „ getti, che in detto anno si trovavano ascritti a quella nobile Aca- „ demia, e furono Jacopo Cornaro Principe, Vincenzo Gradenigo, „ e Pomponio Beccadelli Consiglieri, Scipione Gonzaga Censore, Lui- „ gi Gradenigo, Pietro Gabrielli, Francesco Molino, Lazaro Moce- „ nigo, Aluigi Pesaro, Marcantonio Begliocchi, Stefano Santino,

„ Gioacchino Scaino, Girolamo Palazzi, Girolamo Grimani, Annibale Buonagente, Ridolfo Arlotti, il Pertistagno, Scipion Bardi, il Conte Ottaviano Capra, Giovan Francesco Musatto, l' Anguillara, e Torquato Tasso „ Ne furono poi in appresso ascritti alcuni altri, come Ascanio Pignattello, l'Abate Cornaro, il celebre Battista Guarino, che vi si chiamò il *Costante*, ed era segretario dell'Academia, quando nel gennajo del 1567. uscirono alla luce le rime di questi Signori Academici.

Qui sane viri (quod nemo eruditus ignorat) si minus omnes scriptis deinde illustrati sunt, singuli certe singularis ingenii, ac doctrinae opinione eminuerunt.

Pag. 293. (43). Habes hic Guarinii ad Scipionem Epigramma, quod in carminibus Aethereorum est XXIV. ex Guarinianis in editione Ferrariensi anni 1588.

Se all' alto suon della feconda lingua
Vostra, Scipio gentil, foss' io conforme,
Destar vedreste il nome mio, ch' or dorme,
Senza temer che Lete unqua l' estingua:
Ma l' arte allor che il suo difetto inpingua,
Prende da voi queste leggiadre forme.
Deh quando fia giammai ch' i mi trasforme
Sì, ch' ella in me dal ver non si distingua.
Voi, quasi il sol, ch' un bel cristallo allume,
Ver me spiegando vostro raggio altero,
Adombrate in altrui quel, che voi siete.
Dunque volgendo a voi lo stil potrete,
Lasciando l' ombre, avvicinarvi al vero:
Che quel, che mio credete, è vostro lume.

Quo de Epigrammate sic in indice iisdem Athereorum carminibus adjecto „ Si rendono grazie in questo sonetto all' Illmo Sig. Scipione Gonzaga *Ardito Etereo* dell' orazione, che egli in lode dell' autore creato Principe dell' Academia, secondo il costume avea recitata.

Pag. 297. (44) Vide quae dicta sunt ad notam 36.

(45) Haec ex Torquati ipsius ad Scipionem litteris cognoscimus, quarum haec habet epistola, quae legitur T. VII. ejusdem operum p. 423. „ Ma in tutti i modi mi vo immaginando, e quasi fingendo fra me stesso quel piacere, che V. S. mi promette; perch' io non l' ho sentito maggiore d' altra conversazione, o d' altri ragionamenti, che de' suoi „. Atque iis ipsis Torquati verbis usus est Serrassius in ejus vita, cum haec eadem de Scipione commemoravit lib. 3. pag. 401. „ Solo Monsignor Gonzaga, che veramente amava il Tasso, posponendo ogni privato commodo alla sodisfazion dell' amico, lodò questa sua risoluzione (di andare a Roma) e s' impegnò ancora di ottenergliene il permesso dal Principe. Onde Torquato lietissimo di dover presto rivedere un suo si caro Signore, si andava immaginando, e quasi fingendo tra se stesso quel piacere, che il Gonzaga gli prometteva,

„ protestandosi, che non l'aveva sentito maggiore d'altra conversa„ zione, o d'altri ragionamenti, che de' suoi „.

Pag. 298. (46). Haec duo nobis satis superque visa sunt ad declarandum quanta in Scipione esset eloquentiae efficacitas. Caeterum non ea sola documenta extant, ex quibus singularis haec hominis laus deprehendi possit, ut ejusdem commentarios legentibus facile patebit.

Pag. 299. (47). Hoc profecto est, cur Borghesius, cujus nos epistolam supra attulimus ad notam 16. illa de hac Scipionis laude commemoraverit „ Perciocchè nella Latina, e nella nostra bellissima Toscana „ poesia cotali frutti avete prodotti, che gli uomini giudiziosi stanno in „ dubbio, se al vostro Marone, ed al nostro Petrarca dare il primie„ ro luogo oggi si debba „. Eandem etiam ob Scipionis laudem Marius Crescimbenius in suo opere „ Della Volgare Poesia „ Lib. 2. cap. 69. inter clariora Italorum Poetarum lumina, quae ex Gonzagarum Familia prodierunt, Scipionem nostrum recenset, cum scribit „ La Serenis„ sima casa Gonzaga, che vide soventi volte unire ne' suoi figli l'arme „ alle lettere; ed in ogni tempo si gloriò di avere e chi facesse opere „ degne di scriversi, e chi ne scrivesse degne di farsi, molto aumentò „ lo splendore della volgar poesia: mentre nel solo secolo, del quale „ favelliamo, diede non pochi nobilissimi ingegni, tra i quali è „ dovuta particolar memoria a Ferrante Principe di Molfetta, a Sci„ pione Signor di Gazuolo, ad Ippolita Duchessa di Mondragone, a „ Galeazzo, a Vespasiano Duca di Trajetto, a Cesare Duca d'Ariano, „ a Luigi, ed a Curzio, de quali noi abbiam letto ed ammirato nobilissi„ me rime „ Inde etiam illae laudes (ut de caeteris sileam) a Baptista Guarinio, atque a Torquato Tasso, Poetis clarissimis, Scipioni Poetae datae. Siquidem Guarinius cum multis in locis, tum praecipue in celebratissimo suo poemate „ del Pastor fido atto v. scena 1. „ Loquentem Carinum inducens, ita per eum laudat Scipionem, qui sub Aegonis nomine latet.

Musico Spirto in giovanil vaghezza
D'acquistar fama, ov'è più chiaro il grido;
Ch'avido anch'io di pellegrina gloria
Sdegnai che sola mi lodasse, e sola
M'udisse Arcadia, la mia terra, quasi
Del mio crescente stil termine angusto.
E colà venni, ove è si chiaro il nome
D'Elide, e Sparta, e fa si chiaro altrui.
Quivi il famoso EGON di lauro adorno
Vidi, poi d'Ostro, e di virtù pur sempre;
Sicchè Febo sembrava. Ond' io divoto
Al suo nome sacrai la cetra, e 'l core.

Torquatus vero hoc nobilissimo Epigrammate hanc ejusdem, in poetica facultate praestantiam extollit in Carminib. Aether. pag. 140. Edit. Ferrariensis.

SONETTO

Ben per tuo danno in te si larga parte
Del suo divino spirto Apollo infonde,
E i doni suoi, perchè tu sol n'abonde,
Sì scarsamente a noi versa, e comparte.
Che, se fosse in altrui l'ingegno, e l'arte,
Che in te quasi sepolto oggi s'asconde,
Sol dagli alti tuoi pregj, e non altronde,
Torria nobil materia a mille carte.
Tu, mentre gli occhi in ogni parte giri,
Nè ritrovi al tuo canto egual suggetto,
Pien di sdegno gentil taci, e sospiri.
Perchè dir di te stesso a te non lece?
Perchè ciò deve a Scipio esser disdetto,
Se già (nè senza onor) Cesare il fece?

Quid vero de hac Scipionis praestantia senserint haec duo illius saeculi lumina, plura suo loco erunt afferenda, cum videbimus eum ab egregiis hisce viris censorem, et emendatorem suorum scriptorum adhibitum fuisse, quo nihil luculentius est ad hanc Scipionis laudem declarandam.

Pag. 303. (48) Patebit hoc doctorum de Scipione judicium ex iis, quae mox dicturi erimus, cum de Tasso, ac Guarinio sermo erit, qui eum judicem carminum suorum constituerunt.

Ibid. (49) Hieronym. Tiraboschius Vir doctissimus, ac de litteratorum Italorum memoria omnium optime meritus, cum de Scipione meminit ex hoc potissimum eximiam ejus in poetica facultate praestantiam agnoscit, quod eum excellentiores illius aetatis poetae scriptorum suorum judicem, ac emendatorem adhibuerint. Vide Scipionis elogium in eruditissimo eximii hujus scriptoris opere „ Storia della Letteratura Italiana tom. VII. parte I. pag. 71.

Pag. 305. (50) Vide quae ex Serassio attulimus in notis superioribus numero (42).

Pag. 306. (51) Epistolam Donii ibidem leges.

Pag. 309. (52) Sic Serassius in Torquati Vita pag. 119.

„ Essi furono dal Tasso indirizzati al Sig. Scipione Gonzaga, non
„ solo perchè questi poteva in ciò consigliarnelo al paro di qualunque
„ altro, essendo Signore assai dotto, e di un finissimo giudizio anche
„ nelle cose della Poetica; ma eziandio per mostrarsegli grato de'
„ molti benefici, e della grande, e fratellevole amorevolezza, che gli
„ usava. E ben fu ventura che un esemplare di sì fatti discorsi re-
„ stasse in mano del Gonzaga; perchè così poterono dopo molti
„ anni esser dati alla luce.

Pag. 310. (53) In Tomo X. operum Torquati Tassi edit. Venetae 1739. pag. 68. haec habemus.

Memoria lasciata al Sig. Ercole Rondinelli da Torquato Tasso, quando andò in Francia, che si conserva originale in Ferrara presso il Rmo Sig. Canonico Girolamo Baruffaldi.

„ Perchè la vita è frale, se piacesse al Signore Iddio disporre al-
„ tro di me in questo viaggio di Francia, sia pregato il Sig. Ercole
„ Rondinelli a prender cura di alcune mie cose. E prima, in quanto
„ alle mie composizioni, procuri di raccogliere i miei sonetti amorosi,
„ e i madrigali, e gli mandi in luce: gli altri o amorosi, o in altra
„ materia, che ho fatto per servigio di alcun amico, desidero, che
„ restino sepolti con esso meco, fuor che quel solo „ Or che l'aura
„ mia dolce altrove spira „. L'orazione, che io feci in Ferrara, avrei
„ caro che fosse veduta; e finalmente quattro libri del poema eroi-
„ co, del Gottifredo i sei ultimi canti, e de' due primi quelle stanze,
„ che saranno giudicate men ree: si veramente, che tutte queste cose
„ siano riviste, e considerate prima dal Sig. Scipione Gonzaga, dal Sig.
„ Domenico Vaniero, e dal Sig. Gio: Battista Guarino, i quali per
„ l'amicizia, e servitù, che ho con loro, mi persuado, che non ricuse-
„ ranno questo fastidio. etc.

Pag. 311. (54) Vide quid hac de re etiam Serassius scriptum reliquerit in vita Torquati lib. 2. pag. 190. in adnotationibus, et iterum pag. 211. ubi legimus, Torquatum, quamvis in poematis sui emendatione non unius tantum Scipionis judicio usus sit, tamen judicium ejus caeterorum omnium judicio fere semper praetulisse.

Pag. 312. (55) In epistola Torquati ad Lucam Scalabrinum, quae legitur vol. x. pag. 88. ejusdem operum „ Ho seguito ut plurimum i
„ concieri del Signore (nimirum Scipionis: hac enim appellatione ple-
„ rumque utitur Tassus in litteris suis cum eum nominat) ho muta-
„ to quello, che si diceva dell' elezione di Tancredi: ho aggiunto una
„ stanza del parer di Rinaldo, come era necessario. Desidererei sa-
„ pere ciò, che il Signore disapprova nel parlar di Plutone, per po-
„ terlo emendare. etc.

Ibid. (56) Sunt haec Torquati verba in epistola ad Scipionem, quae legitur in Tomo eod. pag. 21. „ Ora, ancorchè io sia fermo nella
„ mia opinione, nondimeno la stima, che io fo di VS. Illma, a cui
„ piacque l' opposizione, e la gelosia, che ho della sua buona opinio-
„ ne mi ha fatto pensare, e ripensare, se fosse possibile, senza
„ rovinare la fabrica, e discordare da miei principj, di sodisfare, o
„ in tutto, o in parte al giudizio suo. etc. „

Pag. 316. (57) Ex eadem epistola Torquati ad Lucam Scalabrinum, quam attulimus in adnotatione 55. „ Questo tanto, che scri-
„ vo, desidero, che sia letto dal mio Signore, perchè egli sappia la
„ mia opinione: ma il prego nondimeno, che egli non rallenti la
„ cura intrapresa: che so bene, che dal suo giudizio, e dalla sua
„ mano non potranno uscire se non infiniti miglioramenti; ed io ho
„ sempre più confidato nella sua lima, che nella mia „

Pag. 317. (58) Ibidem pag. 98. ep. ad Scip. „ Ora le replicherò so-
„ lamente, che io la prego con ogni affetto ad affaticarsi alquanto
„ per la mia gloria, particolarmente nella positura dei versi, che cer-
„ to ve ne sono alcuni, se non molti, duretti, e talora troppo incul-
„ cati; nè a me è venuto fatto di mutarli; e so quanto ella sia buon
„ Maestro non solo nel far di nuovo, ma anco nel rappezzare. etc.

Et pag. 109. ad eundem „ Aspetto i versi migliorati con grandissi-
„ mo desiderio „

Et pag. 120. „ A me piace sommamente di avere imaginato una
„ cosa prima imaginata da V. S. poichè questo mi è certo argomento,
„ che ella sia molto buona. Aspetto la mutazione de' versi, e me ne
„ prometto molto utile, e sodisfazione. Conosco ne' protesti la so-
„ lita modestia di V. S., la quale veramente è soverchia meco, per
„ molti rispetti; e guardisi VS. dal biasimo, che diede Aristotele a
„ Socrate, che ricusò il nome di Maestro. etc.

Et pag. 127. „ Altro non mi avanza da dirle, se non pregarla,
„ che polisca in modo questi tre ultimi canti, che non abbiano da
„ invidiare ai fratelli. etc.

Et pag. 330. in Torquati Vita apud Serass. „ Se io fossi Virgilio la
„ pregherei, che si contentasse di essere Tucca, o Vario: benchè all'
„ animo suo più si convenisse essere Mecenate: ma dove è Augusto?

Ibid. pag. 123. „ E poichè son tornato a parlare de' suoi avverti-
„ menti, non mi stancherò di tornare a dirle ciò, che per l'altra mia
„ le scrissi; che io quanto più li rileggo, tanto maggiormente ne ri-
„ mango soddisfatto; e maggiori conosco essere da una parte il giu-
„ dizio, la diligenza, e l' amorevolezza di VS; dall' altra gli obblighi
„ miei, e la fortuna del mio poema: e comecchè di molti, anzi
„ della più parte de' suoi concieri mi compiaccia, di quello rimango
„ soddisfattissimo „ Non morì già: che sue virtudi accolse. „ E non
„ posso quando il leggo non ridermi, e non burlarmi di me stesso,
„ che penai tutta una sera per accomodare que' due versi, e gli mutai
„ in cento modi: e pur non mi sovvenne questo così buono, e na-
„ turale. etc.

Pag. 318. (60) Fax quasi quaedam nobis fuit Torquati Tassi vita a P. Ant. Serassio eruditissime scripta: ejus siquidem ope latentia multa de Scipione invenire datum est, quae de eodem protulimus: praesertim ex iis, quae ad censuram operum Torquati Tassi, et Baptistae Guarinii pertinent: quibus ex monumentis omnium judicio praecipua Scipionis laus in litteris constituitur. Nec vero nos in caeteris etiam rebus, quae a nobis primum prodita de Tasso sunt, eruditissimi hujus viri minus juvit auctoritas. Nihil enim ex iis, quae hic de eo homine edidimus, non Serassio audito, nihil non eodem probante proferre voluimus. In eaque re, ut semper eruditionem ejus prorsus singularem sumus admirati, ita et humanissimam sensimus urbanitatem. Quae apertissime, ut ingenui animi est, profitemur, non ad significationem solum grati animi nostri in memoriam Viri Clarissimi, qui dum haec ipsa scribebamus tanto cum rei literariae damno, ac bonorum omnium dolore e vivis ereptus est, verum etiam ad auctoritatem his scriptis nostris conciliandam: cum certum sit, singula quaeque, quae his continentur, eius viri judicio probata esse, cujus ingenii monumenta declarant, nihil eruditionem ejus latuisse eorum, quae ad saeculi xv. ac xvi. historiam pertinent, ita ut vere de eo illud usurpari possit, quod de Scipionis litteris dicebatur „ *Quel, che non ne sa egli, pare, che*

non se ne possa sapere da niuno,, elog. Scipionis a Malatesta scriptum, de quo nota 36.

Pag. 319. (61) Ex epistola Torquati ad Scipionem Vol. x. p. 118. ,, V. S. mi gonfia di tanta ambizione di si segnalato favore, come è, ,, ch' ella trascriva di sua mano si lunga Iliade, che io non ne capisco ,, in me stesso. La cortesia di Allessandro non si paragoni a questa; ,, nè Allesandro a Scipione in molte cose. Io non voglio entrare ne' ,, ringraziamenti; che questo campo omai non voglio correr con lei ,,.

Ibid. (62) ,, Scipionis vestigiis insistit, ac domestica studia persequitur Aloisius Valentius Gonzaga Cardinalis. Dum enim Cajetanus frater ejus V. C., is, cui hic commentariorum liber inscriptus est, lectissimam Bibliothecam Mediolani instruit, omnibus fere libris, qui a typorum exordiis saeculo xv. prodierunt, omnibusque Manutiorum codicibus comparatis; ipse Romae suam, quam habet ornatissimam, augere, atque ornare pergit; quae, ut nondum adhuc absoluta sit, (hanc enim animi causa V. E. in dies ad perfectum ducendam curat) tamen, si ex voluminum copia vel nunc aestimare ipsam velis, haud eam tu litterariam supellectilem privati Principis, vel lautissimi, dixeris, verum publicum potius urbis, vel nobilissimae, ornamentum. Hoc tamen posterius ducendum est, si rerum pretium, librorumque ipsorum, quibus abundat, delectum consideres: cum nihil in ea extet, quod non exquisitum in suo genere sit, atque perfectum. Corpora, quae majori in aestimatione sunt, vix hic ulla desideres, sive quibus Scriptorum claritas pretium facit, sive quibus Criticorum, sive quibus praelorum. Adde codices, quibus summorum ingeniorum praeclara monumenta, necdum in lucem edita, litteris consignata continentur; adde autographa Scriptorum excellentium, qui saeculis xv., ac xvi. floruerunt, inter quos, ut Mantuanos solum nominem, Balthassaris Castilionei, Antonii Possevini, Bernardini Marliani opera, haud postrema hujus Bibliothecae ornamenta, recenseas. Adde praeterea, quod decus ejusdem prope singulare est, infinitam miscellaneorum rarissimorum syllogen: (siquidem quadraginta ferme opusculorum millibus ea constat) quae cum ob hoc ipsum insignis est, tum eo insignior etiam habenda, quod haec Menkeniorum studiis superbissimo delectu collecta, eorum dum vixerunt fuit; iisdemque, tanquam promptuarium rerum pulcherrimarum, multa suppeditavit ad praeclara illa opera scribenda, quae tanto cum rei litterariae incremento edita sunt a viris illis eruditissimis, a quibus Lipsiensium Doctorum judicia olim habuerunt exordia. Post, Menkeniis demortuis, a *Sylvio Valentio* Gonzaga Cardinale grandi pecunia comparata, moxque ab eodem una cum caetera Bibliotheca Aloisio fratris filio in haereditatem legata, multis accessionibus per eum habitis, amplissime locupletata est. Illud vero decus hujus sylloges longe praeclarissimum, quod quae a doctissimis viris centum ante annis legi coeperit, eadem nunc a pari item celebritate viro in ordinem sit digesta. Etenim Cajetanus Marinius Tabularii Vaticani Praefectus, Vir, cujus pares paucos haec Urbs no-

stra habet, sive ingenium ejus spectes, sive doctrinam, sive mores suavissimos, atque urbanitatem, pro eo quo est in Aloisium Cardinalem studio, postquam Bibliothecae huic toti ordinandae, ejusdemque indici conficiendo consilio suo praefuit, hanc etiam opusculorum seriem ipse per se in ordinem universam redegit. Siquidem, diligentissimo labore adhibito, eam ad classes quasdam revocavit; quarum singulas ita deinceps dispertitus digessit, ut Bibliothecam alteram ex hac una Scriptorum sylloge prorsus confecerit; in qua indicis accuratissimi ope, qui ad singulas quasque classes est ab eodem adjectus, non illud effecit solum, ut quaecumque quaeras invenire facili negocio possis, verum etiam (quod plurimi faciendum est, et in quo doctissimus horum opusculorum instructor praecipue peritiam probavit suam) unico veluti intuitu cognoscas quanto pretio singulare hoc Scriptorum corpus sit habendum.

Pag. 320. (63) De hoc Codice sic Serass. in Vita Torq. pag. 523. *Codice Gonzaga* „ Questo bellissimo Codice in foglio di mano del celebre Cardinale Scipione Gonzaga è scritto con molta pulitezza a „ tre ottave per pagina, e contiene tutta intera la Gerusalemme, eccettuato qualche stanza, ed alcuni versi del primo canto, ove alla seconda ottava „ O musa tu „ mancano li tre ultimi versi, e tutta la „ terza stanza „ Sai che là corre il mondo „. Ci sono molte varie lezioni ai proprj luoghi, le quali riscontrate da me con qualche diligenza ho trovato essere le medesime, che si veggono stampate in „ fondo della rarissima edizione del Goffredo fatta in Venezia presso „ Grazioso Percacino 1582. in 4. che è la terza che ne procurò Celio Malaspina. Il Poema ha questo Titolo „ Gerusalem recuperata „ per Gottofredo Buglioni ridotta in ottava rima per il Sig. Torquato „ Tasso „. In fronte vi sono alcune stanze del Sig. Frizzoli al Sig. Torquato Tasso in lode sua, e dell' opera, e sono quelle medesime, che „ si veggono premesse per la prima volta al Goffredo delle stampe di „ Altobello Salicato Venezia 1584. in 12. e susseguentemente in diverse altre edizioni. Nel canto IX. alla stanza 45. mancano i quattro „ ultimi versi, e alle stanze 67. del canto XI. mancano i due ultimi; „ siccome i due ultimi mancano parimente alla stanza 53. del canto „ XII. Nel canto XV. manca la stanza 13. „ Sol del regno l'Egitto „ e „ v'è lasciato lo spazio in bianco per due ottave; sebbene siegua „ subito la 14. „ Mentre ciò dice „. Nello stesso canto stanza 45. manca il „ 2. verso „ Insino al monte „ e il 7. verso „ S'inalzan quinci „ alla „ stanza 42. Il detto canto XV. termina colla stanza 56. „ Ma tutta insieme „ prima v'era la seguente assai inferiore all' altra troppo nobilmente migliorata.

Tutta quell' acqua poscia insieme accolta
Mormorando sen va tra vaghe fronde;
E chi mira invaghisce, e chi l' ascolta
Col dolce suono, e con le lucid' onde:
E sovra ambe le rive è così folta
L' ombra che scende in lor da verdi fronde

Fff

E così alta l' erba ivi si estolle,
Che seggio esser non può più fresco, e molle.

„ E finalmente nel canto xx. stanza 4. manca il 7., e 8. verso.
„ Tutte queste cose ho io potuto notare a grande agio, stante la singolare benignità, con cui si degna di riguardarmi il rispettabilissimo possessore di questo prezioso manuscritto, che è S. E. il Sig. Card. Valenti Gonzaga Legato di Romagna, nella cui nobilissima casa pervenne già questo Codice per giusto retaggio, secondo che lasciò scritto ne' suoi ragionamenti il Baruffaldi, che pur lo vide, ed avvertì, che il principal nerbo si era nell' ortografia, ed in qualche parola altramente, e con maggior finezza di lingua scritta, che negli stampati.

Carmina, quae mutata in hoc codice sunt, numerantur ad ccxvi. Praeter *Octavas*, quas dicimus, quarum xvii. demptae e suo loco sunt, et ad codicis extrema relatae.

Pag. 323. (64) Sic Scipio ad Guarinium in lib. Lettere del Guarini impresse in Venezia presso Giovan Battista Ciotti 1603. pag. 163. „ E certo se objezione alcuna si può dare a quest' opera meravigliosa, è l'essere troppo bella: in quella guisa appunto che altri potrebbe riprendere un convito, dove non fossero altre vivande, che di zucchero, e di mele. Pure perchè non vi è altro vizio, che soverchia virtù, nè imperfezione, che non argomenti perfezione, contentisi V. S. di aver fatto un parto, del quale non so se il secol nostro sia per goder cosa, che li vada del pari: del che non mi rallegro tanto con lei, che altrettanto non me ne rallegri con noi medesimi, che abbiam ventura di leggerlo, e forse anche un dì di vederlo rappresentare in iscena. Starò dunque con sommo desiderio aspettando che egli esca alle stampe, e frattanto mando a V. S. nota di alcune poche cosette, cha sono ito considerando in lui: ma protesto, che ciò si fa da me più tosto per servire a lei, che me ne ha richieato, che perchè il poema abbia bisogno di correzione, o perchè io speri di poter dir cosa, che più tosto non iscemi, che accresca bellezza all' opera.

Ibid. (65) Et pag. 49. ejusd. lib. habes epistolam, qua Guarinius Scipioni respondet „ Ho doppio debito con V. S. Illma, anzi, se bene lo miro, triplicato, anzi infinito; e della troppo cortese diligenza da lei usata intorno al mio poema, e della umanissima lettera scrittami su tal soggetto, e dell' onoratissimo testimonio, che ella ne fa, il quale mi basta per tutti i testimonj del mondo, e per quante vittorie gli antichi tragici mai ne avessero. Se io volessi renderle grazie di tante grazie, darei segno di non conoscere la loro grandezza, o per dir meglio la grandezza dell' animo di VS. Illma, la quale bene operando riceve onore da se stessa. Ed è ben ragionevole, che così sia: poichè niuno la può meglio onorare di se stessa, se pur l' onore deve essere proporzionato alla persona onorata. Ma troppo ho detto non potendo dire abbastanza: e però la supplico, che me ne scusi, ed anche in questo mi sia cortese. Degli avvertimenti fatti

„ da lei con tanto giudizio scriverò poi quel, che mi occorre, con maggior ozio; E al fine le bagio la mano, e prego Iddio, che le conceda „ ogni prosperità. Ferrara 8. Marzo 1588.

Pag. 328. (66) Habes hic Scipionis epistolam ad Camillum Castilioneum Balthassaris filium, quae nunc primum editur.

ILLUSTRISSIMO SIGNORE

„ I modi principali, che possono servire alla correzione de' libri „ non trovo secondo il mio parere più che quattro. Perciocchè o si „ trasportano le parole da luogo a luogo, overo si mutano, e si trasformano in altre, o si scemano nel numero loro levandone alcune, „ o finalmente s' accrescono con l' aggiungervene di quelle, che non „ vi furono prima. Ben è vero, che a voler numerare i sopradetti „ modi secondo la divisione, che alcune differenze quasi specifiche „ fanno di loro, riescono in molto maggior quantità; come, per grazia d' esempio, se noi volessimo considerare il modo della mutazione, troveremmo, che si può fare o per materia, o per forma, „ o per fine. Materia delle parole chiamo le lettere, come materia di „ una statua si può chiamare il marmo; e il chiamarlo materia, è „ proprietà di parlare, nominandole tanto i Greci, quanto i Latini, elementi. Si muta la materia delle parole, quando si alterano, o per „ migliorare l' ortografia, o per accompagnarle con quegli accidenti, „ che le fanno regolate, secondo l' uso della lingua migliore, o forse „ per altro rispetto. Si muta la forma delle parole, quando diventano affatto differenti dalle prime, e non si fa mai questa mutazione „ di forma, che non si faccia anco di materia, almeno per diversità di „ collocazione; perchè le lettere nelle parole diverse sono così diverse, come la materia seconda ne' corpi naturali. Si mutano ultimamente in diversi modi le parole per rispetto del fine; perchè o „ s' ha riguardo alla tessitura, ed alla composizione delle voci, che „ i Maestri del parlare chiamano stile, o al sentimento delle sentenze: e le sentenze si mutano per diversi rispetti, i quali non è necessario riferire particolarmente in questo proposito. Quasi colla „ medesima maniera di metodo potremo andar dividendo gli altri tre „ modi principali, che restano. Ma passando all' uso, che di loro si „ serve, è da presupporre, che non sempre si adoperino nel medesimo modo, come non sono medesimi i modi della scorrezione de' „ libri. Sono i libri scorretti o involontariamente, o volontariamente. Involontariamente intendo scorretti quei libri, che non per volontà dell' autore, che così gli abbia voluti scrivere, ma per qualche accidente o di tempo, o di malignità, o d' ignoranza d' altri, „ o anco per qualche altro rispetto sono alterati, e fatti diversi da „ quello che furono nel loro primo nascimento. Dall' ingiuria del „ tempo non solamente sono stati o rosi del tutto, o lacerati in gran „ parte innumerabili Scrittori della classe più bassa, ma molti dei „ principali eziandio, che per la loro eccellenza par, che si potessero „ promettere una incorrotta immortalità: ed Aristotele medesimo

„ non prima, che ai tempi di Silla uscì mezzo fracido, e guasto alla „ luce degli uomini. La malignità s' è impiegata a danno de' buoni „ Scrittori, o per odio universale contro la gloria delle più celebri „ nazioni, e contro lo splendore delle buone lettere, come fu esercitata dalla furia de' Barbari nelle ruine principalmente d' Italia, „ o s'è messa per diabolico istituto con pensiero di corrompere la „ vera relligione della Fede di Cristo. Così corruppero gli Ariani le „ parole del Concilio Niceno, così secondo alcuni furono dagli Eretici antichi perversamente ripiene d' errori le scritture d' Origene; „ e nel medesimo modo i Talmudisti hanno in diversi luoghi alterato „ il testo delle Sacre Lettere, ed i moderni Eretici caminando per „ le vestigia degli antichi nemici della verità, non cessano di insinuare nelle anime de' semplici infiniti errori sotto falsa apparenza o „ di migliori traslazioni, o di più sottili interpretazioni delle opere „ de' santi Scrittori. Non minor danno ha fatto in diversi tempi ai „ libri degli uomini dotti l' ignoranza di coloro, che gli hanno trascritti; nè da altro principio, che da questo ha avuto origine quella „ confusa, ed indistinta varietà, che vediamo tanto più nelle opere „ de' migliori, quanto più essi erano mandati per molti luoghi, e „ per molte mani. Volontariamente poi dir si possono scorretti i libri, quando l' autore medesimo mosso o da una cagione, o da „ un altra scrive in modo, che e per sua propria riputazione, e per „ publica utilità i suoi scritti hanno bisogno di correzione. A una „ gran parte di quegli errori, che dissi potersi nominare involontarj, „ rimediano con molta diligenza quei valenti uomini, che confrontando insieme l' opere degli antichi descritte da diverse mani, ed „ in diversi tempi, s' affaticano notabilmente per ridurre al lor primo „ splendore le buone lettere: e se alcuni si trovano, che troppo arditamente corrono dietro alle proprie opinioni, mutando, e trasportando le parole a lor gusto, non deve la temerità di certi pochi „ fare pregiudizio alla gloria, ed al merito di molti: e quand'anco „ per la maggior parte fosse degna di biasimo l' animosità di simili „ uomini, potrebbe nondimeno bastare a farci stimar buona l'audacia „ in questa professione il valor solo di quel gran critico, il quale con „ una magnanima prosunzione, conservò al Mondo nel modo, che le „ veggiamo, le opere del Principe de' Poeti. Agli errori, che volontariamente si commettono dal medesimo Autore tanto in vita, quanto in morte di lui, s'oppongono alcuna volta i raccordi, e l'industria degli amici particolari, alcuna volta ancora il Principe, e le „ leggi publiche delle città.

Il primo modo di correzione è quello, che toccò Orazio in diversi luoghi, come parlando di Quintiglio;

. . . . „ corrige sodes
„ Hoc ajebat, et hoc.

Ed altrove in persona propria;

. . . . „ monitus, multumque monendus
„ Privatas ut quaerat opes, nec tangere curet
„ Scripta Palatinus quaecunque recepit Apollo.

„ E così dicono che fu emendato Lucrezio per opera di Cicerone, ad „ istanza di Quinto suo Fratello; e Virgilio per opera di Varo, e „ di Tucca, per comandamento d' Augusto.

„ Il secondo modo di correzione, che sempre ha qualche riguardo „ al publico fu adoperato dal medesimo Augusto, quando comandò a Vir- „ gilio, che cangiasse le laudi di Cornelio Gallo nella favola di Ari- „ steo. Non solamente si correggono dal Principe, e dalle leggi gli „ errori volontarj, ma anco gl' involontarj, purchè siano di qualche „ incommodo alla publica utilità. E questa è quella sorte di corre- „ zione, che Platone giudica tanto necessaria innanzi la divolgazio- „ ne di alcuni libri, e per rispetto della quale stima convenirsi l'isti- „ tuzione di un nuovo Magistrato nella Republica, non potendo- „ si quasi immaginare, non che esprimere con parole, quanto danno „ ai costumi della vita civile possa apportare la libera publicazione „ d' ogni maniera di libri: sebbene la riserva de' nostri tempi, sen- „ za che altri s' affatichi, ha molto apertamente fatto conoscere que- „ sta verità. Per questo rispetto gli Ateniesi condannarono al fuoco „ l' opere di Protagora, ed i Romani i libri superstiziosi trovati nel- „ la sepoltura di Numa Pompilio. Nè altra cura più necessaria al „ culto divino, nè più giovevole alla gloria di molti nobili Au- „ tori poteva abbracciare Santa Chiesa nelle calamità di tante ere- „ sie, che questa del far correggere, ed espurgare diversi libri, „ dove avessero qualche macchia d' errore appartenente alla publica „ salute dell' anime. Ma non ognuno per avventura è buono esecu- „ tore di questa santissima legge, sebbene in tutti i Ministri è la „ medesima buona volontà, indirizzata al bene universale de' fedeli. „ Ne io sò più degli altri, o pretendo censurare le azioni di più inten- „ denti di me. Dirò solamente, per ubbidire a V. S. Illma, che nel „ particolare della correzione del Corteggiano io de' quattro modi rav- „ visati di sopra, mi servirei principalmente di un solo, o di due al „ più, cioè del levare, e del traspor le parole: perchè il mutare, „ e l' aggiungere pochissimo servano al fine, che ha introdotto la „ correzione. Il fine è, che con quel minor danno, che si può del- „ la facondia, e dell' economia dei libri si correggano le parole o „ scandalose, o pregiudiziali apertamente alla Religione, e ai buo- „ ni costumi. Il mutar le parole ne' libri graziosi, ed eleganti, co- „ me veramente è questo del Conte Baldassare, e l' aggiungervene di „ nuove, oltre che non è necessario al fine proposto, se non in po- „ chissimi luoghi, non è anco cosa da tutti; e pare appresso, che „ ne segua delle due cose l' una, cioè, o che conoscendosi da' pos- „ teri queste parole mutate, e aggiunte, si levi ai libri ogni grazia, „ ed ogni sodisfazione a chi legge; o essendo confuse, e non cono- „ scendosi, siano ingannati i Lettori con una menzogna non troppo „ lodevole. Ed io non sò per questo vedere come desse l' animo a Giu- „ stiniano di gloriarsi di aver non solamente fatto aggiugnere molte „ parole ne' libri, o per dir meglio ne' frammenti de Giure Consulti „ antichi, ma fatto anco mutare le opinioni medesime con le paro-

„ le . So bene, che nella correzione de' Testi Canonici s' è atteso, per „ ordine di Santa Chiesa, a far tutto il contrario negli Scritti de' Pa„ dri . All' incontro la traslazione, e lo scemamento, per dir così, cor„ reggono ogni sentenza disonesta, e poco religiosa, e cessano tutte „ le sconvenevolezze, che apportan seco li altri duo modi . Perchè „ i libri non sono come le statue, che o private di un braccio, o di „ una gamba, o intagliate con istraordinaria collocazione delle parti, „ riescono goffe, e ridicolose; ma sono piuttosto a guisa delle vesti, „ che possono contraersi, e dilatarsi, aver più, o manco falde in „ alcune parti, non senza grandissima grazia. E se i libri hanno for„ se qualche proporzione con le statue, meglio è, per giudizio di chi sà, „ avere una Venere o di Prassitele, o di Lisippo con una gamba „ mezzo rotta, che averla rappezzata per mano di qualche Artefice „ ineguale a quei valenti uomini . E se in questa Città si veggono „ molti pezzi di diversi simolacri poco grati alla vista, che poi rag„ giunti con altri pezzi riescon belli, e di molta stima, ciò avviene „ o perchè l'artefice del vecchio non trascende l' industria del nuovo, „ o perchè trovandosi il vecchio consumatissimo, e trasfigurato del „ tutto, ogni cosa, che se gli aggiugne, lo migliora di necessità . Le „ quali due cagioni non hanno ora luogo nel Corteggiano, e for„ se meno in altri libri, che sono stati corretti fin ora . Questa con„ siderazione, credo io, che inducesse Augusto a comandar a Varo, „ ed a Tucca, che nel riveder l' Eneide di Virgilio, non s' arrischias„ sero di aggiugnere alcuna cosa del loro, ma sibbene levassero, se „ fosse bisogno, come fecero nel principio del primo libro, e nel „ mezzo del secondo . Non nego già, come dissi di sopra, che certe „ paroluzze non possano mutarsi, e che alcune altre non vi si deb„ bano alle volte metter di più, ma ciò giudico doversi fare in po„ chissimi luoghi, ed in caso di estrema necessità, come io mi so„ no ingegnato di fare nel luogo del bacio, che altrimenti si perde„ rebbe tutto, e in alcune altre parti, secondo che verrà vedendo „ V. S. Illma, al giudizio della quale sottopongo non solamente il mio „ parere nelle cose dette fin quì, ma rimetto insieme ogni opinione, „ che possa cadermi nell' animo in materia più grave, e più impor„ tante di questa, e le bacio umilmente le mani „ . Ex Tabul. Ca„ stilioneor. Mantuae .

Pag. 335. (67) Est huic dialogo hic titulus „ Il Gonzaga, overo „ del poema eroico „ Dialogo di Anselmo Cebà al Card. D. Allesandro „ d' Este . In Genova presso Giuseppe Pavoni 1621.

Pag. 343. (68) Habes hic Torquati Epigramma, quod primum ad gratias Scipioni agendas in coetu Aethereorum recitatum ab illo fuit . Ex Carm. Aethereorum . pag. 138. edit. Ferrar.

Poichè 'n vostro terren vil Tasso alberga
Dal Ren translato, ond'empia man lo svelse,
Là 've par, ch'egualmente omai l'eccelse
Piante, e le basse orrida pioggia asperga:
S'egli già fu negletta, ed umil verga,
Or mercè di Colui, che qui lo scelse
Fra' suoi be' lauri, e propria cura felse,
Tosto avverrà che al ciel pregiato s'erga.
E caldi raggj, e fresch' aure, e ruggiade
Pure n' attende a maturar possenti,
E raddolcir l'amare frutta acerbe,
Onde il lor succo all' api schife aggrade,
E mel ne stilli, che si pregj, e serbe
Poscia in Parnaso alle future genti.

Pag. 344. (69) Ex epistola ad Scip. pag. 425. Vol. IX. Op. Torquati Tassi „ Ai dubbj della tragedia avrò considerazione: dell' opere, „ che si stampano a Bergamo alcune non posso impedirne, altre si „ stampano di mio volere, cioè i Dialogi dedicati a V.S. Illma: an„ zi io sollecito lo stampatore, perchè quanto prima siano stampati. „ Mi ha fatto gran torto il Licino a mandar fuori i discorsi del Poe„ ma Eroico tanto imperfetti, senza dedicazione, e senza altro di„ mostramento della mia antica servitù a V. S. Illma. penso di accre„ scerli molto. etc.

Pag. 345. (70) Usum esse Scipionem suasore Speronio ad deterrendum ab eo consilio Torquatum, propositis aulicae vitae periculis, etiam apud Serassium legimus in ejusdem Torquati vita pag. 123.

Pag. 348. (71) Nolim mihi vitio dari, quod ad declarandam Scipionis in Tassum suum voluntatem, ac fidem, haec ego de Tasso ipso quasi criminator perhibeam. Sunt enim omnia, quae hic afferuntur, cum ex Scipionis, ac Torquati litteris perspecta, tum ex iis, quae de Torquato ipso Serassius prodidit, longe exploratissima. Praeterea quis me his narrandis de hominis opinione aliquid detrahere velle putet, cum illud certissimum sit, quae hic absurde quandoque a Tasso facta narrantur, ea ab illo mente perturbata fuisse facta?

Pag. 351. (72) Sic enim Torquatus ad Antonium Constantinium oper. Vol. x. p. 38. epist. 65. „ Vorrei conservar memoria della servitù, „ e della stima, che feci di quel Signore, non solamente in qualche „ mio Sonetto, o Canzone, ma in un Libro dell' Immortalità dell' ani„ ma, nel quale vorrei introdurre Sua Signoria Illma a ragionare, co„ me lo Sperone introdusse già il Cardinal Contareno. etc. „

Pag. 353. (73) In libro, cui titulus „ Origine del Tempio dedi„ cato in Roma alla Vergine Maria Madre di Dio presso porta Flami„ nia detto oggi del Popolo „ Sic Ambrosius Landuccius scribit, giornata 2. pag. 31. dum Pontifices plures, ac Cardinales recenset, qui donariis suis templum illud locupletaverunt „ Ed in particolare il Card. „ Scipione Gonzaga donò tutta la sua sagrestia non solo di parati, ma „ d' argenti, e d' oro, come ne fanno certa testimonianza i maestosi

„ candelieri d'argento e di cristallo, le croci, i vasi, i calici, e „ le paci „ et pag. 33. „ Il Card. Scipione Gonzaga regalò anch'egli „ il nostro Sagro Tempio di due altri reliquiarj indorati, che stanno „ nell'altare del SS. Crocifisso . etc. „ Et pag. 138. memorat, hoc titulo, ex auctoritate Sixti V., Cardinalem Novocomensem primum omnium esse usum, cui deinde Scipio successor est datus, utpote qui tunc Augustinorum, a quibus templum illud custodiebatur, patronus erat, cujus precibus illud impetratum a Gregorio XIV. perhibet, ut in ara maxima, in qua soli Pontifices antea sacra faciebant, caeteris etiam sacerdotibus liceret ea facere.

Pag. 355. (74) Ex actis Sanctor. Mens. Junii in Vita S. Alois. tom. 4. edit. Venet. fol. 1024. haec in 2. epistola a Nicolao Fabrinio scripta rogatu Virg. Ceparii. „ Commostrarunt quoque inter se propensionem „ mutuam non vulgarem, Aloisius quidem profitendo ingentem suam, „ qua tenebatur, Cardinali obligationem, quem se dicebat agnosce- „ re patrem alterum, et maximum omnium, quos in hac vita ha- „ bebat, benefactorem, quia ejus opera, et annisu, post tot sibi aliun- „ de objecta impedimenta, votorum suorum summam obtinuisset, „ ingressionem in Sanctam Jesu Societatem. Marchio enim pater illum „ totius negotii arbitrum tandem constituerat „.

Pag. 356. (75). Ibidem. „ Cardinalis vero, quamvis Aloisium „ longe superaret aetate, agnoscebat eum sibi patrem spiritualem, „ e cujus congressibus, salutaribusque dictis fatebatur, se semper „ interno gaudio delibutum, et mirifice adjutum fuisse... dictitans, „ sua opinione, ipsum, qui tam sapienter elegisset, et tam constan- „ ter sequutus fuisset vocationem suam, felicissimum esse omnium, „ qui unquam in familia Gonzaghiorum felices fuerint „.

Pag. 357. (76) Ibidem „ Accidit quoque non multo prius, quam „ moreretur, me cum aliis Patribus una esse in cubiculo ejus, quan- „ do illuc venit aegrum visitaturus Scipio Gonzaga Card. sanguinis „ vinculo ei conjunctus. Coepit ille nonnulla dicere de sua inva- „ letudine corporali, et innuere, non longum sibi superesse tempus „ vitae, uti exitus etiam probavit. Quando incepit Aloisius cum „ eo colloqui de gratia singulari, quam illa in re praestaret Illustris- „ simae Dominationi suae Deus, deque modo, quem tenere oporteat, „ dum istiusmodi praenuntiis a Deo illustramur. Quae quidem, etsi „ ignota non essent Cardinali prudentissimo, sed probe perspecta, et „ praemeditata, tamen ita affecerunt animum ejus, ut inde abun- „ daret consolatione mirifica. etc. ex eodem Fabrinii testimonio.

Pag. eadem (77) Ex altera hac epistola a Scipione paullo ante quam is moreretur ad Bencium scripta, quamvis non aperte pateat quo morbi genere ipse fuerit extinctus, videntur tamen indicia suppeditari, interiisse eum iis podagrae, ac renum doloribus recrudescentibus, quorum gravitate praecisam omnem sibi spem valetudinis recuperandae ipse profitetur.

SCIPIO CARDINALIS GONZAGA

FRANCISCO BENCIO S. D.

„ Neque te uno amabilius quicquam, Benci, aut officii plenius „ fieri posse puto, qui cum maxime id quod amici est praestas, tum ne „ aliis quidem, ne dum tibi credis satisfecisse. Gratissimae mihi fue„ runt litterae tuae, gratiores tamen futurae, si de tua valetudine „ id pertulissent, quod ipse summopere desiderabam. Sed in eodem „ portu navigamus, mi Benci. Ego quoque putabam, caelum hoc „ mihi mirifice profuturum, atque ea me huc potissimum causa im„ pulit: at neque caelum, neque adhibita remedia tantillum profue„ runt. Tu in hoc felicior, qui si amicorum consiliis pareas, qui tibi „ suadent, ut tibi ipse parcas in laboribus, remittasque aliquid de „ contentione animi, jam sperare potes, valetudini consuluisse. Mihi „ vero spes omnis adempta, ac praecisa est, nisi me ipse respiciat „ Deus. Consolemur interea nosmetipsos uterque, ut minus aegre „ feramus infirmitatis molestias. Tu perge, quoad isthinc abero, „ neque vero diutius abero, quam totum hunc mensem, ni fallor, „ scribere ad me quo crebrius poteris: magno enim solatio mihi sunt „ suavissimae litterae tuae: ego contra si nihil aliud habuero, quo „ oblecteris, illud certe quantum potero efficiam, ut meum erga te „ amorem quacumque in re perspicias. Vale. Ex oppido Sanctomar„ tino Nonis Novembris MDXCII. Ex Biblioth. Coll. Rom. in eo Co„ dice, in quo clarorum Virorum epistolae ad Bencium scriptae extant.

Ibidem (78) In vita Vespasiani Gonzagae, quam laudatus saepe a nobis Irenaeus Affò eruditisssime scripsit, ac Parmae edidit anno 1780. tota haec controversia inter Gonzagas fratres, et Vespasianum ipsum usque ad ejus mortem dilucide exposita legitur: quomodo autem post mortem ejusdem, ac paullo ante mortem Scipionis dissidia, quae inde coorta inter fratres sunt, sublata fuerint, atque Scipionis ipsius liberalitate composita, docemur ex ejusdem Affò ad Carolum Valentium Gonzagam Epistola, cujus partem hic nos afferimus.

„ Venuto Vespasiano a morte non è già vero ciò, che il Donesmondi raccontaci, che lasciasse cioè la sue Terre, e beni di Lombar„ dia, perchè si dividessero fra i detti quattro Fratelli (*Vità di Mons. „ Franc. Gonz. lib.* 3. *c.* 8. *pag.* 203.) mentre è troppo certo, che „ pel testamento suo rogato ai 25. di Febbrajo del 1591. chiamò sua „ erede universale la Figlia. Allora il Caraffa, che già premunite „ avea le fortezze del suocero d'armi, e di gente, si dichiarò di vo„ lersene mantener nel possesso. Pirro all'incontro, e i Fratelli, „ benchè inferiori di forze, tuttavia si dichiararono legittimi suc„ cessori del Cugino. Ed ecco tosto apparir segni ben manifesti di „ non lieve contesa. Ma non fu così, imperciocchè appena morto Ve„ spasiano gli amici comuni s'interposero con tanta efficacia, che „ disposero le parti ad amichevoli composizioni. Capacitato il Ca„ raffa com'era ingiusto il testamento del suocero, e conoscendo non „ aver egli a che fare soltanto co' Signori di S. Martino; ma si bene

„ col Duca di Mantova, che per la già stretta alleanza non avrebbe „ tardato a mandar loro armi, e soldati, si piegò di buon'animo „ a condiscendere ai consigli degli amici; però, offerendosi a pagar „ Sabbioneta a quel prezzo, che destinato avesse la Maestà dell'Im- „ peradore, cedette a' Fratelli Gonzaghi la Terra, e Castello di Bo- „ zolo munito come trovavasi, non meno dell'altri luoghi già pos- „ seduti da Vespasiano. Ricevettero adunque i Fratelli le dette Terre, „ e vendettero al Caraffa Sabbioneta per publico Istrumento rogato il „ giorno 6. di Marzo dello stesso anno; di modo che in pochi giorni, „ svanirono tutti gli apparati di vicina guerra. Gli oblighi però, a „ quali assoggettar si dovette il Principe di Stigliano, furono, che „ non dovesse in Sabbioneta altro presidio tenere, che le solite guar- „ die, che d'ordinario tener si sogliono in tempo di pace; e che „ non potesse mai far contratto di quel Ducato se non se o col Duca „ di Mantova, o con i Fratelli venditori, e loro eredi; e che man- „ cando la sua linea maschile, succedessero i venditori, e dopo questi „ il Duca di Mantova, a condizione che a' Signori di Stigliano sborsas- „ sero il prezzo della prima lor compera. In questa guisa disposte paci- „ ficamente le cose, andò il Duca Vincenzo a possesso di Rodigo, e „ Rivalta; e Bozolo, Ostiano, Rivarolo, e Comessaggio rimasero „ in potere de' quattro Fratelli, tra' quali Giulio Cesare, sempre „ dagli altri diviso, ottenne il Principato di Bozolo in sua porzione. „ Perchè però l'attendere, che il prezzo di Sabbioneta determinato „ fosse da Cesare, e dilazione importava, e spese non poco gravose, „ Pirro, e Ferrante col consenso di Scipione convennero d'accordar- „ lo amichevolmente col Principe di Stigliano: laonde ben esaminate „ le cose, il primo giorno di Luglio dell' anno stesso decisero, che „ dovesse consistere in cento quaranta mila scudi da lire sei moneta „ di Bozolo, e di S. Martino. In quel tempo Giulio Cesare, si era „ portato alla corte Cesarea per farne egli disegnar il prezzo: il per- „ chè nacque ben tosto tra esso, e i Fratelli contesa, e l'atto già sti- „ pulato fu avuto per insussistente, comettendosi ad altri Giudici la „ cognizione di questo affare. Ma intanto Pirro il maggior de' Fratelli „ a 15. di Giugno del 1592 venne a morte, del che fu Scipione oltre „ modo afflittissimo, e temendo di nuove discordie tra Giulio Cesare, „ e Ferrante nella divisione de' beni, deliberò volersi egli contentare „ di poco; purchè paghi restassero eglino, e vivessero in pace. Non „ si dimenticò tuttavia di Francesco suo Fratello, già ministro Gene- „ rale de' minori Osservanti, ed allora Vescovo di Cefalù (imperciò- „ chè parendogli, che alla dignità sua convenisse aver onde vivere „ splendidamente, gli impetrò un Breve dal Pontefice facendolo abili- „ tare ad esser a parte nell' eredità (*Donesmondi Vita di Mons. Franc.* „ *Gonz. lib.* 3. *c.* 9. *pag.* 208.) Ciò fatto lo mandò a' Fratelli, per- „ chè fosse ministro di pacifiche composizioni, e venuto poscia per- „ sonalmente a S. Martino operò, che a Francesco fosse assegnata per „ tutto il tempo di sua vita la terra d' Ostiano, e contentandosi egli „ del semplice usufrutto della Terra di S. Martino, restarono a

„ Giulio Cesare Bozolo , e Comessaggio , ed a Ferrante Rivarolo, e „ Cividale, stipulandosi l' Istrumento della divisione il giorno 2. „ di Gennajo dell'anno appresso. Ma in questo tempo medesimo , o „ che l'incomoda stagione l'avesse maltrattato nel viaggio , o che al- „ tre sue indisposizioni l'avessero a poco a poco condotto alla fine „ de' suoi giorni, sentivasi Scipione assai malconcio , ed infermo . „ Dopo la stipulazione dell' indicato Istrumento si fece più grave il suo „ male : onde agli 11. dello stesso mese mancò di vivere con dispia- „ cere comune . Ex Sched. Caroli Valentii Gonzagae .

Pag. 459. (79) Habes hic Clem. VIII. P. M. epistolam ad Julium Caesarem Scipionis Fratrem responso datam ex Tom. 38. Brev. Clem. P. VIII. in Tabul. Vatic. pag. 203.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO JULIO CAESARI GONZAGAE

CLEMENS PP. VIII.

„ Dilecte fili, Nobilis Vir, salutem. etc. Vere indicas, molestum „ nobis accidisse obitum Scipionis Cardinalis Fratris tui . Amaba- „ mus enim illius modestiam, integritatem, prudentiam singularem : „ itaque magnam ejus obitu jacturam factam esse intelligimus ; eam „ vero jacturam omnem nostram esse : nam cum illo praeclare est „ actum, qui in tantis rerum, ac temporum procellis expeditus e „ corporis compedibus, periculisque omnibus, atque hujus vitae ma- „ lis solutus, et liber , evolavit ad illam alteram beatissimam , ac „ sempiternam vitam, ad quam ille cum reliquo tempore, tum , ut „ scribis, in extremo illo se se forti, ac magno animo comparavit . „ Est haec sane magna, et vera communis jacturae consolatio, qua „ te sapienter uti, ad leniendum desiderium, quod affert naturae , „ et sanguinis conjunctio ex tuis litteris animadvertimus. Te vero „ semper plurimi faciemus, nec ullo loco, ubi quid acciderit opus „ esse tibi, auctoritate, atque opera deerimus . Dat. Romae apud „ S. Petrum die v. Febr. 1593. Pont. Nostri Anno secundo .

Antonius Boccapadulius.

Pag. 361. (80) Extat haec Guarinii Epistola in libro epistolarum ejusd. de quo supra nota 64.

„ Ha perduto Mantova un singolare ornamento , il Princi- „ pe un gran congiunto , la sua casa un ottimo Padre , Roma un „ futuro Pontefice , S. Chiesa un acerrimo difensore , la corona dei „ Cardinali una gioja , le lettere il pregio loro , i letterati la loro „ protezione, e finalmente il mondo un tesoro. d' ogni virtù, d' ogni „ onore , d' ogni bontà . Contuttociò non posso persuadermi , che „ niuno abbia fatto più grave perdita di quella , che ho fatt' io, e che „ ad ogn' altro non resti qualche luogo da ristorarsi , se non a me , il „ quale dove troverò io mai più, benchè vivessi mill' anni un Signo- „ re nè tanto antico, nè tanto caro , nè tanto savio , nè sì sincero, „ nè sì amorevole ? il quale per mutare nè di luogo , nè di fortuna , „ nè sua nè mia, non ha mai verso me mutato nè costume, nè vo-

„ lontà : et avvenga che mi fosse padrone sì riverito , ha voluto „ sempre trattare con esso meco d'amico , amico vero , amico in- „ faticabile , compagno de' miei studj , giudice de' miei scritti , con- „ solatore de' miei travagli , appoggio de' miei pensieri , soccorso „ de' miei bisogni , vita della mia vita ; ond' egli è ben ragione , „ che con la morte sua sia morto ancora in me tutto quello , che „ di buono , e di consolante potevano sperare queste poche reliquie „ del viver mio . Da tante piaghe , che con un colpo solo ho ricevu- „ to nella sua morte , potrà V. S. Illma ben comprendere , che que- „ sta è vera condoglianza , che io ne fò seco , non essendo possibile „ nè dolersi nè compatire dell' altrui male , e dell' altrui dolore con „ maggior affetto del mio . Sò , che egli è morto a noi , e non a se . „ Sò , che la sua virtù , che'l suo nome , e che la sua memoria non „ morrà mai . Sò , ch' egli avendo vissuto sempre nell' animo , ed „ essendo volata l'anima al Cielo , non si può dire , che egli sia mor- „ to . Sò tutto questo , ma che mi vale , se la sua santissima morte non „ può rappresentarmi la gloria sua , che insieme non mi rappresenti „ il mio danno ? Niun conforto finalmente mi resta , se non una spe- „ ranza d' esser tenuto , e da lei , e dagl' Illustrissimi suoi Fratelli , ai „ quali intendo , che questa sia comune , in quel medesimo gra- „ do , e concetto di servidore , che io era con la grand' anima del „ Signor Cardinale . A questo modo andrò ingannando me stesso , „ e mitigando il dolore di tanta perdita . E siccome procurerò io con „ tutte le forze mie di farmi degno della sua grazia , così prego V.S. „ Illma a volermene assicurare col darmi occasione di poterla servire . „ Col qual fine le bacio la mano , e prego Dio , che le conceda sem- „ pre felicità .

Ibidem (81) Vide quae dicta sunt ad adnot.(72) ubi verba ipsa Torquati ex epistola ejusdem descripta exhibentur .

Pag. 362. (82) Haec enim in ea epistola leguntur „ Tra' mor- „ ti sono pure quì impressi i ritratti , che da' loro parenti , o ami- „ ci ne sono stati cortesemente comunicati ; ed abbiamo con gran- „ dissimo nostro sentimento tralasciati molti insigni letterati , mol- „ ti Cavalieri nobilissimi , e fino Prelati , e Cardinali di grandissi- „ mo merito , e sapere , per non aver potuto finora averne le imagini . „ Tali sono Scipione Cardinal Gonzaga quel padrone confidentissimo „ di Torquato Tasso , e Francesco Cardinal Buoncompagno „ In lib. cui tit. „ Memorie , imprese , e ritratti degli Accademici Gelati di Bologna in epistola quam scribit „ *L' animose* , o sia Gio. Battista Capponi a chi „ leggerà .

Hujus Academiae Insigne fuit Silva densis arboribus consita, eademque hiemis causa frondibus omnibus spoliata , cum Epigraphe „ *nec longum tempus* „ qua nempe innuitur , brevi cum ver advenerit , eam novas frondes esse explicaturam . Habes hoc emblema expressum in fronte libri III. horum Commentariorum .

ADNOTATIONUM FINIS .

INDEX
RERUM PRAECIPUARUM

A

Academia Aethereorum a Scipione Patavii instituta 36., et 376. Quo anno ejus initia fuerint 376. Ejus leges 36. progressus 37. 293. 303. 376. Academicorum numerus 402. Eorum carmina bis typis impressa 336. Academiae insigne 376. et in fronte lib. I. horum Commentariorum.

Academia „ de'Gelati „ Bononiens. Scipionem Collegam suum laudat 420. Ejus Academiae Insigne *ibid.* et in fronte lib. III. horum Commentariorum.

Academia Mantuana „ degli Invaghiti „ quo tempore instituta 377. Defenditur contra Ruscellium a Scipione Collega. *ibid.* Academiae Insigne *ibid.* et in fronte lib. II. horum Commentariorum.

Affò Irenaeus V. C. de his monumentis omnium optime meritus 394. Horum Commentarior. Codicem autographum casu Vastallæ reperit, ac describendum curat. *ibid.* Tum incendio consumptum dolet *ibid.* Epistolae ejus duae ad Carolum Valentinum Gonzagam Marchion. cui Codicis exemplum typis ejus opera imprimendum exhibet 394. et 417. Pluribus in locis laudatur.

Amadejus in Histor. manuscr. Rerum Mantuanar., quae Mantuae asservatur, Scipionem amplissime a doctrina laudat 401.

Andres Ioann. V. C. ac de his monumentis optime meritus Xenophontis librum a Scipione adolescente Latine redditum invenit, atque exhibet 396. qui suo loco exhibetur. 401.

B

Bauciorum origo an a Magis ducenda? 366.

Bencius Franciscus. Ejus ad Scipionem epistola 397. Epistolae Scipionis ad eum duae nunc primum editae 399. 417.

Borghesius Diomedes Partem V. carminum suorum Scipioni inscribit, eumque a doctrina, et a scriptis amplissime laudat 377.

Borromaeus Carolus Card. vir sanctissimus pium coetum nobilium cisalpinorum adolescentium Romae instituit, in eumque Scipionem adscribit 245. Judex in causa matrimonii inter Vincentium Gonzagam, et Margaritam Farnesiam constituitur 446. Scipioni favet 354.

C

Caesarinius Julianus Cardinalis Mantuam a Pio IV. ad Herculem Gonzagam Cardinalem hortandum mittitur, ut Legatus Concilii Tridentini constitui patiatur 26.

Capilupius Hippolytus Scipionis studiosissimus. Ejus ad Scipionem adolescentulum epistola, in qua ipsius ingenium, ac litterae amplissime laudantur 289. Item

ad Scipionem Elegia, qua eundem rus invitat 400.

Capilupius Julius. Ejus ad Scipionem Cardinalem Cento totus ex versibus Virgilii conditus 390.

Caranza Bartholomaeus Archiepiscopus Toletanus. Ejus doctrinae censura 199. Ejusdem viri obitus 200. Scipionis, qui judicio illius interfuit, de eo homine opinio. *ibid.*

Castalio Josephus. Ejus in Scipionem Cardinalem creatum Panegyris 388.

Castillioneus Camillus Comes ad Gazolum expugnandum cum copiis mittitur 89. Scipionis ad eum Epistola nunc primum edita de librorum emendandorum ratione; cum de emendando libro Patris ejus „ Il Cortigiano,, agitatum est. Vide ubi Gonzaga Scipio.

Cebà Ansaldus. Ejus de Poemate Heroico dialogus „ Gonzaga „ nuncupatus 332. quem ad finem scriptus dicatur *ibid.*

Clementis VIII. ad Julium Caesarem Scipionis fratrem epistola, in qua egregium de Scipionis vita functi virtute testimonium 359. et 31.

Correa Thomas Scipioni librum de Elegia dedicat, in eoque ingenium, naturam, moresque ejus eleganti elogio graphice exprimit 327.

Crescimbenius Marius Scipionem inter clariora poetarum lumina recenset 404. Ejusdem de Ansaldo Cebà judicium 335.

E

Erythraeus corrigitur 376.

Estensis Alfonsi Ducis Ferrariensis in Torquatum Tassum asperitas 340. et seq.

Estensis Hippolytus Cardinalis Scipionem uti in familiam suam se adscribi patiatur rogat, at Scipio renuit 55. Annuit tandem, at invitus 56. Hippolyti obitus 185.

F

Farnesius Octavius Parmae, ac Placentiae Dux a Caesare dissidiorum inter Gonzagas Fratres, et Vespasianum arbiter datus 42. Sententiam fert 61. et 63.

Franciscus Maria Urbini Dux. Ejus de Celsitudinis appellatione cum Madrucio Card. negocium 232.

G

Gabriellius Julius moderator studiorum Scipioni datus 20. Ejus mores, ac litterae *ibid.* et 367. Ejusdem ad Scipionem adolescentem epistola *ibid.*

Gonzaga Aemilia Scipionis mater perperam Boschettiam ab aliquibus appellatam 271. Cremonae moritur 211. Ejus Cadaver ad S. Martinum Oppidum transfertur, ac sepulcrum habet in sacello SS. Crucis a se condito 212. Sepulcri titulus 380.

Gonzaga S. Aloisius in Societatem Jesu ingredi cupiens, ad expugnandam patris voluntatem veniam dare recusantis, Scipionis officiis, et auctoritate utitur; ejusque opera voti fit compos 355. Gratissima memoria hoc ejus officium prosequitur *ibid.* Eidem satis clare mortem prenunciat 357.

Gonzaga Alfonsus Scipionis frater moritur 106. Ejus elogium 107.

Gonzaga Annibal Scipionis frater Francisci nomine assumpto Minoritarum familiae nomen dat 71. Romam venit 196. Summus magister ordinis eligitur *ibid.* Ce-

phaludensis Ecclesiae primum Episcopus creatur 270. tum Ticinensis, demum Mantuanae *ibid.* Claret virtutibus, et Miraculis 378. In bonorum domesticorum divisione, Pontifice Scipionis precibus annuente, Ostianum oppidum ei attribuitur 418.

Gonzaga Carolus Scipionis pater. Admiranda nonnulla de ejus corporis viribus narrantur 13. item de virtutibus animi 15. moritur 13. Ejus mors Scipioni noxia 19. ejus Cadaver humatum in Oppido Sancto Martino 212.

Gonzaga Franciscus a Pio II. Cardinalis creatus inter Episcopos Mantuanos, et Bononienses minime recensendus 465.

Gonzaga Franciscus. Ejus adhuc pueri occulta cum Scipione simultas 11. Deinde cum eodem arcta conjunctio 22. A Pio V. Cardinalis creatur 25. Obiit 51. Ejus nomen desideratur in Historia Gymnasii Ferrariens. 367.

Gonzaga Fr. Franciscus. Vide ubi Gonzaga Annibal.

Gonzaga Fridericus Cardinalis creatur. Eo creato, tres simul e Gonzagarum familia Cardinales extiterunt unico exemplo 29. qui tamen intra triennium mortui omnes sunt. *ibid.*

Gonzaga Fridericus Gazoli Marchio. Ejus testamentum, 110. et mors. 115.

Gonzagae Gentis origo a Germanorum Principibus. 3. et seq. Ejusdem Genealogia *ibid.*

Gonzaga Guillelmus Mantuae Dux Scipioni infensus. 53. In dissidio inter Scipionis familiam, et Vespasianum Gonzagam judex a Caesare constituitur. 61. Controversiae hujus cognitionem invitus deponit. 63. Gazolum armis expugnare statuit. 89. Eo vi potitur. 92. Dosuli arcem occupat. 115. Pyrrhum Gonzagam falsis criminationibus apud Imperatorem traducit. 116. Romam petit. 168. In jus per cursorem vocatus a Scipione, Pontificem rogat, ut in eum severe animadvertat. 177. Ut eundem sibi postea reconciliatum purpura ornet, Sixto V. enixe commendat. 252. Preces, atque officia renovat. 266. Annuam trium aureorum millium pensionem eidem attribuit. *ibid.* moritur 267.

Gonzaga Hercules Cardinalis. Ejus in Scipionem amor 20. vide ubi Gonzaga Scipio. Ad Summum Pontificatum post Paulum IV. fuisset evectus, si Cardinalis Caroli Carafae facinora se dissimulaturum promisisset. 23. et seq. Apostolicam Concilii Tridentini legationem modestiae causa recusat. 26. Pontificis reverentia, et amicorum precibus victus eandem suscipit, ejusque legationis Princeps contra votum designatur, *ibid.* Tridentinum iter ingressus Maguziani in Benedictinorum Coenobio Majoris Hebdomadae solemnia pie peragit. 27. Ibi a Scipione invisitur. *ibid.* Tridentum contendit. *ibid.* Iniquorum invidia, atque obtrectationibus prope est, ut legationem dimittat. 28. Obitus, et elogium 30. et 373. Ejus Testamenti mutatio maxime damnosa Scipioni 35. Epigrammate Scipio ejus mortem deflet. 373.

Gonzaga Joan. Vincentius a Guillelmo Mantuanorum Duce in Ecclesiasticis honoribus Scipioni praefertur. 53. A Gregorio XIII. Purpuratorum Patrum collegio adscribitur 209.

Gonzaga Julius Caesar Scipionis fratrum natu minimus ei in concordia cum Friderico patruo inita sese opponit, 76. et seq. Domesticis rebus inter fratres compositis, Scipioni irascitur, 225. Cum eod. reconciliatur *ibid.* Flaminiam Columnensem uxorem ducit. 270.

Gonzaga Ludovicus Mantuanae Ecclesiae sola electi appellatione praeditus praefuit; itaque inter Episcopos Mantuanos minime recensendus est; emendandi ergo sunt Donesmondius, atque Ughellius, qui secus scripserunt 365.

Gonzaga Ludovicus Dux Nivernensis in Italiam venit 253. Hujus adventus causa 254. Romae apud Sixtum V. Pontificem negocia foederatorum in Gallia, quorum causa venerat, summa cum laude gerit 255.

Gonzaga Pyrrhus Scipionis frater ad Gazolum occupandum milites comparat, eoque armis potitur. 65. et seq. Una cum Alfonso fratre ad Carolum IX. Galliæ Regem militaturus se confert. 70. In Italiam redit. 107. Gazolum ipsi ab oppidanis traditur. 115. Pragam proficiscitur. 119. In itinere morbo implicatur. *ibid.* In Italiam revertitur. 126. Ejus in Urbem adventus. 184. In Cisalpinam Galliam concedit. 187. Inita cum Guillelmo concordia, Imperatorem adit. 189. moritur 418.

Gonzaga Scipio. Ortus. 9. Ejus pueritiae morbi, et eventus. *ibid.* Ejusdem prima institutio a Cardinali Gercule Gonzaga suscepta. 10. Octo integros annos apud Herculem manet, carissimus ei ob musices potissimum, et picturae peritiam. 12. Carolum patrem periculose aegrotantem invisit. *ibid.* Patavium studiorum causa proficiscitur. 20. Archidiaconatum Mantuae adeptus Ecclesiasticae militiae adscribitur. 22. Tridentum semel, 31. atque iterum contendit, nuncio accepto de desperata Cardinalis Herculis valetudine. 32. Eunti Herculis demortui cadaver, dum funebri pompa Mantuam deportaretur, occurrit. *ibid.* Tanti patroni jacturam carmine deflet, non tamen frangitur animo 374. Numisma Scipioni cuditur. *ibid.* et in front. lib. IV. Quo emblemate. *ibid.* Quid de eo emblemate Tassus Herc., Camillius, aliique. *ibid.* Domesticis rebus consulturus Mantuam redit 35. Hinc Patavium Theologiae studiis vacaturus. *ibid.* Aethereorum Academiam instituit. 36. vide ubi Academia Aetereorum. Ob domestica cum Vespasiano patruele dissidia Viennam una cum Friderico patruo sua jura defensurus se confert. 39. et seq. A Maximiliano Caesare perbenigne exceptus. 40. Negocium suum apud eum studiose gerit 41. Ab eodem S. R. I. Princeps creatur. 52. Gazolo oppido Marchionatus titulum obtinet. *ibid.* In Italiam venit 43. cum Friderico in itinere altercatur, eamque ob causam ab ipso sejungitur. *ibid.* Unde haec altercatio. *Ibid.* Mutua reconciliatio, 42. Theologiae studiis confectis, Doctoris laurea honestatur. 51. vid. Adnot. ad eum locum, ubi Scipionem laurea ornatum Diomedes Borghesius laudat. M. Ant. Muretus Orationes suas ei dedicat 281. vide ubi Muretus M. Antonius. A Pio IV. inter Cubicularios intimos adnumeratus 52. Hippolytum Cardi-

nalem Estensem salutandi gratia Ferrariam petit 54. Rogatus Romam cum eodem migrare recusat 56. At per litteras denuo invitatus annuit, et cum eo Romanum iter init 57. In ejus familiam adscribi patitur 57. *ibid.* vide ubi Estensis Hippolytus. In S. Domo Lauretana mirifico religionis sensu afficitur 58. Ejus in Aula Romana vitae primordia 59. Ad Pium V. Pontificem obsequii causa introducitur *ibid.* Mantuam venit 72. Cum Friderico Gonzaga res domesticas componit 73. et seq. Ad Guillelmum Mantuanorum Ducem concordiae conciliandae causa profectus, ab eo non auditus inurbane dimittitur 86. 87. Sua jura contra eundem vindicaturus apud Maximilianum Caesarem Posonium adit. 93. Guillelmi calumnias diluit 95. et seq. Viennam Austriae una cum Caesare pergit 104. Inde Pragam 106. Gazolum a Guillelmi dominatione vindicandum curat *ibid.* Archidiaconatum, pensione retenta, abdicat 109. Laicorum vestibus ad aliquod tempus utitur, et qua de causa *ibid.* Ad Comitia Spirensia Caesarem comitatur 126. De Judice delegando in Causa Gazolalana Vebero, et Imperatori assentiri renuit 143. et seq. Annuit tandem 155. Commissa ejus causa Romano Caesaris Oratori, ad suos in Italiam revertitur 156. Romam petit. 158. Guillelmo Duci se obviam fert 170. Ejus in Ducem obsequia, dum in urbe ille versatur *ibid.* Concordiam cum eo per Pontificem ineundam curat, sed frustra 168. et seq. Victus causidicorum importunitate annuit, ut Guillelmus per libellum in jus vocetur 175. Eam ob causam ad publicum Turris Nonae carcerem transfertur 180. Quae ibi eidem acciderint 181. et seq. Domum reducitur, quae carceris loco ei constituitur 184. Liber dimittitur 185. Reconciliatus Guillelmo litteras reverentiae, ac obsequii plenas ad eum mittit 191. Mantuam concedit 192. A Guillelmo, depositis simultatibus, humaniter excipitur *ibid.* Romam redit 193. Venetias adit, illuc adventante Henrico Polonorum Rege. 195. Inde Mantuam, ac iterum Romam 196. Quatuor Ordines minores suscipit 197. Maximiliani Imperatoris litteris Cardinalibus Morono, et Madrucio summopere commendatur 203. Subdiaconatus, et Diaconatus ordinibus initiatur 205. Florentiam excurrit *ibid.* Romam rediens plura sacra loca in itinere invisit 206. Novum iter cum Isabella Gonzaga aggreditur 207. et seq. Romam repetit 210. In Patriam iterum venit 214. Fratrum dissidia componit 215. et seq. Romam reversus Presbyter consecratur 226. Commentarios rerum suarum scribere aggreditur anno aetatis suae XXXVII. 2. Commentariorum laus 287. Mantuam profectus nuptiis Vincentii Gonzagae, et Margaritae Farnesiae interest 227. Plures Galliae Cisalpinae urbes excurrit 230. Templum maximum Oppidi S. Martini suis sumptibus, vetere everso, aedificat *ibid.* Romam concedit 231. Cardinali Madrucio Legato Apostolico ad Augustana Comitia consituto in itinere comes adjungitur *ibid.* Hujus iti-

neris deſcriptio *ibid. et ſeq.* Controverſiis intereſt interBrandeburgi Marchionem, et Salisburgenſem Archiepiſcopum ortis 240. et ſeq.In morbum incidit,et ad ſuos in Oppidum S. Martinum ſe recipit 243. Inde Romam, recuperata valetudine,redit 244.Divinum verbum in templo S.Ambroſii populo explicat 245. Ludovico Duci Nivernenſi Piſas usque a Sixto V. obviam mittitur 253. Mantuam proficiſcitur a Duce Guillelmo illuc invitatus 255. Ab eodem Legatus ad Ducem Nivernenſem miſſus.*ibid.* Japoniis ad Rom. Pontif. Legatis Mantua pertranſeuntibus Guillelmi Ducis nomine occurrit 259. Plura domeſtica negocia cum Guillelmo pertractat 260. et ſeq. A Sixto V. Romam arceſſitur 262. Patriarcha Hieroſolymitanus renunciatur 263. Ejus conſecratio 264. Cardinalis mira omnium ordinum voluptate creatur 268.Donesmondii criminatio refellitur 384. Cardinalis creatus valetudinis cauſa pauca in Cardinalatu gerit 273. et ſeq. Montiferrato regendo praepoſitus duobus menſibus provinciam illam regit 275. Ejus doctrina, et in Latinis praeſertim litteris praeſtantia 279. et ſeq. Graecae linguae peritia 291. Librum Xenophontis *De dictis, et factis memorabilibus Socratis* e Graeco in Latinum adoleſcentulus vertit *ibid.* et 401. Affertur ejusdem libri particula ab eo in adoleſcentia in Latinum converſi. Item Epiſt. ad Herc. Card. *ibid.* Quantum in poetica facultate excelluerit 299. Petrarca redivivus vocitatus 300. Academicorum Aethereorum Cenſor 303. Item Torquati Taſſi 309. et ſeq., Torquati ejusdem poema *la Gerusalemme liberata* emendaturus, totum ſua manu deſcribit 318. vid. ubi Taſſus Torquatus. Fabulam Joannis Baptiſtae Guarinii, *il Paſtor fido*, expendit 321. vide ubi Guarinius Joann. Baptiſta. Ut iterum liber Balthaſſaris Caſtilionei *de Aulico* emendatus typis vulgetur curat 325., et ſeq. Leges in correctione ejus ſervandas ſcribit 326. Ejusdem de corrigendis libris epiſtola nunc primum edita 411. et in adnot.Ejus animi moderatio in ingenii, et doctrinae laude conquirenda 332. Humanitas, ac beneficentia 357., et 338. Praeſertim in Torquatum Taſſum 339. et ſeq. Scipionis Religio 352. et ſeq. S. Aloiſio Gonzagae Societatem Jeſu ingrediendi veniam ab ejus Patre obtinet 355. Cum eodem arcta conſuetudo 356. Dum S.Aloiſium aegrotantem inviſit, ab eo haud dubiis indiciis de vicina morte admonetur: vide ubi Gonzaga S. Aloiſius. In Oppidum Martinianum venit 357. Moritur *ibid.* Magnifico funere effertur 358.Luctus litteratorum *ibid.*Academiarum Patavinae, Mantuanae, et Bononienſis funebria juſta eidem perſoluta 361. Sepulcrum 363. Alterum Numiſma honoris ergo ei cuſum 393. Cur non hic afferatur *ibid.*

Gonzaga Vincentius Margaritam Farneſiam uxorem ducit 227. Soluto cum eadem matrimonio, ad alteras nuptias cum Eleonora Medicea tranſit 246. In Ducatu Mantuano patri ſuccedit 267. Ejus in Scipionem ſtudium, et favor 268. Scipionem Monti-

ferrato praeficit 275. vid. ubi Gonzaga Scipio. Cum Scipione inviſit Taſſum in cuſtodia 349. vid. ubi Taſſus Torquatus.
Gregorius XIII. Pontifex Max. 167. Cur Guillelmo gratificandi cauſa in Scipionem acerbius ſe geſſerit 178. Moritur 251. Ejus elogium 281.
Guarinius Joan. Baptiſta, Scipionis amiciſſimus, Aethereorum Academiae Princeps creatus, et oratione laudatus a Scipione, ei gratias agit 293. Ejus epigramma 403. in adnot. Paſtoris fidi fabulam a ſe ſcriptam Scipionis judicio expendendam mittit 321. Scipionis adprobantis judicio audito laetatur, ejuſque adprobationem omnibus veterum Tragicorum victoriis, ac coronis antefert 323. et 410. in adnot. Fabulae Guarinianae cenſura, quam Scipio ſcripſerat, deſideratur 321. Scipionis ad eum epiſtola 321. et 410. Alia item Guarinii ad Scipionem 323. et 410. Altera, qua Scipioni Cardinali creato gratulatur 366. Scipionem ſub Aegonis nomine latentem laudat in ſuo Poemate 404 Scipionis mortem dolentiſſime deflet, eumque in epiſtola ad Ferdinandum fratrem illius conſolandi gratia ſcripta laudat ampliſſime 360. et 419.

H

Hortinius Julius Roſcius. Ejus ad Scipionem Epigramma 390.

I

Iuncta corrigitur in ſuo „ Fio- „ retto „. 385.

L

De Levis Auguſtinus. V. C. de Montisferrati provincia a Scipione adminiſtrata monumenta ſuppeditat 395. Laudatur *ibid.*

M

Madrucius Ludovicus Cardinalis, Tridentinae Eccleſiae Antiſtes, et Concilii Legatus 28. Scipionem in legatione ad Imperii Comitia habita a Rodulpho Caeſare ſingularis amicitiae cauſa ſibi comitem requirit 231.
Malateſta Joſephus. Ampliſſimum ejus de Scipione teſtimonium 396.
Marinius Cajetanus V. C. Bibliothecae, et Miſcellaneorum Aloiſii Valentii Gonzagae Card. inſtructor laudatur 409.
Marlianus Benedictus alteram libri *de Aulico* editionem curat 325.
Maximilianus Caeſar. Ejus de novo Magni Etruriae Ducis titulo contra Pontificem proteſtatio 127. et ſeq. Qui exitus hujus controverſiae fuerit 133. liti inter Guillelmum, et Scipionis familiam finem imponit 189. Obit 200. Ejus ingenium, et animi dotes 201. et ſeq.
Muretus M. Antonius Scipioni Orationes ſuas dedicat, eumque ampliſſimo teſtimonio juratus laudat 281. et ſeq.
Muſſatus Joan. Franciſcus. Ejus ad Scipionem Cardinalem epiſtola gratulandi cauſa 385.

N

Norembergae deſcriptio 140.

O

Oberterus Lutheranam hæreſim, ſuadente Scipione, abjurat 137.

P

Panſa Mutius in libro de Bibliotheca Vaticana, quem Scipioni inſcribit, Scipionis Bibliothecam

laudat 346. Honorificum ejus de Scipionis doctrina testimonium *ibid.*

Pendasius Fridericus Mantuanus, vir doctissimus, Theologicis disciplinis Scipionem instituit 35.

Pius IV. Scipionem ad Cubicularios intimos suos Cosmi Florentiae Ducis opera adscribit 52. Ejus erga Scipionis domum mira animi propensio *ibid.* Ejusdem mors Scipioni perincommoda, *ibid.*

Pius V. Pontifex electus, 159. Purpurae honores Scipioni deferre potiusquam Joan. Vincentio Gonzagae meditatur *ibid.* Cur huic alteri minus faveret 160. In Scipionem singularis amor 161. In Cardinalium collegium eundem cooptare statuit 164. Mors Pium praevertit 166. Ejus elogium *ibid.*

Pomponiscum oppidum. Unde ejus appellatio 380. Inscriptio vetus ad Pompejos pertinens in eo oppido reperta *ibid.*

Popmnamius Nicolaus Lutheranus in Catholicos impie invehitur 134. A Scipione acriter reprehensus obmutescit 135.

Posservinius Antonius corrigitur in Historia Familiae Gonzagae 385.

Q

Quadrius Franc. Xaver. corrigitur 376.

S

Serassius Petrus Antonius. V. C. horum Commentariorum probator 375. Ejus Elogium *ibid.*

Seripandus Hieronymus Cardinalis Herculis Gonzagae Cardinalis amicissimus, et Concilii Tridentini Legatus Apostolicus, moritur 33. Laudatur *ibid.*

Sfortia S. Florae Comes a Pio V. in auxilium Caroli IX. Copiarum Pontificiarum Dux mittitur. 70.

Sixtus V. Pontifex creatur 251. Ejus in Scipionem voluntas. 262. Eundem Patriarcham Hierosolymitanum renunciat 263. et paullo post S. R. E. Cardinalem 262. Vide ubi Gonzaga Scipio. Ejusd. Pontificis Epistola ad Vincentium Ducem Mantuanor. de Scip. nondum Cardinale creato 383. Altera ad eundem postquam Scipio Cardinalis creatus est.

T

Tassus Torquatus. Ejus indoles, ac naturae habitudo 339. A Scipione Patavium invitatur ad Aethereorum coetum ornandum 342. Scipionis in domum excipitur, atque ab eodem honorifice habetur. *ibid.* Consulendi Scipionis causa Sermones de Poemate heroico ad eum scribit *ibid.* quos dolet deinde vulgatos sine sua ad eundem epistola 344. In coetu Aethereorum cooptatus epigrammate Scipioni gratias agit 343. Altero Epigrammate Scipionis eloquentiam laudat 404. et seq. Invito Scipione discedit ad Estenses 345. Frustra Scipio ab eo consilio, propositis vitae aulicae periculis, deterrere conatur *ibid.* Quae fuerint fortunae ejus vices 446. et seq. Discessurus in Galliam scripta sua omnia a Scipione, antequam typis tradantur, expendi jubet 310. et in adnotat. Poema item suum *la Gerusalemme liberata* eidem expendendum, atque expoliendum tradit. 310. et seq. et in adnot. Quod fuerit ejus de Scipionis intelligentia ju-

dicium 311. Profitetur, se plus Scipionis limae fidere quam suae 316. et in adnot. Gratias agit de versibus emendatis 317. et in adnot. Mutare octo illos versus quorum initium „ *Sai che là corre il mondo*,„etiam Scipione hortante renuit 315. Poema suum totum Scipionem describentem audiens effertur gaudio, et gratias agit 319. Torquati Poema ipsius Scipionis manu descriptum nunc Bibliothecam Aloisii Valentii Gonzagae Cardinalis ornat. *ibid.* Quot in locis emendatum 410. Quid de eo Codice Serassius, ac ante eum Baruffaldius scriptum reliquerint *ibid.* Ut nunquam Torquatus desertus ab Scipione fuerit in calamitate 340. In Carcere detentus nunquam Scipionis opem desiderat 349. Visitur ab eodem, et a Vincentio Principe Mantuanorum, dum in custodia habetur *ibid.* Eorum opera laxius haberi coeptus in carcere *ibid.* Eorum etiam officiis liber tandem septimo post anno dimissus *ibid.* Dialogum *de Dignitate* Scipioni Patriarchae inscribit, et ejusdem *de Episcopatu* epistola 383. Romam reversus cur apud Scipionem Cardinalem minus urbane habitus. 350. In gratiam redit. Tum Scipionis mortem dolet, ac Dialogum *de Immortalitate* scribere ad mortui memoriam propagandam cogitat 351. 361. et in adnot. Accepturus in Capitolio a Senatu Romano lauream coronam moritur 341.

Tiraboschius Hieronymus, V. C. quae de Scipione Gonzaga scripserit 405. in adnot. Pluries laudatur.

V

Valentius Gonzaga Aloisius Cardinalis in litteratorum Viror. memoria tuenda studiosiss. hos Commentarios ornatissime edit. 288. et 399. et Cajetano fratri inscribit *in Epist. Dedication.* Ejus Bibliotheca autographis, et Miscellaneorum quadrag. millibus clara 408. Dantis Aligherii Sepulcrum totum de suo magna impensa renovat Ravennae 399.

Valentius Gonzaga Cajetanus, V. C. Ejus rara Sylloge librorum saeculi xv., et Manutianarum editionum 408. Alois. Cardinalem fratrem excitat, ad hos Commentarios edendos, idemque in ea re operam suam ei praestat *in epist. Dedication.*

Valentius Gonzaga Carolus Marchio V. C. Scipionis Commentariorum exemplar Aloisio Fratri Cardinali dono mittit 394. Monumenta ad eos absolvendos comparanda curat. *in Epist. Dedicat.* Marliani vitam Tiraboschio inscribit 328.

Veberus Joan. Baptista Scipionem Caesaris nomine adit. 143. Ejus cum Scipione colloquium de nova Guillelmi petitione. *ibid, et seq.*

Viennae pestilentia grassatur. 104.

Vitelliana oppidum vulgo *Viadana*. Qua aetate innotescere in historia coeperit 381.

Volta Camillus Ludovici Ducis Nivernensis Romae procurator 160. Ejus ad Pontificem allocutio. *ibid.*

Z

Zibramontius Aurelius negociorum Ducis Guillelmi Romae Administrator. 158.

Menda quae invitis nobis exciderunt sic, Lector humanissime, corrige.

Pag. 176.	ver. 24.	*dictioni*	lege	*ditioni*
Pag. 280.	ver. 8.	*singularis illorum*	deme	*illorum*
Pag. 311.	ver. 22.	*permanebat*	lege	*permaneret*
Ibid.	ver. 24.	*arbitrabatur*	lege	*arbitraretur*
Pag. 344.	ver. 16.	*diutius amplius*	deme	*amplius*
Pag. 368.	ver. 6.	*quantum*	lege	*quanti*

Si qua vero praeterea corrigenda occurrent, facile tua benignitas emendabit.

SALVATOR · BOMBELLIVS · ET · IOSEPHVS · DRVDIVS
OFFICINATORES · LIBRARII · SALOMONIANI
INCHOAVIMVS · ROMAE · HOC · OPVS · ID. MARTIIS
ABSOLVIMVS · NONIS · SEPTEMBRIBVS
ANNO · MDCCXCI.
SACRI · PRINCIPATVS · PII · VI. PONTIFICIS · MAXIMI
ANNO · XVII.

VA1
1549825

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible]
N:
31.